IX.
B

Digitized by Google

Digitized by Google

43
4 F
3

Digitized by Google

HISTORIA
ECCLESIASTIC
TOM

Digitized by Google

43 4 F3

HISTORIA
ECCLESIASTICA
PER ANNOS DIGESTA
VARIISQUE OBSERVATIONIBUS ILLUSTRATA

AUCTORE

GASPARE SACCARELLO

TAURINENSI

CONGREGATIONIS ORATORII ROMANI PRESBYTERO

TOMUS TERTIUS.

AB ANNO JESU CHRISTI 145. USQUE AD AN. 252.



ROMÆ MDCCLXXIII.

EX TYPOGRAPHIA PAULI JUNCHI.

SUPERIORIBUS ADPROBANTIBUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

VICTORIO AMEDEO III.

SARDINIÆ REGI

&c. &c. &c.

GASPAR SACCARELLUS TAURINENSIS

CONGREGATIONIS ORATORII ROMANI PRESBYTER.

QUæ hactenus prodiere a me conſcripta duo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Volumina, non ea modo ad Maje-

Digitized by Google

STATEM TUAM per Aloyſium fratrem meum delata, benigne comiterque, uti ſemper ſoles, Rex Auguſtiſſime, excepiſti; ſed ſuſcepti Operis rationes Tibi præterea magnopere probari ſemel iterumque clementiſſime ſignificaſti: quo quid mihi magis ad commendationem illuſtre contingere unquam poſſet, & ad ſti[illegible]m currenti addendos magis accommodatum, plane non video. Ea enim cum dignitate poteſtateque, tum ſcientiarum ac litterarum omnium laude præſtas, ut abs Te probari, maximi honoris loco a præſtantiſſimo quoque viro habendum omnino eſſe facile quiſque intelligat. Quamobrem quum

in

Digitized by Google

in opus exinde alacrius incubuerim, ac tertium tandem, Deo dante, Volumen abſolverim; ipſum Regio MAJESTATIS TUÆ Nomine inſignitum in vulgus emitto: nec ſane dubito, quin hoc publicum perpetuumque, non tam obſequii erga Te mei, quam Clementiæ Tuæ monumentum futurum, benigniſſime complectaris. Atque equidem, ſummeque lætor id eo potiſſimum tempore contigiſſe, quo cum ſubditæ, tum exteræ quæque Gentes ſub admiranda Regni Tui initia, tot ac tanta de Te vera cum gloria prædicant, gratulanturque excitatam jamdiu de Te famam non æquare modo, ſed virtute rerum

que

que hactenus geſtarum magnitudine quam longiſſime ſuperare. Enim vero eximiam Majestatis Tuæ in Deum religionem, erga catholicam Eccleſiam pietatem, in rebus gerendis prudentiam, in Annona procuranda ſolertiam, in pauperum neceſſitatibus ſublevandis, Tributiſque remittendis liberalitatem uno omnes ore commemorant, atque laudibus in cœlum efferunt; Teque non minus Regni, quam Paternarum virtutum omnium hæredem eximium, Populorum vero Tuorum non tam Regem, quam Patrem amantiſſimum celebrant. Itaque tot inter plauſus, inque tanta Europæ univer-

ſæ admiratione, quum aliquam & ipſe Nomini MAJESTATIQUE TUÆ devotiſſimus exultantis ſane animi ſignificationem publice proferre, tum vehementer cuperem, tum mehercule etiam deberem; percommodum profecto accidit, ut hac operis difficillimi parte abſoluta, in lucem prodire, meiſque votis ſatis utcumque facere poſſem. Patere igitur, Rex Auguſtiſſime, ut qua tantum ratione poſſum Gloriæ Tuæ, atque illorum præſertim, qui Tuo parent Imperio, felicitati merito plaudam, & me ac ſtudia mea ſcelita Tua Clementia complectere: namque ipſe interea adſiduis a Deo precibus poſtulabo,

ut

Digitized by Google

ut omnia MAJESTATIS TUÆ conſilia, & actiones fortunet, Teque cum Auguſtiſſima Regina Conjuge, Regiaque Prole quam diutiſſime conſervet.

APPRO-

Digitized by Google

APPROBATIONES.

TOmum tertium *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ a Clariſſimo Viro Gaſpare Saccarello Congregationis Oratorii Romani Presbytero* elucubratum, Rm̃i Patris Auguſtini Ricchini Magiſtri S. Palatii Apoſtolici voluntati obſecutus, attente legi, nihilque in eo quod Catholicæ Fidei aut bonis moribus adverſetur offendi: quin immo duobus prioribus Tomis, ſtyli elegantia, eruditiſque obſervationibus reſpondere inveni. Quare opus Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ſtudioſis perutile, ac publica luce dignum puto.

In quorum fidem &c. Ex Bibliotheca Vaticana Kalendis Septembris 1773.

Steph. Evodius Aſſemanus Archiep. Apameæ Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus.

JUſſu Rm̃i Patris Auguſtini Ricchinii S. Palatii Apoſtolici Magiſtri legi Tertium hunc *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Tomum a Cl.* *Viro Gaſpare Saccarello Congregationis Oratorii de Urbe Presbytero* elaboratum, in eoque nihil catholicæ Fidei, probiſque moribus adverſum inveni, quin potius univerſa quæ continet ad ſanioris Critices regulas exacta eſſe animadverti: quo vel ſolo nomine, quantum ejuſdem Hiſtoriæ ſtudioſis commendari debeat, nemo non intelligit. Eum igitur publica luce dignum cenſeo.

Joſeph Theoli S. Theol. D.

IMPRI-

Digitized by Google

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Dom. Jord. Patriarch. Antioch. Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ord. Præd. Sac. Pal. Apoſt. Magiſter.

HISTO-

HISTORIA ECCLESIASTICA

JESU CHRISTI AN. 144. PII PAPÆ 3.
ANTONINI PII IMP. 7. COSS. LOLIANO AVITO,
ET CLAUDIO MAXIMO.
OLYMPIAD. 230. AN. 4. URBIS AN. 897.

1. TAM longe, lateque hac ætate chriſtianam Religionem diffuſam propagatamque fuiſſe, ut nulla pene tam barbara gens fuerit, cui Chriſti nomen ignotum eſſet, inveriſimile fortaſſe videretur, niſi graves, coævique Auctores teſtatum reliquiſſent: *Atqui ne unum quidem eſt genus Mortalium*, ajebat S. Juſtinus, *ſive Barbarorum, ſive Græcorum, ſive etiam aliorum omnium, quocumque appellentur nomine, vel Amaxobiorum, vel Nomadum domo carentium, vel in tentoriis degentium*, (Scenitarum) *& cum pecoribus vitam tolerantium, inter quos per nomen Crucifixi Jeſu ſupplicationes, & gratiarum actiones Patri fabricatori rerum omnium non fiant*. His conſentientia ſcribit Irenæus, qui varias diſſitaſque enumerans regiones, in quibus non ſolum chriſtiana Religio, ſed & eadem traditio vigeret, Germaniam, Hyberiam, Galliam, Orientem, Ægyptum,

JESU CHR. AN. 144.

Chriſtiana Religio ubique diffuſa.

Juſtin. Dialog. cum Triph. n. 117.

Iren. lib. 1. cap. 3.

Jesu Chr. an. 144.

Tertull. Apolog.

ptum, Libyam, recenſet. Nam ſicut Sol in univerſo Mundo unus & idem eſt, inquit, ſic & lumen, ac prædicatio veritatis ubique lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad veritatis cognitionem venire. Tertullianus vero, qui labente hoc eodem ſæculo floruit, de Chriſtianorum ingenti numero: *Externi ſumus*, ajebat, *& veſtra omnia implevimus, urbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, Tribus, Decarias, Palatium, Senatum, Forum; ſola vobis reliquimus Templa*; quos ideo armatos æque ac inermes Gentilibus reſiſtere potuiſſe addit, armati quidem tum numero, cum animi fortitudine, qua tam fortiter pro Chriſti fide trucidabantur, inermes vero ſola diſceſſione ab iis facta: *Si enim*, proſequitur, *tanta vis hominum in aliquem Orbis remoti ſinum abrupiſſemus a vobis, ſuffudiſſet utique dominationem veſtram tot qualiumcumque amiſſio civium; immo etiam & ipſa deſtitutione puniſſet, procul dubio expaviſſetis ad ſolitudinem veſtram, ad ſilentium rerum, & ſtuporem quemdam quaſi mortuæ Urbis quæſiſſetis, quibus in ea imperaſſetis*; & adverſus Judæos:

Tertull. adverſ. Judæos cap. 7. 8.

In quem enim alium univerſæ Gentes crediderunt, niſi in Chriſtum, qui jam venit? Cui enim alii Gentes crediderunt, Parthi, Medi, Elamitæ, & qui habitant Meſopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam, & Incolentes Pontum, & Aſiam, & Pamphiliam, immorantes Ægyptum, & Regionem Africæ, quæ eſt trans Cyrenem, Romani, & Incolæ, tunc & in Hieruſalem Judæi, & ceteræ Gentes, ut jam Getulorum varietates, & Maurorum multi fines, Hiſpaniarum omnes termini, & Galliarum diverſæ Nationes, & Brittannorum inacceſſa Loca Romanis, Chriſto vero ſubdita, & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & abditarum multarum Gentium, & Provinciarum, & Inſularum multarum vobis ignotarum, & quæ enumerare minus poſſumus? In quibus omnibus locis Chriſti nomen, qui jam venit, regnat.

Chriſti Regnum, ſeu Eccleſia, divina virtute propagatum. Tertull. ut ſupra.

2. Divinæ autem virtuti tam miram chriſtianæ Fidei propagationem, non humanæ potentiæ viribus tribuendam eſſe, facile demonſtrat Tertullianus, quod ſine armis, ſine vi, ſine tumultu Chriſti regnum, ſeu Eccleſia tam late ſeſe dilataverit, ut omnium Regnorum amplitudinem latitudine ſua ſuperaverit: etenim, ut idem adnotat, qui fuerint limites Regni Salomonis in Judæa, Darii in Perſide, & Media, Pharaonis in

Digitized by Google

in Ægypto, Nabuchodonoſor in India, Alexandri Macedonis, ſeu Magni in Aſia, aliorumque ibidem commemorat; tum de Romanis: *Quid de Romanis dicam, qui de legionum ſuarum præſidiis imperium ſuum muniunt, nec trans ipſas gentes porrigere Regni ſui vires poſſunt? Chriſti autem Regnum, & nomen ubique porrigitur, ubique creditur, ab omnibus gentibus ſupra numeratis colitur, ubique regnat, ubique adoratur.* Latius vero ſub Antonini Imperio fines ſuos extendiſſe non eſt dubitandum; quem præ ceteris præceſſoribus ſuis faviſſe Chriſtianis, Scriptores quamplurimi teſtantur: *Antoninus Chriſtianis infenſus non fuit*, inquit Xiphilinus, *quin vehementer obſervavit, & coluit, ac honori, quo Hadrianus Chriſtianos proſequebatur, acceſſionem fecit.* Hujuſce indulgentiæ teſtis eſt ejuſdem reſcriptum, ad commune Aſiæ datum, quo eos non ſolum inquiri, ſed & Chriſtianitatis titulo puniri prohibuit; quod etſi, poſt Tertullianum in Apologia, Marco Aurelio inſcribendum cenſeant Eruditorum nonnulli, Antonino tamen Pio tribuendum eſſe cum Tillemontio, & Juſtini Editore cenſemus. Sed de his infra.

Euſeb. lib. 4. 13. Valeſ. in Euſeb. loc. cit. Baſnag. ann. 164. Præf. in oper. Juſtin. cap. 5.

De Valentino, ejuſque hæreſi.

3. In tanta autem Evangelici Seminis fœcunditate perditiſſimos extitiſſe viros, qui zizaniam plena manu in agro dominico diſſeminaverint, non eſt hoc loco diſſimulandum, cujuſmodi ea ætate fuerunt Valentinus, & Marcion, de quibus nunc agendum. *Valentini* quidem, *patriam, & ſtirpem plerique neſciunt*, ait Epiphanius; tempus vero, quo vixit, ex Irenæo indicat Euſebius his verbis: *Valentinus Romam venit Pontificatu Higini, viguit autem temporibus Pii, qui ad Anicetum uſque permanſit*: quinimmo ſi Tertulliano fides, uſque ad Eleutherii Papæ tempora, una cum Marcione hæretico, pervenit: *Conſtat illos*, Valentinum ſcilicet, & Marcionem; *neque adeo olim fuiſſe Antonini fere Principatu, & in Catholicam primo doctrinam crediddiſſe, apud Eccleſiam Romanam, ſub Epiſcopatu Eleutherii benedicti.* Is cum Heſiodi theogoniam de triginta Diis a græcis Philoſophis adoptaſſet, ac una cum Evangelio junxiſſet, tanquam humano corpori equinum caput, horrendum confarcinavit monſtrum: ſub chriſtiano tamen nomine ea docuiſſe, teſtatur Tertullianus; atque in inſula Cypro chriſtianam primum Fidem ſuſcepiſſe narrat Philaſtrius: *In primis quidem fuit in Eccleſia, elatior autem factus poſtmodum errore non parvo deceptus eſt, degenſque in Cypri inſula cœpit hoc definire.*

Epiph. de hær. 31. n. 2.

Euſeb. lib. 4. 11.

Tertull. de præſcript. cap. 30.

Philaſtr. de Hæreſ. cap. 10.

Jesu Chr. An. 144.

Tertull. contra Valentin. cap. 4.

nire. Superbiæ ſtimulis compulſum in Apoſtaſiam incidiſſe, refert Tertullianus: *Speraverat Epiſcopatum Valentinus, quia & ingenio poterat, & eloquio, ſed alium ex martyrii prærogativa loci potitum, indignatus, de Eccleſia authenticæ regulæ abrupit (ut ſolent animi pro prioratu exciti, præſumptione ultionis accendi), ad expugnandam converſus veritatem, & cujuſdam veteris opinionis ſemini actu colubroſo viam delineavit.* Ab Eccleſiaſtica itaque communione ea de cauſa ejectus, etſi pœnitentiam aliquandiu ſimulaſſe viſus ſit; rurſus tamen in hæreſim, tanquam canis ad vomitum, reverſus, ut inſanabili laborans morbo, e Fidelium grege excluſus perpetuo anathemate percellitur: *Ob inquietam ſemper eorum curioſitatem* (Valentini, & Marcionis), *quo fratres quoque vitiabant, ſemel & iterum ejecti, noviſſime in perpetuum diſſidium relegati, venena doctrinarum ſuarum diſſeminarunt.* Verba ſunt Tertulliani

Tertull. de præſcrip. cap. 30.

Valentinianæ hæreſis capita

4. Valentinianæ hæreſis capita, & portenta multa numerantur. In primis Chriſtum e Cœlo corpus detuliſſe, & per Mariam tantummodo tranſiiſſe effutiebat: Trinitatis myſterium funditus deſtruebat, materiam cum Deo coæternam prædicans. Inſuper triginta Eones, ſeu Semideos, aut Spiritus ſomniabat, ex quibus quindecim maſculi, totidemque fœminæ cuncta creaverant: *Triginta Eones ſtatuit*, ait Epiphanius, *quos etiam Deos appellat*, atque ex his aliquos Hermafroditas fuiſſe, ut de prima Ogdoade rerum omnium matre, ac principio: *Is qui per [illegible] est, univerſa in ſemetipſo obſcura, ignotaque [illegible] nulli eorum ſenectutis expertem, ſemperque florentem, marem, & feminam vocant*; de cujus conceptu, & partu ludit Tertullianus: *Dehinc illo mærore ex ſemetipſa ſola, nulla opera conjugii, concepit, & procreat feminam. Miraris hæc? Et gallina ſortita eſt de ſuo parere, ſed & vultures fæminas tantum parere ajunt; & tamen ſine maſculo.* Eonum nomina barbara ſunt, ait Petavius in Epiphanium, haud ſcio an Ægyptiorum lingua profecta, an temere, atque ad terrorem conficta: unde ea recitare inutile judicamus, quæ in Epiphanio curioſus Lector inveniet; de quorum deliriis ajebat merito Tertullianus cap. 12. in Valent: *Ovidius Metamorphoſes ſuas deleviſſet, ſi hodie majorem cognoviſſet.*

Epiph. hæreſ. 31. n. 2.

Epiph. ſupra num. 10.

Tertull. in Valent. cap. 10.

Valentinianorum mores improbi.

5. Ut doctrina, ita & moribus impuriſſimi erant Valentinia-

tiniani, etſi ſupercilium grave affectarent: *Si bona fide quæras, concreto vultu, ſuſpenſo ſupercilio, altum eſt, ajunt, ſi ſubtiliter tentas per ambiguitates bilingues, communem fidem affirmant; ſi ſcire te ſuboſtendas, negant quidquid agnoſcunt*, ait Tertullianus. Hac arte, perſecutionum tempore, mortem vitabant, affirmantes: *Vanitatem eſſe, atque dementiam pro Deo mori*; & rurſus: *Semel Chriſtus nobis obiit, ſemel occiſus eſt, ne occideremur. Si vicem repetit, num & ille ſalutem de mea nece expectat? An Deus hominum ſanguinem flagitat &c.* Ventri & Veneri ſummopere inſerviſſe Valentinianos, auctor eſt Irenæus; Idolothyta enim indifferenter manducabant, nihil inquinari ab iis putantes, & in omnem diem feſtum Ethnicorum primi conveniebant, carniſque voluptatibus inſatiabiliter inſerviebant: plurimi etiam mulieres, mente pariter, & corpore corrumpentes, aut a viris ſuis ſeparantes cum eiſdem omni libidinum cœno volutabantur, quemadmodum multæ ſæpe ab iis ſuaſæ, poſtea ad Eccleſiam Dei converſæ, cum reliquo errore & hoc confeſſæ ſunt.

Tertull. in Valent. cap. 1.

Iren. lib. 1. cap. 1.

6. Libros quoque impietatis ſuæ teſtes poſt ſe reliquit Valentinus, quorum fragmenta apud Antiquos ſuperſunt. Epiſtolæ ad Agathopodem, & alterius meminit Clemens Alex.; de homiliis etiam, quinimmo & Evangelio ab eodem vulgato; ita Tertullianus: *Evangelium habet etiam ſuum præter hæc noſtra*. Alium ediderat librum, cui Sophiæ nomen dederat; ſed & pſalmos, & hymnos, eodem Tertulliano teſte, vulgaverat. Nugatiores adhuc erant alii ab ejuſdem diſcipulis editi, quorum ab Irenæo, & Epiphanio fit mentio. Ex diſcipulis autem Valentini Alexander quidam eminebat, de quo Tertullianus: *Sed remiſſo*, inquit, *Alexandro cum ſuis ſyllogiſmis, quos in argumentationibus torquet etiam cum pſalmis Valentini*. Sed magiſtri deliria Axionicus præcipue illibata retinuit: *Solus ad hodiernum Antiochiæ Axionicus memoriam Valentini integra cuſtodia regularum ejus conſolatur*, ait idem Tertullianus. Ceteri vero ejuſdem diſcipuli pro arbitrio, aut veteribus erroribus novos addiderunt, aut ex portentis portenta confinxerunt.

De Valentini ſcriptis, & diſcipulis.

Clemens Alex. ſtrom. lib. 2. & lib. 4. & 6.

Tertull. de præſcrip. cap. 49.

Tertull. de præſcrip. c. 2. Idem de Carne Chriſti cap. 20.

Iren. lib. 1. cap. 17. Epiph. hær. 31. 6.

Tertull. de Carne Chriſti cap. 17.

7. Ex illius ſchola Marcus, unde Marcoſitæ, & Euphrates, unde Ophitæ prodierunt. Marcum Valentini temporibus floruiſſe, nos docet Irenæus apud Euſebium; cujus hæreſis hæc ſunt præcipua capita: Carnis reſurrectionem negabat, Chriſtum ficte tantum dolores, aut mortem [illegible] ſe

De Marcoſitis, & Ophitis hæreticis, eorumque erroribus.

Euſeb. lib. 4. 11.

eſſu-

JESU CHR. AN. 144.

Aug. de hæreſ. cap. 14. Iren. lib. 1. cap. 8. 9.

effutiebat : duo quoque contrario adverſantia rerum principia adſtruebat ; ſed & alia ejuſdem Marci deliria recitat Auctor catalogi hæreſeon apud Tertullianum *cap.* 50. , & Irenæus ; cujus impoſturæ eo potiſſimum ſpectabant , ut mulieres incantationibus ſuis dementaret , eaſque animo , & corpore corrumperet , quemadmodum uxori cujuſdam Diaconi in Aſia contigiſſe narrat , quæ cum ſycophantam hoſpitio excepiſſet , ab eo ſeducta , impurum nebulonem diu ſectata eſt , donec ad meliorem

Iren. de hæreſ. lib. 1. c. 1.

frugem converſa , reliquum vitæ tempus in pœnitentia traduxit , ut pluribus ibidem Irenæus tradit . Varias Galliarum ,

Hier. in Iſai. cap. 64. & epiſt. 29. ad Theodoram. Iren. lib. 1. 9. 10. Epiph. hær. 34. Theod. hæret. fab. lib. 1. Aug. de hær. cap. 14. Baſnag. annals an. 124.

& Hiſpaniarum provincias Marcum veneno ſuo infeciſſe , ſcribit Hieronymus . Duos tamen Marcos hæreticos longo temporum ſpatio diſſitos eum confudiſſe , veroſimile eſt ; hunc ſcilicet ſecundi ſæculi , & alterum ſæculi quarti , qui Priſcillaniſtarum virus in Hiſpanias intulit . Quis Marcoſitarum baptizandi ritus eſſet ac forma , aut quæ de Eonibus , eorumque nominibus , generatione , ac virtute fabularentur , apud Irenæum , Epiphanium , Theodoritum , vel Baſnagium invenire poterit curioſus lector ; tanto quippe nos otio non abundamus , ut iis enarrandis , exponendiſque , aut ſtylum , aut tempus conſumendum cenſeamus .

De hæreſi Ophitarum.

Iren. lib. 1. cap. 18. Orig. in Celſum lib. 6.

8. Ex ejuſmodi Valentini ſchola & Ophitas prodiiſſe , ex eodem Irenæo , ſcimus , quorum Celſus hujus temporis ſcriptor meminit : *Tantum abeſt* , inquit Origenes , *ut hi Chriſti ſint ſectatores , ut non minus quam Celſus hi Jeſum incuſent . . . Adverte autem , quam temere in his egerit Celſus , quæ adverſus Chriſtianos oblatrat ; quandoquidem cum noſtræ Religionis hominibus Ophitas iſtos contulerit* . Hæc Origenes , qui de Ophitarum auctore , [illegible] que eorum doctrina ſubdit , Sectæ auctor[illegible] quemdam fuiſſe . Eos autem Ophitas dici , ob c[illegible] ſerpentis , quem adeo colebant , *ut illum etiam Chriſto* [illegible] , ait A[u]ctor appendicis ad librum Tertulliani de

Apud Tertull. de præſcript. cap. 45. Aug. de hæreſ. cap. 15.

Pra[illegible] [illegible]entem quippe Dei ſapientiam inhabitare ajeba[illegible] [illegible]em tradit Auguſtinus : *Hunc Colubrum , qui a*[illegible]*um , & Evam , Chriſtum arbitrantur ; habent etiam verum colubrum , quem nutriunt , & venerantur , qui incantante ſacerdote egreditur de ſpelunca , & aſcendit ſuper altare innixum ſpeluncæ , & oblationes eorum lambit , & involvens* [illegible] *eas regreditur ad ſpeluncam ; & ita confringunt oblat*[illegible] *Euchariſtiam , quaſi a Serpente Chriſto ſanctificatas* .

tatas: Cum Valentinianis vero in eo præcipue conveniebant, quod Eonum doctrinam, varioſque Angelorum Ordines barbaris quibuſdam nominibus prædicarent; de quibus plura apud Origenem, Irenæum, Epiphanium, Auguſtinum, Theodoritum, alioſque, qui Hæreſum Catalogos contexerunt.

9. Peſtiferam Valentini Sobolem etiam fuiſſe Cajanos hæreticos, ex Caino dictos, & Sethianos a Seth filio Abel, tradunt Irenæus, & Epiphanius, aliique. Ii tamen non ſolum ex Valentino, ſed & ex ceteris Gnoſticis, Nicolaitis, & Carpocratianis venenum ſuum hauſerunt; quorum impietates, & horrendas blaſphemias recenſere, ſtylus ipſe horret. Nam Cain, Core, Sodomitas, & Judam Iſcariotem ſummis ornabant præconiis, nec quempiam ſalvandum putabant, ni horum turpitudines, & impietates imitaretur. *Ipſi enim*, ait Auctor apud Tertullianum, *magnificant Cain, quaſi ex quadam potenti virtute conceptum, quæ operata ſit in ipſo; nam Abel ex inferiori virtute conceptum, procreatum, & ideo inferiorem repertum. Hi, qui hoc aſſerunt, etiam Judam proditorem defendunt, admirabilem illum, & magnum eſſe memorantes, propter utilitates, quas humano generi intuliſſe jactatur. Quidam enim ipſorum gratiarum actionem Judæ propter hanc cauſam reddendam putant. Animadvertens enim, inquiunt, Judas, quod Chriſtus vellet veritatem ſubvertere, tradidit illum, ne[illegible] ſubverti veritas poſſet*. Alii ea ratione Judam laudabant, ut idem Auctor tradit, quod Chriſti proditione fructum ex ejus paſſione manantem humano Generi procur[illegible],)quibus conſentiunt ea, quæ de eiſdem tradit Epiphanius. De Sethianis autem, qui Chriſtum Seth fuiſſe tradebant, plura habent Irenæus, & Auctor apud Tertullianum, & Epiphanius, quorum deliria longum eſſet exponere; de quibus pluribus agunt Auguſtinus, Theodoritus, Philaſtrius loco ut ſupra. De reliquis Valentini diſcipulis opportuniori loco inferius agemus: nunc pauca de Cerdone, & Marcione addimus.

De Cajanitis, & Sethianis, eorumque erroribus. *Iren. lib. 1. 35. Epiph. hær. 31. & 38.*

Apud Tertull. in append. de præſcrip. cap. 47.

De præſcript. ut ſupra.

10. Valentino coævus fuit Cerdon, qui ſedente Hygino Romam venit, ut ex Irenæo narrat Euſebius: *Cerdon ex Simonis diſciplina profectus, cum Romam veniſſet, Pontificatu Hygini; qui ad annum uſque 142. Petri Cathedram tenuit*. Is porro ad Eccleſiam veniens, ait idem Auctor, errorem ſuum confeſſus eſt, ita tamen, ut deinceps aut palam, interdum occulte hæreſim doceret; *Quare a Fratrum Conventu remo-*

De Cerdone hæretico, ejuſque hæreſi. *Euſeb. lib. 4. 11.*

tus

JESU CHR. AN. 144. *De præſcript. cap. 51.* *tus eſt*. Illius hæreſis hæc erant capita: *Hic introduxit initia duo, ideſt, duos Deos*, ait Auctor apud Tertullianum, *unum bonum, & alterum ſoevum, bonum ſuperiorem, ſoevum hunc Mundi creatorem. Hic Prophetas, & legem repudiat, Deo creatori renunciat*. Chriſtum etſi veniſſe fateretur, carnem tamen habuiſſe negabat, ac ſpecie tantum, non re ipſa eum e Virgine natum, aut paſſum fuiſſe effutiebat; carnis vero reſurrectionem futuram inficiabat; ex Evangeliis Lucæ tantum, nec integrum recepit, ait idem Auctor, eademque Irenæus, Epiphanius, Auguſtinus, Theodoretus.

De Marcione, hæretico. *Euſeb. ut ſup. Tertull. de præſcript. 30.* II. *Huic autem*, ideſt Cerdoni, *ſuccedens Marcion natione Ponticus Scholam latius propagavit*, idem ait Irenæus apud Euſebium, quem Ponticum quoque, & Stoicæ Philoſophiæ ſtudioſum fuiſſe narrat Tertullianus: *Ubi tunc Marcion Ponticus nauclerus Stoicæ ſtudioſus*, illumque ab Hygini Pontificatu uſque ad Eleutherii perſeveraſſe addit. *Quoto quidem anno Antonini majoris, de Ponto exalaverit aura canicularis, non curavi inveſtigare*, ait Tertullianus, *tamen conſtat Antoninus* (idem ac Marcion) *Hæreticus eſt, ſub Pio impius*; & alibi: *Tertull. contra Marc. lib. 1. 19. de præſcript. ut ſup.* *Nam conſtat illos* (Valentinum & Marcionem) *Antonini fere Principatu, & in Catholicæ primo doctrinam crediſſe, apud Eccleſiam Romanenſem ſub Epiſcopatu Eleutherii benedicti, donec ob inquietam ſemper eorum curioſitatem, quam fratres quoque vitabant, ſemel & iterum ejecti, Marcion quidem cum ducentis ſeſtert[illegible] quæ Eccleſiæ intulerat, noviſſime in perpetuum diſſidium [illegible]ti, venena doctrinarum ſuarum diſſeminarunt*. Sedente vero Aniceto, qui circa annum 261. Pontificatum tenuit, Marcio[illegible]a impietatis ſcholam Romæ habuiſſe tradit *Euſeb. lib. 4. 14.* Irenæus apud Euſebium, de Polycarpo enarrans, quod cum Aniceti tempore Romam veniſſet, *atque ei Marcion aliquando occurriſſet, dixiſſetque, agnoſce nos; reſpondiſſe fertur; Agnoſco te Primogenitum Satanæ*. Denique hac ætate notiſſimum impietate ſua fuiſſe Marcionem, inde patet, quod *Iuſtin. Apol. 1. pag. 59. & 78.* Juſtinus martyr in ſua Apologia prima, quam Antonino Pio obtulit circa annum 140., aut 150. ejuſdem his verbis meminerit. *Marcionem quoque Ponticum in medium produxerant pravi dæmones, qui conditorem Cæleſtium, & terreſtrium Deum, & a ſacris vatibus prænunciatum, Chriſtum filium ejus pernegare nunc quoque docet*. Sub Antonino itaque Imperatore, & Hygino Pontifice cum hæreſim ſuam diſſeminare cœpiſſet Marcion,

Jesu Chr. An. 144.

cion, in Aſia primum eam vulgaſſe tradit Petavius; cui conſentire videtur Hieronymus, dum ait: *Marcion Romam præmiſit mulierem, quæ decipiendos animos ſibi præpararet.* Aliter tamen rem narrat Epiphanius, atque eum Sinope in Ponto, non ſolum virginitatem aliquandiu ſervaſſe, ſed & ſolitariam vitam egiſſe. Progreſſu vero temporis cum virginem quamdam violaſſet, una cum amaſia a proprio patre ex Eccleſia ejectus eſt; *Erat enim pater ipſius propter excellentem pietatem illuſtris, & veritatis inſigniter ſtudioſus, in Epiſcopatus miniſterio honeſte vivens.* Marcion vero patrem ſupplicans, ac veniam precatus, cum ab eo non impetraſſet, dolor enim vexabat venerandum ſenem ac Epiſcopum, quod non ſolum lapſus eſſet ille, ſed quod etiam ipſi dedecus afferret; ideoque ſuorum ludibria cum ægre ferret, inde aufugit, *& Romam venit, cum mortuus eſſet Hyginus Epiſcopus Romanus*, ait Epiphanius. Cum demum a Romano clero, Sede vacante, ut in Eccleſiæ communionem admitteretur poſtulaſſet, repulſam paſſus, eo quod ſine patris ipſius voluntate & conſenſu id non liceret, *ad impoſtoris Cerdonis ſectam confugit*, ac ſchiſma fecit dicens: *Ego ſcindam Eccleſiam veſtram, & mittam ſciſſuram in ipſam in æternum.*

Petav. in Epiph. ad Hær. Tatianorum n. 46.
Hier. epiſt. 133. ad Cteſiph. cap. 2.
Philaſtr. ad hæreſ. c. 46.

12. Cum Cerdone itaque duo rerum principia, ſeu duos Deos ſibi adverſarios adſtruebat Marcion: vetus repudiabat Teſtamentum, novumque pro arbitrio mutilabat, omnia auferens, quæ apud Lucam de generatione Domini conſcripta ſunt, vel in quibus Jeſus Chriſtus Patrem ſuum hujus Univerſitatis conditorem confitebatur: ac veraciorem ſe quam eos, qui Evangelium exararunt, diſcipulis ſuis aſſerebat. Similiter & Pauli Epiſtolas, *auferens quæcumque manifeſte dicta ſunt ab Apoſtolo de eo Deo, qui Mundum fecit*, & quæcumque ex Propheticis Apoſtolus docuit, prænunciantibus adventum Domini. Cumque carnem a malo principio prodiiſſe traderet, ejus Reſurrectionem negavit, vetuitque eam conjugio propagari, ut Tertullianus indicat: qua de cauſa, quæcumque a Deo creata ſunt, eo uſque ſectatores ejus averſabantur, ut vix neceſſitate cogente iis uterentur, ut deliri cujuſdam ſenis exemplo confirmat Theodoretus: *Novi eorum Senem quemdam nonagenarium, qui mane ſurgens, ſputi ſui excremento faciem ſuam lavabat; & cauſam rogatus, dixit, ſe opus nolle habere Creatore, nec aquam, quæ ex illius operibus eſt, accipere;*

De Marcionis erroribus.

Iren. lib. 1. 27.
Tertull. in Marc.
Epiph. ut ſupra.
Tertull. in Marc. lib. 1. cap. 29.
Theodoret. hær. fab. lib. 1. cap. 1.

JESU CHR. AN. 144. *re; cum autem præſentes dixiſſent: quomodo ergo comedis, quomodo bibis, veſtiris, & dormis, & quæ conſtituta ſunt myſteria peragis; dixit, ſe, neceſſitate ductum, hoc facere, quod non poſſet aliter vivere, vel myſteria peragere, & confeſſus eſt inſanus vel invitus, nihil habere eum ab illo, qui vocatur Bonus, ſed omnibus bonis frui, & operibus Creatoris, quem malum Deum putant*. Hucuſque Theodoretus de Marcionitarum inſania, quos in odium Dei Creatoris Sabbato jejunaſſe, ac in myſteriis & ſacrificiis ſolam aquam adhibuiſſe, auctor eſt *Epiph. hær. 42.* Epiphanius.

Marcionis ſcripta. 13. Ut decurtati Evangelii, ceterarumque tum veteris, cum novi Teſtamenti Scripturarum damna repararet, auctoritatemque ſibi apud diſcipulos conciliaret Marcion, nonnulla eis ſcripta reliquit, novum ſcilicet Evangelium, Epiſtolam, Antitheſim, & Apoſtolicum inſtrumentum. Quanto cum fidelium ſcandalo, animarumque ſtrage hæc inſanus homo vulgaverit, *Juſtin. Apol. 1. pag. 59. & pag. 78.* ſuiſque tradiderit, in Apologia prima his verbis teſtatur Juſtinus: *Marcionem quemdam Ponticum, qui etiamnum ſupereſt, ac diſcipulos docet, alium quemdam agnoſcere majorem Mundi opificem Deum. Hic in omni hominum genere, demonum adjumento, perfecit, ut multi in blaſphemias erumperent, ac Univerſi Creatorem Deum Chriſti Patrem eſſe negarent*; & infra: *Marcionem Ponticum pravi dæmones immiſerunt .... Huic multi credentes, ut ſoli verum ſcientes, nos irrident, nullam eorum, quæ dicunt, demonſtrationem habentes, ſed ſtulti, velut agni a lupo rapti in prædam, impiis opinionibus & dæmonibus cedunt. Quare nihil tam barbarum aut triſte apud Pon-* *In Marcionem lib. 1.* *tum, quam quod illic Marcion natus eſt*, ait Tertullianus, *Scytha tetrior, Hamaſobio inſtabilior, Meſſageta inhumanior, Amaſone audacior, nubilo obſcurior, hyeme frigidior, Iſtro fallacior, Caucaſo abruptior, ... jam & beſtiis illius barbariæ importunior Marcion*. Non uno tantum loco hæc peſtis ſubſtitit, ſed multas longe lateque invaſit provincias, diu- *Epiph. hær. 42.* que perſeveravit; ita ut Epiphanius ætate ſua, ideſt ſeculi quinti initio, eam adhuc viguiſſe teſtetur: *Romæ, & in Italia, in Ægypto, & Palæſtina, & in Arabia, ac Syria, in Cypro; item ac in Thebaide, quin & in Perſide, & aliis lo-* *Theod. epiſt. 52. inter Leonis op. edit. Baller.* *cis reperitur*. Sed & Theodoretus in epiſtola ad Leonem Pontificem, ſe in Syria ingentem Marcionitarum numerum inveniſſe, eorumque plurimos ad Chriſti fidem perduxiſſe, aſſerit.

14. In-

14. Inter Marcionis diſcipulos Apelles, Potitus, Baſilicus, & Syneros numerantur, quos ex Rodhone eruditiſſimo Scriptore, qui Marcionitas confutavit, inter ſe diſcordes fuiſſe narrat Euſebius. Primus enim ſanctioris vitæ cultum præſeferens, rerum omnium unum fatebatur eſſe principium; Prophetarum autem oracula ex adverſario ſpiritu profecta eſſe, virginis cujuſdam Dæmoniacæ nomine Philumenæ auctoritate ductus aſſerebat. Alii e contra cum Marcione duo inducebant principia; inter quos Potitus, & Baſilicus. Alii demum in pejus abrepti, non duas ſolum, ſed tres naturas ſomniarunt: *Quorum, ut diſciplinæ illius ſectatores memorant, princeps, & anteſignanus fuit Syneros*. Porro Apelles non tam Marcionis artibus, quam Philumenæ Virginis fallaciis, & forma deceptus fuit: unde Tertullianus: *Si Apellis ſtemma retractandum eſt, tam non vetus & ipſe, quam Marcion inſtitutor, & præformator ejus. Sed lapſus in feminam, deſertor continentiæ Marcionenſis, ab oculis ſanctiſſimi magiſtri Alexandriam ſeceſſit: inde poſt annos regreſſus non melior niſi tantum, quo jam non Marcionites, in alteram feminam impegit; illam virginem Philumenem, quam ſupra edidimus, poſtea vero inmane proſiibulum, & ipſam, cujus energemate circumventus, quas ab ea didicit Phenerоſes ſcripſit*. Is vero a Rhodone interrogatus unde probare poſſet, rerum omnium unum eſſe principium, ſe id quidem neſcire confeſſus eſt; ita tamen ſentire juramento etiam confirmavit: quare *ego hominem deridens reprehendi*, ait Rhodon, *qui cum ſe doctorem profiteretur, doctrinam ſuam rationibus confirmare non poſſet*.

De Marcionis diſcipulis, eorumque erroribus. *Euſeb. lib. 5. 13.*

Tertull. de præſcript. cap. 30.

Euſeb. ut ſupra.

15. Marcionis hæreſim, eo vivente, eruditiſſimi viri confutarunt. Hos inter Juſtinus Martyr in Apologia prima contra iſtiuſmodi ſectam multa adnotat, qui etiam, teſte Hieronymo, *inſignia volumina contra Marcionem edidit, quorum meminit Irenæus*. Poſt Juſtinum Tertullianus adverſus eum ingenii ſui primitias conſecravit, quod opus poſtea auxit, quinque editis contra eumdem libris. Alios etiam Marcionis impugnatores numerat Theodoretus, & Euſebius: *Plurimi adverſus hanc impietatem ſcripſerunt*, ait Theodoretus; *Juſtinus enim Philoſophus & Martyr, & Theophilus Antiochenus Epiſcopus, & Philippus Cortinæ Epiſcopus, & Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus, & Modeſtus, & Origenes, & Rhodon*, cujus

Qui ſcripſerint contra Marcionem.

Juſtin. Apol. ut ſupra.

Iren. lib. 5. adverſ. hæreſ.

Hieron. de Vir. illuſtr. in Juſtin.

Tertull. contra Marcion. lib. 1. 1.

Theodoret. lib. 1. Hæret. fabul.

Euſeb. lib. 5. 16.

JESU CHR. AN. 144.

cujus meminit Euſebius, *&* *Adamantius*, *&* *Hippolytus*, *&* *Euſebius Emiſſenus*; *hi omnes optimi*, *&* *doctiſſimi hanc blaſphemiæ rabiem confutarunt*. Quibus addi poſſunt Epiphanius, Auguſtinus, Philaſtrius, aliique.

Eccleſiæ firmitas adverſus omnes diabolicas machinas. *Matt. 28. 20.* *Lactant. lib. 4. de vera ſapient. & relig. cap. 30. & ult.* Extra Catholicam Eccleſiam nemo ſalvatur.

16. Catholica tamen Eccleſia tot hæreſum monſtris, erroribuſque oppugnata, divino munita præſidio, ac Jeſu Chriſti oraculo firmata, inter tot pericula ac tempeſtates immobilis, inconcuſſaque perſeveravit: *Sola Catholica Eccleſia*, *quæ verum cultum retinet*, verba ſunt Lactantii, *fons eſt veritatis*, *domicilium Fidei*, *Templum Dei*, *quo ſi quis non intraverit*, *vel a quo ſi quis exiverit*, *a ſpe vitæ*, *ac ſalutis æternæ alienus eſt*. Unde autem eadem ab hæreticorum cœtibus, qui ſe quoque Chriſtianos dicunt, & in illa ſe eſſe gloriantur, dignoſci, ac diſtingui poſſit; hanc paſſim regulam SS. Eccleſiæ Patres tradiderunt, ut ad Apoſtolicas, & præcipue ad Romanam provocarent, ita ut, qui eamdem cum iis fidem, communioniſque ſocietatem tenerent, Catholici haberentur; ſecus vero, qui ab Apoſtolicis Eccleſiis, aut fide, aut communione diſſiderent, uti alibi adnotavimus. Unde Tertullianus: *Apoſtolos Domini habemus auctores*, *qui nec ipſi quidem quidquam ex ſuo arbitrio*, *quod inducerent*, *elegerunt*; *ſed acceptam a Chriſto doctrinam*, *fideliter aſſignaverunt*, & poſt multa: *Itaque tot*, *ac tantæ Eccleſiæ una eſt illa ab Apoſtolis prima*, *ex qua omnes*: *ſic omnes primæ*, *&* *omnes Apoſtolicæ*, *dum unam omnes probant unitatem*. Hinc omnem doctrinam, quæ cum Apoſtolicis convenit Eccleſiis, indubiam eſſe, illam vero, quæ eaſdem adverſatur, ex mendacio prodiiſſe docet.

Tom. 1. an. 43. *Tertull. de præſcript. cap. 20. 33. 36. &c.*

Unde Apoſtolicæ Eccleſiæ dignoſcantur. *Tertull. eodem lib. cap. 33.*

17. Tandem poſt plurima in eamdem rem inculcata, ex Epiſcoporum ſucceſſione Apoſtolicas Eccleſias a ceteris eſſe diſtinguendas, his verbis tradit: *Edant ergo origines Eccleſiarum ſuarum*: *evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum*, *ita per ſucceſſionem ab initio decurrentem*, *ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis*, *vel Apoſtolicis viris*, *qui tamen cum Apoſtolis perſeveraverint*, *habuerit auctorem* *&* *anteceſſorem*. *Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt*: *ſicut Smyrnæorum Eccleſia habens Polycarpum*, *ab Joanne collocatum refert* *&c.* Quare hæreticos ad Eccleſias Apoſtolicas provocat percurrendas, in quibus & ipſæ Apoſtolorum Cathedræ ſuis locis extant, & eorum litteræ recitantur; cujuſmodi erant Corintho, Philippis, Theſſalonicæ, & Epheſo, Romæ demum, de qua,

JESU CHR. AN. 144.

qua, *felix*, inquit, *Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt*. *Sic igitur* (idem ajebat alibi) *ſoleo in præſcriptione adverſus hæreſes omnes de teſtimonio temporum compendium figere, priorem vindicans regulam noſtram omni hæretica poſteritate*. Hæc ipſe, cui & ceteri Eccleſiæ Patres ſubſcripſerunt: *Traditionem Apoſtolorum*, ait Irenæus, *in toto Mundo manifeſtam in Eccleſia adeſt perſpicere omnibus, qui vera velint audire: & habemus numerare eos, qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſiis, & Succeſſores eorum uſque ad nos*. Auguſtinus vero Manichæos confutans, inter multa, quibus Catholica Eccleſia ceteris ſocietatibus præſtare demonſtratur, Epiſcoporum etiam ſucceſſionem ab Apoſtolis manantem recenſet, *ut omittam*, inquiens, *ſinceriſſimam ſapientiam, quam in Eccleſia eſſe Catholica non creditis; multa ſunt alia, quæ in ejus gremio me juſtiſſime tenent. Tenet conſenſio populorum atque Gentium. Tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata. Tenet ipſa in Sede Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendavit, uſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum. Tenet poſtremo*, ſubdit, *ipſum Catholicæ nomen; quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit, ut cum omnes hæretici ſe Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel baſilicam ſuam, vel domum audeat oſtendere*. Hæc, aliaque Auguſtinus, quibus adverſus omnium hæreticorum venena antidotum ex ſua ceterorumque Patrum ſententia præparavit. Ex hæreſibus autem nonnulla in Eccleſiam emolumenta derivata fuiſſe non uno in loco tradit idem Auguſtinus; nam inter cetera *multa*, inquit, *ad fidem Catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine agitantur, ut adverſus eos defendi poſſint, & conſiderantur diligentius, & intelliguntur clarius, & inſtantius prædicantur: & ab adverſario mota quæſtio, diſcendi extitit occaſio*. Quæ vera eſſe, vel ipſa experientia docet.

Tertull. lib. 5. contra Marcion. cap. 19.

Iren. lib. 3. cap. 3.

Auguſt. contra Epiſt. Manich. cap. 31.

Quæ utilitas ex hæreſibus.

Auguſt. de Civit. Dei lib. 16. cap. 2.

JESU

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 145.

JESU CHRISTI an. 145. Pii Papæ 4.
Antonini Imp. 8. Coss. Antonino Pio Aug. IV.,
Et M. Aurelio Cæs. II.
Olympiad. 231. an. 1. Urbis an. 898.

De Juſtini libris, & vivendi ratione.

1. Cum Juſtinus, poſt ſuam ad Chriſtum converſionem, totus ſe Scripturarum ſtudio & meditationi dediſſet, tantam chriſtianæ Religionis notitiam, & vitæ ſanctimoniam brevi adeptus eſt, ut exemplo, & ſcriptis Eccleſiam admodum illuſtraret: exemplo quidem, auſteriori vivendi ratione ſuſcepta, ut teſtis eſt Origenes; qua de cauſa inter Aſcetas ab Epiphanio recenſetur. Severioris vero diſciplinæ indicium erat pallium, quo induebatur: unde cum eum in Epheſini Xiſti ſpatiis ambulantem vidiſſet Triphon, Philoſophum cognovit; non indignum quippe putavit, Chriſti Sacerdotem Philoſophum agere. Eum autem non ſolum Philoſophum Chriſtianum, ſed & Epiſcopum, aut ſaltem Presbyterum fuiſſe, tota ejuſdem vitæ ſeries, ac Chriſtianæ fidei promovendæ ſtudium, non obſcure indicat; qui etiam cœremonias Baptiſmi ſic deſcribit, ut illius adminiſtrandi jus, & munus habuiſſe videatur: *Nos autem*, inquit, *poſtquam eum, qui credidit, & aſſenſus eſt, ſic abluimus, ad eos, qui dicuntur fratres in locum, ubi congregati ſunt, adducimus, communes preces animo intento facturi*. Alio in loco ſe inter Chriſtiani populi Principes collocat; id etiam illius martyrii Acta demonſtrant, quibus conſtat Romæ in ejus domo Chriſtianorum cœtus fuiſſe celebratos. Sed & Præfectus ſacerdotali eum dignitate fuiſſe innuit, ejuſdem diſcipulos his verbis compellans: *Chriſtianos vos fecit Juſtinus*.

Orig. contra Celſum lib. 15.
Juſt. dialog. cum Triph. initio.
Præf. in oper. Juſt. cap. 2.
Apol. 1. cap. 65.
Dialog. n. 82.
Juſtini acta n. 3.

De Juſtini oratione ad Græcos.

2. Inter edita Juſtini commentataria, duæ ad Græcos cohortationes numerantur, quarum prima oratio adverſus Græcos inſcribitur; altera vero cohortatio ad Græcos. Hanc poſtremam non multo poſt ſuſceptum baptiſma vulgaſſe, inde facile probatur, quod converſionis ſuæ rationem in ea reddens, nec temere, nec abſque maturo conſilio ſe Chriſtianam Religionem ſuſcepiſſe narrat: *Ne exiſtimate, Græci*, ait, *ab initio nulla me cum ratione, aut nullo cum judicio a veſtris ritibus deſciviſſe; nihil enim ſanctum aut Deo acceptum in illis inveni*; & comprobata vanitate Religionis Gentilitiæ, qua tur-

turpiſſima etiam crimina laudantur, Græcos enixe hortatur, ut ad Chriſti fidem accedant: *Eſtote*, inquit, *ut ego, quoniam & ego eram ut vos*. Securitatem deinde, tranquillitatemque ex bona conſcientia manantem promittit, ut ibidem videri poteſt.

De Juſtini Cohortatione ad Græcos.

3. Fuſiori ſtylo eadem proſequitur in cohortatione ad Græcos, ad quos orationis initio hæc præfatur: *Cohortationem apud vos, Græci, inſtituens, Deum precor, ut mihi quidem apud vos, ut par eſt, dicere contingat; vos autem priſtinam pertinaciam relinquentes, & a majorum diſcedentes errore, quæ utilia ſunt in præſentia eligatis*. Ne majorum auctoritati, ac præjudiciis plus juſto inſervire velint, hortatur, cum ſæpius accidat, ut quæ vera aliquando viſa ſint, accurata rerum inveſtigatione ſuſcepta, falſa inveniantur: ideoque in religionis negotio, vel maxime cavendum eſſe admonet, ne in ejuſmodi errore maximo cum periculo perſeveretur. Quare rem Philoſopho dignam ſe facturum ait, de Religionis chriſtianæ, æque ac de gentilitiæ magiſtris inquirere, ut qui, & quales, quibuſque temporibus ii fuerint, aut vixerint, patere poſſet. Duabus autem potiſſimum partibus tota conſtat Oratio; quarum prima demonſtrat, veritatis cognitionem apud Poetas, aut Philoſophos Gentiles fruſtra quæri. Altera a Prophetis petendam eſſe oſtendit, & ex Hebræorum libris, quorum auctoritatem, & antiquitatem ceteris ſcriptoribus præſtare plurimis oſtendit argumentis, nullumque eorum Moiſe antiquiorem eſſe evincit. Ideoque ſi quid Ethnici ſcriptores veri tradiderint, Divinæ Providentiæ id tribuendum eſſe affirmat, qua factum eſt, ut multa veræ Religioni conſentanea a Philoſophis, vel Poetis dicerentur, ab iis præſertim, qui in Ægypto peregrinati ſunt, ubi Moſaicæ doctrinæ reliquias quodammodo collegerunt. Hæc, aliaque plura Juſtinus de chriſtianæ Religionis præſtantia ſupra ceteras Philoſophorum ſectas, ut ibidem videre eſt.

De libro de Monarchia, aliiſque.

4. Orationem, & cohortationem ad Græcos excipit liber de Monarchia, quo de origine Idololatriæ nonnulla præfatus, unum eſſe Deum probat ex teſtimoniis Gentilium Poetarum, & Philoſophorum: deinde omnes homines rationem Deo reddituros eſſe, cui propterea utpote ſoli Deo vero, & immutabili inſerviendum profitetur. Juſtini Opuſcula contra Gentiles edita recenſens Euſebius, præter duas Apologias, & Dialogum cum Triphone, addit: *Eſt & alius ejus liber adverſus*

Euſeb. lib. 4. cap. 11. & 18. Hier. de Vir. illuſtr. in Juſtin. Phot. Cod. 125.

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 145.

verſus Gentiles, in quo cum de aliis plurimis quæſtionibus, quæ tam a noſtris, quam a Gentilium philoſophis agitari ſolent, uberrime diſputat, tum de Dæmonum natura ſententiam ſuam exponit: & poſt pauca: *Alius præterea ejuſdem liber adverſus Gentiles ad nos pervenit, quem ille confutationem inſcripſit. Præter hos libros eſt etiam alius de monarchia Dei, quam quidem non ſolum auctoritate ſacrorum apud nos voluminum, ſed Gentilium etiam ſcriptorum teſtimoniis aſſerit. Eſt & alius liber, cui titulum fecit Pſaltes. Alius item excerptorum liber de anima, in quo propoſitis variis interrogationibus, quæ ad argumentum illud pertinent, Gentilium Philoſophorum affert ſententias, quibus etiam ſe contradicturum, ſuamque de his ſententiam in alio opere prolaturum eſſe pollicetur*. Libri quidem pſaltes inſcripti, & excerptorum de anima perierunt. At an duæ contra Græcos Orationes, quæ uſque nunc Juſtino inſcribuntur, & de quibus hactenus egimus, eidem adjudicandæ ſint, ab aliquibus dubitatur; eo quod cum inſcriptione, aut argumento librorum, quorum Euſebius meminit, convenire vix poſſunt. In primis etenim Euſebius teſtatur, in altero adverſus Gentiles libro Juſtinum ſuam de natura Dæmonum ſententiam exponere; alium vero confutationis titulo inſignitum fuiſſe, quæ inſcriptio orationum neutri aptari poteſt. Aſt ut ab eruditiſſimo Juſtini Editore, aliiſque adnotatum eſt, immerito ea de cauſa duæ orationes illi abjudicarentur, cum fieri faciliime potuerit, ut prima, eaque breviſſima adverſus Græcos oratio, Euſebii diligentiam brevitate ſua aufugerit, ſicque eam inter Juſtini opera præterierit. Quod autem ad longiorem orationem ſpectat, quæ nunc cohortatio ad Græcos inſcribitur, alius omnino liber eſt ab eo, quem Euſebius eidem adſcribit, ubi de natura Dæmonum diſſerebat, quique inter deperditos numeratur: hanc ipſam cohortationem ſub titulo confutationis, ſeu Elenchi deſignavit Euſebius; nemo tamen ignorat, quanta licentia in librorum inſcriptionibus librarii uſi ſint: ac proinde nil mirum, ſi diverſa nunc ejuſdem occurrat inſcriptio, eaque propter cum revera in argumento conveniat, unus idemque liber habendus eſt, ſive confutationis, aut Elenchi titulo appelletur, ſive ad Græcos cohortatio, ut Juſtini Editor, Tillemontius, aliique demonſtrant. Librum etiam de Monarchia, ſeu de ſingularitate Dei, quem Juſtino tribuunt Euſebius, Hieronymus, ac Photius, recentiorum nonnulli, an eidem inſcri-

Præf. in oper. Juſt. pag. 69. Tillem. to. 2. pag. 370. Dupin. Bibl. to. 1. pag. 121. Blondell. de Sybill.

bi

bi debeat, dubitant, cenſentque librum ab Euſebio citatum, aut omnino diverſum fuiſſe, aut ſaltem mutilum ad nos perveniſſe; eo quod eum ſacris, profaniſque teſtimoniis refertum fuiſſe, Euſebius tradat: qui vero de Monarchia inſcribitur, profanis tantum teſtimoniis conſtat. At difficultas hæc, quæ ex Valeſii lectione oritur, quæque eruditos viros in eam ſententiam traxit, omnino evaneſcit, ſi cum Juſtini Editore ſic Euſebium interpretemus: *Eſt & alius liber de Monarchia Dei, quem quidem non modo non ex ſacris apud nos Scripturis, ſed etiam ex ipſis Gentilium libris aſſerit*; ita ut pro negatione ſint ea verba *non modo non ex ſacris &c.*, ideſt, quem non ex ſacris libris, *ſed ex ipſis Gentilium libris*. Cujus locutionis apud Grammaticos, & Oratores plura exempla occurrunt. Neque in toto operis exordio conſilium, aut voluntas ulla deprehenditur ſacræ Scripturæ Ethnicis objiciendæ; quinimmo profitetur, ſe Græcorum litteris tantum uſurum: *Hoc autem non pigmentis verborum exprimam, ſed argumentis omnino utar ex vetuſta Græcorum hiſtoriæ poeſi repetitis; ex quibus enim monumentis præclari ſimulacrorum cultores hanc plebi ſuperſtitionem inſtar legis impoſuerunt, ex his edocebuntur, & a ſuis ipſorum poetis deſipere arguentur*. Quid itaque mirum, ſi in eo libro Scripturæ teſtimoniis non utatur, cum id & in operis exordio promiſerit?

Jesu Chr. an. 145.

Dupin. tom. 1. Bibliotb. pag. 121.
Tillem. tom. 2. pag. 369., & nota 7. Natal. Alex. hiſt. Sæcul. 2. cap. 4. artic. 2.
Baſnag. an. 165. 9.

Cic. de Offic. lib. 2.

Lib. de Monarchia in Exordio.

5. Nec Ethnicis tantum, aut Judæis operam ſuam Juſtinus contulit, immo & Hæreticis, quos ab errore tum colloquiis, ut ipſe teſtatur, cum etiam eruditis ſcriptis revocare curavit. Singulari tamen opere Marcionem, qui Romæ venena ſua ſpargebat, aggreſſus eſt; cujus elucubrationis non ſolum Irenæus, Euſebius, Hieronymus, ſed & idem Juſtinus in prima Apologia mentionem fecit: *Eſt etiam liber a nobis compoſitus adverſus omnes, quæ unquam fuerunt hæreſes, quem librum vobis, ſi ita videtur, legendum trademus*. Hi autem libri contra hæreticos, ficuti & alii ab Euſebio, aliiſque commemorati, hactenus deſiderantur. De celeberrima vero ad Diognetum epiſtola, an Juſtino inſcribenda ſit, nec ne, inter Eruditos controvertitur. Illi ſiquidem ab eruditiſſimis viris tribuitur: alii e contra, ob ſtyli præcipue differentiam, ipſi abjudicant, quorum fere primus Tillemontius. Quare rem in incerto relinquendam cenſemus, non tam ob Tillemontii conjecturas, quæ facile ſolvi poſſent, ſed ob

De Juſtini libris contra Hæreticos.

De epiſtola ad Diognetum; an Juſtini ſit, dubitatur.

Baſna. an. 165. num. 6.
Tillem. tom. 2. pag. 371.
Dupin. tom. 1. Bibl. pag. 124.
Orſi tom. 1. pag. 268.
Præf. in oper. Juſtin. pag. 74.

Jesu Chr. an 145.

De argumento epiſtolæ ad Diognetum, qua mores Christianorum deſcribuntur.

Tillem., Orſi, ut ſupra.

Juſt. ep. pag. 235.

ob veterum de ea ſilentium, & ob ſtyli elegantiam, quæ paulo floridior ibidem apparet, quam in ceteris Juſtini operibus.

6. Cujuſcumque tamen ea epiſtola ſit, nil ejuſdem auctoritati detrahitur, cum antiquiſſimum ſane eruditumque auctorem habuerit, & inter pretioſiora antiquitatis monumenta recenſeatur. In ea enim, quibus legibus, moribuſque Fideles viverent, mirifice exponit idem Auctor, Diogneto rationem reddens, cur ipſi Gentilium idola non colerent, etſi eamdem fere in Republica vivendi rationem ſequerentur. Unde ajebat: *Chriſtiani neque regione, neque ſermone, neque politicis vitæ inſtitutis a ceteris hominibus ſunt diſtincti*, in eo tantum a Gentilibus diſcrepantes, quod ii in patria veluti peregrini degebant, omniſque peregrina regio patria eiſdem erat. Liberorum procreandorum cauſa uxores quidem ducebant; haud tamen, Gentilium exemplo, fœtus exponebant: & cum in carne eſſent, non ſecundum carnem vivebant; in terra quippe degentes, in cœlo quodammodo converſabantur.

Quod eſt anima in corpore, id in Mundo Chriſtiani.

7. Tandem *ut ſemel omnia complectar, quod eſt in corpore anima, hoc ſunt in Mundo Chriſtiani*, ait idem Auctor; ſicut enim anima per omnia corporis membra diffuſa eſt, & Chriſtiani per Mundi civitates diſperſi ſunt. Habitat illa in corpore, ſed non eſt e corpore: ita Chriſtiani cum in Mundo habitent, e Mundo non ſunt. Inviſibilis ipſa in viſibili corpore, tamquam in præſidio, eſt conſtituta: ſic & hi ſingulatim cognoſcuntur, dum in Mundo commorantur; ſed inviſibilis eſt divinus eorum cultus. Odit animam caro, & bellum in eam gerit, eo quod illicitis voluptatibus frui prohibeatur: ſic Mundus Chriſtianos perſequitur, quoniam ipſius oblectamenta aſpernantur. Sicut anima carnem amat, & membra, quæ odio eamdem habent: ita Chriſtiani in oſores amorem conferunt. Hi quidem in Mundo, tamquam in cuſtodia detenti, Mundum conſervant: ſic & illa incluſa corpore, corpus ipſa vivificat. Et quantum illud cibo, ac potu male tractatur, eo melior fit anima: quemadmodum creſcit Chriſtianorum numerus, dum ſuppliciis crudeliter afficiuntur. Quare poſt multa de invicta eorumdem in paſſionibus tolerantia, *non vides*, inquit, *feris objectos, ut abnegent Dominum, & non vinci? non vides, quo plures, qui ſuppliciis afficiunt, tanto majorem aliorum eſſe numerum. Hæc non videntur ab homine fieri; hæc ſunt Dei potentia, hæc adventus ejus ſunt indicia*. Deinde oſtendit,

tam

tam ſero Filium Dei ad ſalvandos homines veniſſe, eo quod Jesu Chr.
oportebat, ut homines ſe vita æterna indignos cognoſcerent, an.145.
nec in alio juſtificari poſſe. Diogneto demum denuntiat, quanta ad eum ventura eſſent bona, ſi Chriſti Fidem ſuſcepiſſet. Hunc vero, inveriſimile non eſt, eumdem fuiſſe, quem ob Picturæ, & Philoſophiæ peritiam Marco Aurelio Imperatori acceptiſſimum ſcriptores perhibent.

8. De aliis Opuſculis Juſtino falſo adſcriptis, ut eſt De Operibus
epiſtola ad Zenam, & Serenum, aut expoſitio rectæ fidei, Juſtino ſup-
quæſtiones, & reſponſiones ad Orthodoxos, aliæ Chriſtiano- poſitis.
rum ad Græcos, & viciſſim Græcorum ad Chriſtianos, Ariſtotelicorum dogmatum confutatio, aut ſi quod aliud opus ejus nomine circumfertur, nil ultra addimus; ea etenim utpote apocrypha a Juſtini Editore rejiciuntur, falſitatiſque argumenta ibidem videri poſſunt.

9. His de Juſtini ſtudiis, & operibus adnotatis, de ejuſ- Juſtinus
dem geſtis pauca ſubnectimus. Eum Romæ tunc temporis degiſ- Evangelium
ſe, Euſebius teſtatur; *Nam in urbe Roma domicilium habe-* prædicat.
bat. Ubinam vero habitaret, quidve ageret, idem narrat *Euſeb. lib.4. 11.*
Juſtinus: *Ego*, inquit, *prope domum Martini cujuſdam ad* *Juſtini acta*
Balneum cognomento Timiotinum hactenus manſi; veni au- *pag.634. n.2.*
tem in urbem Romam ſecundo. Neque alium quempiam conventus locum, niſi quem dixi, cognoſco; ac ſi quis venire voluit, communicavi cum illo veritatis doctrinam. Unus ex illis, qui cum eo ſimul paſſi ſunt, Evelpiſtus nomine, teſtatus eſt, ſe Juſtini *ſermones magna cum voluptate audiviſſe*. Quare & Præfectus ab ipſius diſcipulis quærit: *Quem in locum conveniant, & diſcipulos ſuos Juſtinus congreget*; & ad confeſſionis, ac martyrii ſocios iterum: *An*, inquit, *Chriſtianos vos fecit Juſtinus*. Prædicandi autem munere a Deo ſibi commiſſo tanto animi ardore, tantaque diligentia fungebatur, ut grandis peccati reum ſe in judicio futurum putaret, ſi docendi oblatam occaſionem prætermiſiſſet: *Noſtrum munus eſt*, in- *Apolog.1.n.3.*
quiebat, *ut vitæ & doctrinæ noſtræ inſpiciendæ copiam omnibus faciamus, ne pro iis qui res noſtras ſibi videntur ignorare, pœnam eorum, quæ cæcutientes peccaverint, ipſi debeamus*. Eadem de ſe ipſo teſtatur in Dialogo cum Triphone. Tanta por- *Juſt. dial.n.38.*
ro illi erat in docendo charitas, & patientia, ut nulla ho- *44. 58. 82.*
minum importunitas, & procacitas eum retardaret, aut pericula deterrerent, ut ex ejuſdem verbis colligitur: *Atque*

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 145. *hæc quidem dixi, quia ita ſum affectus animo, ut nihil prorſus dixerim, in quo aliud curem, quam ut verum dicam, neminem reverſiturus, etiamſi e veſtigio diſcerpi a vobis oporteat;* Sed de his hactenus.

Antonini præclara geſta.

10. Etſi plura hoc anno Antoninum geſſiſſe, eaque præclara, narrent hiſtorici; in iis tamen exponendis diu non immorabimur, atque adnotare ſufficiet, eum Urbem, & Orbem quodammodo ædificiis plurimis exornaſſe, eximiaque munificentia, tum Romanos, cum ceteros Imperii ſubditos ſublevaſſe; de quibus plura apud Capitolinum videri poſſunt.

Capitol. in Anton. vita cap. 8. & 9.

JESU CHRISTI AN. 146. PII PAPÆ 5.
ANTONINI IMPERATORIS 9.
COSS. SEX. ERUCIO CLARO II., ET EN. CLAUDIO SEVERO.
OLYMPIAD. 231. AN. 2. URBIS AN. 899.

Romanorum cœca ſuperſtitio.

1. Horum Conſulum inſigne monumentum extat in Inſcriptione Græca, quæ latine ſic ſonat:

Baron. Baſnag. an. 146. Veris epiſt. I.

SACER ORDO PEANISTARUM,
ROMÆ DEI SOLIS,
MAGNI SERAPIDIS,
ET DEORUM VENERANDORUM,
HONORARUNT EMBEM PROPHETAM,
PATREM PRÆSCRIPTI ORDINIS,
STEMMATE MARMOREO,
QUOD POSITUM EST IN DOMO PEANISTARUM,
PRIDIE NONARUM MAII,
QUÆ EST SECUNDUM ALEXANDRINOS PACHON XI.,
SUB CURATORE METELLIO AMPLA SENIORE,
SEXTO ERUCIO CLARO II.,
ET ENEO CLAUDIO SEVERO CONSULIBUS.

Ejus inſcriptionis occaſione adnotat Baronius, quod dum Romani chriſtianæ infenſi Religioni, eam perſequerentur, utpote qui in ſordibus erant magis ſordeſcerent, novis ſuperſtitionibus implicabantur, Serapidem ſcilicet, alioſque Ægyptiorum Deos profano cultu venerantes. Serapidis quidem, & Iſidis, Ægyptiorumque Numinum religio ſæpe Romæ vetita fuerat, ut Dio, Tacitus, & Svetonius habent; quin Tiberius Ægyptios

Dio hiſt. Rom. lib. 40. 42. 47. 53. Tacit. annal. lib. 2. Suet. in Tiber. cap. 36.

ptios ſacerdotes Romæ commorantes crucis etiam ſupplicio affecit. Iſidis Templum diruit, ſtatuamque in Tiberim mergi juſſit. At Ægyptiorum Sacra ſæpe Roma pulſa, ſæpe reſtituebantur, ita ut & Embeu Serapidis Propheta, ideſt Sacerdos, inſigni monumento, ſeu marmoreo ſimulacro hiſce Conſulibus donatus fuerit.

JESU CHR. AN. 146.

JESU CHRISTI AN. 147. PII PAPÆ 6.
ANTONINI IMPERATORIS 10.
COSS. LARGO, ET MESSALINO.
OLYMPIAD. 231. AN. 3. URBIS AN. 900.

1. Filiam ex Fauſtina habuit hoc anno Marcus Aurelius, cui Lucillæ nomen impoſitum eſt; quo etiam novis honoribus eſt auctus, *tribunitia ſcilicet poteſtate, atque Imperio Proconſulari extra Urbem, addito jure quintæ relationis*, ait Capitolinus, ideſt ut quinquies relationem in Senatu extra Conſulatum facere poſſet. Quid autem Tribunitia poteſtate, & Proconſulari Imperio tributum ſit, non ſatis conſtat, de quibus plura apud Pagium, & Noriſium videri poſſunt. Sæculares etiam Ludos hoc anno Antoninum celebraſſe eruditorum plurimi, Victoris Aurelii auctoritate, contendunt. Pagius tamen ob Cenſorini ea de re ſilentium negat, in quibus immorari inſtituti noſtri ratio non patitur.

Marcus Aurelius Imperio proconſulari decoratur.

Capitol. in Marc. cap. 6.

Pag. ad hunc an. Noriſ. epiſt. ad Pag. Ibid. num. 18. 19. 20.

JESU CHRISTI AN. 148. PII PAPÆ 7.
ANTONINI IMPERATORIS 11.
COSS. C. BELLICIO TORQUATO, ET JULIANO.
OLYMPIAD. 231. AN. 4. URBIS AN. 901.

1. Inter cætera Antonini Imperatoris præclare geſta, illud non eſt prætereundum, bonas artes amplificare eum ſtuduiſſe; qua de cauſa Rhetoricis, & Philoſophis per Imperii Romani provincias conſtitutis, honores, & ſtipendia contulit, vel auxit: juris etiam conſultis celeberrimis Vinidio Vero, Salvio Valente, Voluſio Meſiano, Ulpio Marcello, & Jaboleno, quorum reſponſa in Digeſtis leguntur, in jure dicendo utebatur. Quantæ autem manſuetudinis eſſet, hoc unico argumento conſtat; quod Omuli domum (anno 152. Conſulis) ingreſſus, cum porphyreticas columnas vidiſſet, admiranſque inter-

De Antonini Imperat. geſtis.

Capitol. in Antonin. cap. 11. & 12.

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 148. interrogaſſet, unde eas habuiſſet; Omulus reſpondit: *Cum in domum alienam veneris, & mutus, & ſurdus eſto*, patienter tulit. Sed hæc de Antonini geſtis ad hunc annum dixiſſe ſufficiat.

JESU CHRISTI AN. 149. PII PAPÆ 8.
ANTONINI IMPERATORIS 12.
COSS. SER. SCIPIONE ORPHITO, ET Q. NONIO PRISCO;
OLYMP. 232. AN. 1. URBIS AN. 902.

Chriſtiani ſub optimis Principibus magis, quam ſub improbis vexati.

1. De Juſtini Apologia prima anno ſequenti acturi, de ejus ſcribendæ cauſa nunc inquirimus, quam non aliunde habuiſſe conſtat, niſi ex infeliciſſimo Chriſtianorum ſtatu, cum ſcilicet a Magiſtratibus Provinciarum, & concivibus ubique vexarentur. Nec mirum ſub optimis Principibus, inter quos merito Antoninus recenſetur, Chriſtianos publico, privatoque odio fuiſſe inſectatos. Ut etenim Eminentiſſimus Urſius adnotavit, primo Eccleſiæ ſæculo chriſtiana Religio tamquam Judaicæ ſurculus, aut ſecta habebatur; cumque hæc Romanis legibus permiſſa eſſet, hinc Chriſtiani ſub Judaiſmo quodammodo latentes ſecuri aliquandiu vixerunt; nec gravem paſſi ſunt perſecutionem, niſi ab impiiſſimis tyrannis, quales Nero, & Domitianus fuerunt. At temporis progreſſu, cum ubique Evangelica fulgeret lux, & ad Eccleſiam undequaque confluerent populi cujuſcumque generis, & conditionis, atque avitam Religionem Chriſti Eccleſia delere videretur; tunc quique Imperatores, quibus & Reſpublica cordi erat, & antiqua Religio, ſine qua illam vigere, aut ſtare minime poſſe opinabantur, ut chriſtiana Religio veluti Reipublicæ peſtis deſtrueretur, nihil inexpertum reliquerunt. Novis enim aut in ipſam vulgatis edictis, aut ſaltem provinciarum Præſidibus, Idolorum ſacerdotibus, aliiſque Chriſtiani nominis adverſariis, data in Chriſtianos ſæviendi licentia, ab Orbe eam Romano exterminare conati ſunt.

Orſi tom. 2. pag. 2.

Locales perſecutiones contra Chriſtianos excitatæ.

2. Sed ad Antoninum Imperatorem, unde digreſſa eſt, oratio redeat; qui etſi inter Eccleſiæ perſecutores non recenſeatur, plurimas tamen locales perſecutiones ſub ipſo in Chriſtianos excitatas fuiſſe, ſcimus; quod adeo certum eſt, ut & Dodwellus, qui eaſdem, & numero, & feritate minuere pro viribus tentavit, id ipſum fateri cogatur. Nec a vero abeſt, an-

Dodwel. diſſert. 11. Cypr. §. 33.

annuente ſaltem, ſi non impellente eodem Antonino, Fideles fuiſſe vexatos; nam non in Provinciis tantum, ſed & Romæ quandoque perſecutio viguit. Nec mirum; nam Antoninus Deos ſuos tanta proſequebatur veneratione, ut teſte Capitolino, eis continuo ipſemet ſacrificaret, *ne uno quidem die per Vicarios, niſi æger*; hinc facile fiebat, ut Chriſtianæ Religionis aſſeclas odiſſet. Ubi autem ex perſecutiones ſævierint, aut quouſque invaluerint, etſi de omnibus non conſtet; conſtat tamen plurimis in locis eaſdem extitiſſe, ut Romæ, Samariæ, viciniſque in regionibus, quemadmodum ex Juſtini Apologia, & Dialogo cum Triphone patet: in Aſia etiam aliiſque locis, ut ex Antonini reſcripto ad commune Aſiæ, & ejuſdem epiſtolis *ad civitates datas, nominatim vero ad Lariſſeos, ad Theſſalonicenſes, ad Athenienſes, ad univerſos denique Græcos*, ut ex Melitonis Apologia refert Euſebius; quam generalem quodammodo fuiſſe, indicat Juſtinus, dum in Dialogo cum Triphone ait: *In toto Mundo nemini Chriſtianorum vivere permittitur*. Eas autem ad Chriſtianorum cædes uſque proceſſiſſe, certiſſimis evincitur argumentis. In primis hoc idem Imperator in reſcripto ad commune Aſiæ teſtatur: *Et Chriſtianos expellitis, & ad mortem uſque perurgetis*. Sed & Juſtinus diſertis verbis idipſum tradit in ſua Apologia ad Antoninum: *Propter confeſſionem torquetis cauſa non judicata, ſupplicia infertis*; & poſt multa: *Ad inquiſitionem veſtram Chriſtianos nos eſſe profitemur, cum quidem mortis ſupplicium profeſſis propoſitum ſciamus. Si enim humanum expectaremus Regnum, inficiaremur utique, ne occideremur .... perlibenter Chriſtum confitemur, mortem quoque adimus, ad mortem rapimur*. Hæc inſuper Imperatoris auctoritate, aut conniventia facta fuiſſe, patet ex Apologiæ concluſione, ubi ſic Beatus Martyr Pium interpellat: *Neque ita contra eos, qui nihil per injuriam iniqui admiſerunt, perinde atque adverſus hoſtes ſupplicium capitis ſtatuite. Illud autem vobis prædicimus, vos minime evaſuros eſſe futurum Dei judicium, ſi in hac iniquitate perduraveritis*. Et de earumdem perſecutionum acerbitate in Dialogo cum Triphone hæc iterum Juſtinus: *Quod namque dum gladio percutimur, & in Crucem agimur, & beſtiis objicimur, & vinculis, & igne, & tormentis aliis omnibus plectimur, & excruciamur, a profeſſione noſtra non diſcedamus, ſatis conſtat*. Tandem Chriſtianis infauſtum fuiſſe Antonini

Jesu Chr. an. 149.

Euſeb. lib. 4. 13. & 26.

Juſt. Apol. 1.

Num. 68.

Juſt. dial. num. 96.

Aringhius Romæ ſubterr. lib. 3. cap. 22. pag. 524.

tonini Imperium docet vetus inſcriptio ex Calixti Cæmiterio eruta, quæ Alexandri Martyris Epitaphium exhibet his verbis:

ALEXANDER MORTUUS NON EST,
SED VIVIT SUPER ASTRA.
ET CORPUS IN HOC TUMULO QUIESCIT.
VITAM EXPLEVIT CUM ANTONINO IMPER.
QUI UBI MULTUM BENEFICII ANTEVENIRE PRÆVIDERET,
PRO GRATIA ODIUM REDDIT:
GENUA ENIM FLECTENS VERO DEO SACRIFICATURUS,
AD SUPPLICIA DUCITUR.
O TEMPORA INFAUSTA?
QUIBUS INTER SACRA, ET VOTA
NE IN CAVERNIS QUIDEM SALVARI POSSIMUS!
QUID MISERIUS VITA!
SED QUID MISERIUS MORTE!
CUM AB AMICIS,
ET PARENTIBUS SEPELIRI NEQUEANT.
TANDEM IN COELO CORUSCAT.

Eouſque itaque hac ætate Romæ perſecutio efferbuerat, ut nequidem in cavernis tuti eſſent Chriſtiani, neque poſt martyria eoſdem ſepulturà donari liceret. Quo unico Alexandri Martyris exemplo conſtat, falſo ſcripſiſſe Dodwellum, nullos alios, præter a Juſtino memoratos, ſub Antonino Martyrium ſubiiſſe; nam quæ hactenus de eadem perſecutione adnotavimus, ſatis evincunt, eorumdem quamplurimos fuiſſe, etſi eorum geſta perierint, aut nomina ignoremus.

JESU CHRISTI AN. 150. PII PAPÆ 9.
ANTONINI IMPERATORIS 13.
COSS. GALLICANO, ET VETERE.
OLYMPIAD. 232. AN. 2. URBIS AN. 903.

De Juſtini Apologia prima.

Pag. an. 148. not. 3.
Præf. in Juſt.
Tillem. in Juſtin. n. 10. pag. 650.
Valeſ. in Euſeb. lib. 4. 16.

1. Duas pro Chriſtiana Fide Apologias concinnaſſe Juſtinum Martyrem, eaſque Imperatoribus obtuliſſe, diſertis verbis teſtatur Euſebius: an ambæ adhuc extent, nonnulli dubitant, atque unam tantum, longiorem ſcilicet ſupereſſe, tradunt. Quæ hodie ſecunda inſcribitur tanquam primæ præfationem habent: alteram vero deperditam, aut nunquam vulgatam

Digitized by Google

gatam fuiſſe aſſerunt. Figmenta tamen hæc ſunt eruditis viris indigna, ac prorſus rejicienda. Utraque etenim adhuc Apologia ſupereſt, longior ſcilicet, & brevior: quarum primam Antonino, filiiſque inſcripſit Juſtinus; alteram vero Marco, & Lucio, ut ex earum inſcriptionibus patet. Sed & Euſebius de ſecunda Apologia loquens, inſignem locum recitat de Creſcente Philoſopho, qui in ſecunda quoque Apologia legitur: unde eamdem eſſe ab Euſebio citatam, dubitari non poteſt, ut cuique locum conſulenti patebit.

Euſeb. lib. 4. cap. 12. 13. & 16. 17. & lib. 2. cap. 13.

2. Apologiam primam, ſeu longiorem anno 140. circiter Imperatoribus oblatam fuiſſe, eruditorum quamplurimi tradunt: tardius alii id contigiſſe ſcribunt, ſcilicet circa annum 150., quorum ſententiæ ſubſcribimus. Primi quidem Euſebiani Chronici auctoritate innituntur, ubi anno 140. Juſtinum primam Apologiam obtuliſſe legitur: addunt etiam, ſi circa annum 150. eamdem vulgaſſet, quo tempore Veriſſimus Cæſarea dignitate decoratus jam fuerat; ejuſmodi titulo procul dubio eum exornaſſet, qui in Apologiæ inſcriptione deſideratur. Tanti tamen hæc non ſunt, ut litem dirimere poſſint. In primis enim, quod ad auctoritatem Chronici Euſebiani attinet, adnotari poteſt, illud interpolatum ad nos tranſiiſſe, unde ejus auctoritas facile nutat; cum præſertim idem Euſebius in hiſtoria non obſcure innuat, Marcionis hæreſim, de qua Juſtinus bis in Apologia ſua meminit, circa annum 140. ortum habuiſſe. Cumque Juſtinus Apologiam vulgaverit eo tempore, quo Marcionis hæreſis ubique diffuſa erat; hinc ſequitur, nullatenus circa annum 140., ſed potius aliquot poſt annos, & circa annum 150. eamdem edidiſſe. Quod ad alterum ſpectat, Cæſaris ſcilicet titulum in Apologiæ inſcriptione deſiderari, qui Veriſſimo debebatur, dicimus vel Juſtino, vel Librariorum injuria excidiſſe; vel etiam ubi legitur: *Antonino Pio Auguſto Cæſari, & Veriſſimo filio*, legendum eſſe *Antonino Pio Auguſto, & Cæſari Veriſſimo filio*; quam lectionem veriorem eſſe nonnulli contendunt.

Quo anno prima Apologia ſcripta ſit.

Pag. n. 4. an. 148.
Scalig. in Animadverſ.
Euſeb. p. 298.
Petav. in Epiph. hær. 46.
Baſnag. ann. 139. Cleric. an. 139.
Pearſon. in vindic. Ignat. pag. 8.
Valeſ. in Euſeb. lib. 4. 8.
Præf. Juſtin. pag. 82.
Ruin. Præf. in Act. pag. 36.
Tillem. not. in Juſt. 10. pag. 650., & in Marcionitas not. 2. p. 606.

3. At ad ipſam Apologiam nunc oratio dilabitur, cujus hoc eſt exordium: *Imperatori Tito Ælio Hadriano Pio Auguſto Cæſari, & Veriſſimo filio Philoſopho Cæſaris natura filio, Pii autem adoptivo doctrinæ Amatori, ſacroque Senatui, & univerſo Populo Romano, pro iis, qui ex omni hominum genere vocati præter æquum odio habentur, & vexantur, Juſti-*

De Apologiæ argumento.

Jesu Chr. An. 150.

nus Priſci filius, Bacchi Nepos, Flaviæ Neapolis in Syria Palæſtinæ civium, unus ex illorum numero, orationem, & ſupplicationem conſcripſi. Vel ipſa inſcriptione maxima cum animi conſtantia Chriſtianæ Religionis defenſionem ſuſcepiſſe, inde patet, quod Imperatoris, Senatus, aut Populi Romani odia ſpernens, ſe ipſum Chriſtianum, & Chriſtianæ Religionis defenſorem, ac propagatorem eſſe libere profitetur, eademque dicendi libertate rem eſt executus. Primo etenim non decere, ait, Imperatores, qui Pii, & Veri titulo gloriarentur, indicta cauſa, homines Chriſtianos damnare; cum non nomina, ſed flagitia pœnis digna ſint. Tum fatetur Chriſtianos quidem Atheos eſſe, ſi ea voce deſignentur homines, qui commentitios Deos non venerarentur; negat tamen Atheos eſſe eos, qui unum Deum colerent, ex quo juſtitia, temperantia, ceteræque virtutes prodeunt: *Sed & Filium, qui ab eo venit, & eos iſta docuit, & Spiritum propheticum colimus, & adoramus.* Exercitum quoque *bonorum Angelorum* addit, qui Deum affectantur, *eique aſſimilati ſunt, ratione, & veritate venerantur*: itaut poſt cultum Deo debitum, & Angelos bonos veneratione dignos eſſe teſtetur. Qua de cauſa imprudentiæ a Clerico accuſatur, niſi forte, ſubdit, *ea verba ab Angelorum Cultoribus intruſa fuerint*. At niſi ipſe imprudens fuiſſet, vel impudens, ex eo teſtimonio ſcire poterat, Angelorum cultum, & venerationem apud Fideles antiquitus in uſu fuiſſe. Horum deinde innocentiam ex eo facile evincit, quod in ipſorum poteſtate eſſet negando, ſe eſſe Chriſtianos, ſupplicia vitare: *Sed vivere nolumus, obſtricti mendacio* ajebat; quin potius *ad Deum innocuos ire contendimus*. Capite vero undecimo, Regnum non hujus ſæculi, ſed futuri Chriſtianos expectare, indicat: *Nam ſi humanum expectaremus, negaremus profecto interitus vitandi cauſa, & latere conaremur ad ea, quæ expectamus conſequenda. Sed quia ſpes in rebus præſentibus poſitas non habemus, interfectores parvipendimus.* Deinde quæ, & quanta bona ex Catholica Religione Reipublicæ etiam deriventur, oſtendit, dum homines a vitiis revocat, & ad virtutes excolendas impellit; idque prolatis Evangelicis ſententiis confirmat, quæ ad caſtitatem, patientiam, obedientiam ſectandam omnes exhortantur: tum teſtatur, eoſdem vectigalia & cenſus prompto animo Imperatoribus, ex Chriſti etiam præcepto, pendere: tum multis pro-

Cleric. annal. an. 139.

Jesu Chr. an. 150.

probat, a Philoſophis, & Poetis plura tradi, quæ cum Chriſtiana Religione adfinitatem habent; cum eorum aliqui vel animæ immortalitatem a Fidelibus prædicatam, & carnis Reſurrectionem, Mundique interitum, & everſionem noverint, quod ex Sibylla, & Hiſtaſpis libris demonſtrat. Ethnicis deinde exprobrat, & merito, quod Chriſtianos, qui de Deo nil, niſi tanta majeſtate dignum doceant, odio haberent; cum apud ipſos, & bruta Deorum loco haberentur, indecoraque, & turpia de aliis Diis crederent, ita ut & Simoni Mago ſtatuam Romæ erexiſſent. Itidem Menandri hæretici, & Simonis diſcipuli meminit: poſtmodum Marcionis Pontici, qui tum Romæ degebat, eoſque a perſecutione immunes fuiſſe, teſtatur, licet ſe Chriſtianos dicerent: *An vero*, inquit, *nefanda, & fabuloſa facinora perpetrent, lucernæ everſionem, promiſcuos concubitus, carnium humanarum epulas, non ſcimus; at eos a vobis nec vexari, nec occidi ſaltem ob ipſorum opiniones novimus*. Ait præterea ſe librum contra omnes hæreſes compoſuiſſe, *quem ſi legere libeat vobis trademus*: tum alienum a Chriſtianorum moribus eſſe infantes exponere probat, quod a gentilibus fieri paſſim affirmat, unde flagitia plurima perpetrabantur, eo quod a lenonibus rapti, & educati, tam maſculi, quam fœminæ proſtituebantur, & inceſtæ inde nuptiæ prodirent, dum inter ignotos ſæpe contraherentur: tum & diaboli memorat ſupplicium, cujus participes futuri ſunt homines improbi, ni pœnitentiam egerint; Deus enim *genus humanum fecit intelligentia præditum*, ut poſſit eligere bonum, & malum, adeo *ut nulla hominibus apud Deum ſuperſit excuſatio*: quam doctrinam alibi eadem Apologia copioſius tradit.

Chriſtianorum continentia commendatur.

4. Chriſtianos vero liberorum tantum cauſa matrimonia inire, docet, *vel ſi a nuptiis refugimus, perpetuo nos continemus*. Quod illuſtri exemplo confirmat cujuſdam juvenis, qui Felici Præfecto Alexandriæ libellum obtulit, ut Medico licentiam caſtrandi ſe daret, quod cum negatum eſſet: *Adoleſcens in continentia, & virginitate permanens ſua, & eorum, qui idem ac ipſe ſentiebant, conſcientia contentus fuit*. Quibus deinde argumentis, iiſque certiſſimis nitatur Catholica Religio, pluribus proſequitur, prophetias fere omnes exponens, atque ex earumdem eventu, & ceteras ſuo tempore ſine dubio implendas eſſe promittit. Cumque ea, quæ de primo Fi-

Juſt. Apol. 1. num. 29.

D 2 lii

Jesu Chr. an. 150.

lii Dei adventu, dum ad paſſionem humilis, & ignobilis advenit, exitum ſortita ſint, & ea profecto implebuntur, quæ de ſecundo ejuſdem adventu a Prophetis ſunt prænunciata, *quando cum gloria e Cælis, una cum Angelico ipſius exercitu, adventurus prædicatur; quando & corpora reſuſcitabit omnium quicumque extiterunt hominum, ac dignorum quidem corpora induet incorruptione; iniquorum autem in perpetuo ſenſu cum pravis dæmonibus in ignem æternum mittet*: quod ex teſtimoniis e Scriptura petitis confirmat. Inſuper & Gentium ad Fidem vocationem, olim prædictam, jam impleri demonſtrat, dum quamplurimi tam ex Gentibus, quam ex Judæis Chriſto crederent. Dæmonum vero inſtinctu, Poetas aliquando Prophetas imitatos fuiſſe, & Hæreticos Simonem ſcilicet, & Menandrum immiſiſſe ad Eccleſiæ everſionem, ait; quo etiam auctore fiebat, ut Chriſtiani pravis hominibus odio eſſent.

Quomodo initiarentur Chriſtiani.

5. Quo autem Ritu initiarentur Chriſtiani, quidve in eorum cœtibus ageretur, his verbis narrat. *Quicumque perſuaſum habuerint, & crediderint, vera eſſe, quæ a nobis docentur, & dicuntur, ſeque ita vivere promiſerint, ii precantes, & jejunantes, priorum peccatorum veniam a Deo petere docentur, nobis una precantibus, & jejunantibus. Deinde eo ducuntur a nobis, ubi aqua eſt, & eodem regenerationis modo regenerantur, quo & ipſi ſumus regenerati; nam in nomine Parentis univerſorum, ideſt Patris, ac Domini Dei, ac Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, & Spiritus Sancti lavacrum in aqua tunc ſuſcipiunt*; & poſt plura de Baptiſmi effectibus, de ablutionibus, & lavacris a Judæis, & Gentilibus adhibitis, ad Chriſtianorum cœtum redit, expoſiturus, quomodo, quibuſve Ritibus Euchariſtiam conficerent, aut diſtribuerent in hæc verba:

De celebratione Euchariſtiæ, aliiſque Chriſtianorum ritibus. *Juſtin. Apol. §. 65.*

6. *Nos autem eum, qui fidem ſuam, & aſſenſum doctrinæ noſtræ teſtatus eſt, ſic abluimus, ad eos, qui dicuntur fratres, deducimus, ubi illi congregati ſunt, communes preces & pro nobiſmet ipſis, pro eo qui illuminatus eſt, & pro aliis ubique omnibus intento animo facturi, ut veritatis cognitionem adepti, hac etiam gratia dignemur, ut rectam operibus vitam agentes, & præceptorum cuſtodes inveniamur, quo ſalutem æternam aſſequamur*. Oſculo deinde finitis precibus invicem ſalutabantur; tum ei, qui præerat, panis afferebatur cum aquæ, & vini poculis, quibus ille acceptis gloriam atque laudem uni-

Digitized by Google

univerſorum Parenti per nomen Filii, & Spiritus Sancti emittebat, & euchariſtiam, ſive gratiarum actionem, pro acceptis donis prolixe exequebatur. Poſt preces vero, & euchariſtiam peractam, populus omnis acclamabat: Amen; quod Hebræa lingua idem valet ac fiat. Diaconi poſtmodum panem, & vinum, & aquam, in quibus gratiæ actæ erant, unicuique præſentium primo diſtribuebant, tum ad abſentes quoque perferebant. Atque hoc alimentum, inquit, Euchariſtia vocatur, cujus non licet eſſe participes, niſi iis, qui credant vera eſſe, quæ docentur, atque illo ad remiſſionem peccatorum, & regenerationem lavacro abluti fuerint, & ita vivant, ut Chriſtus tradit. Neque enim ut communem panem, potumve iſta ſumenda eſſe, monet; ſed ipſum accipi Verbum Dei hominem factum, ſub eiſdem ſpeciebus contentum; quod ex variis Evangelii locis confirmat, ipſius Salvatoris verba commemorans.

Dominica die Chriſtiani conveniebant

7. Die vero Dominica *omnium ſive Urbes, ſive agros incolentium in eumdem locum fit conventus, & commentaria Apoſtolorum, aut ſcripta Prophetarum leguntur, quoad licet per tempus. Deinde ubi lector deſiit, is qui præeſt admonitionem verbis, & adhortationem ad res tam præclaras imitandas ſuſcipit. Poſtea omnes ſimul conſurgimus, & preces emittimus: atque, ut jam diximus, ubi deſiimus precari, panis affertur, & vinum, & aqua: deinde qui abundant, & volunt, ſuo arbitrio, quod quiſque vult, largiuntur, & quod colligitur apud eum, qui præeſt, deponitur, ac ipſe ſubvenit pupillis, & viduis, & iis qui vel ob morbum, vel aliam ob cauſam egent, tum etiam iis, qui in vinculis ſunt, & advenientibus peregre hoſpitibus; uno verbo omnium indigentium curam ſuſcipit. Die autem ſolis omnes ſimul convenimus; tum quia prima hæc dies eſt, qua Deus, cum tenebras, & materiam vertiſſet, Mundum creavit; tum quia Jeſus Chriſtus Salvator noſter eadem die ex mortuis reſurrexit. Pridie enim Saturni eum crucifixerunt, & poſtridie ejuſdem diei, ideſt, ſolis die Apoſtolis ſuis, & diſcipulis viſus ea docuit, quæ vobis quoque conſideranda tradidimus. Atque hæc quidem ſi vobis rationi, & veritati conſentanea videntur, in pretio habete: ſin autem nugæ vobis videntur, ut nugas contemnite, nec, ut adverſus hoſtes, ita adverſus homines innocuos mortem decernite. Vobis enim præ[illegible], vos Dei judicium non evitaturos, ſi in injuſtitia per[illegible]is; ac*

Oblationes, & eleemoſinæ Chriſtianorum, quibus impenderentur.

nos

Jesu Chr. an. 150.

nos exclamabimus: Quod Deo placet, id fiat. His tandem addit Hadriani Imperatoris reſcriptum ad Minucium Fundanum, quo juſſerat, Chriſtianos ſupplicio nullatenus eſſe afficiendos, niſi leges eos violaviſſe probaretur, de quibus ſuo loco egimus.

Cur diſciplinam arcani Juſtinus violaverit.

8. Ea autem agendi ratione arcani diſciplinam violaſſe Juſtinus nonnullis videtur, utpote qui de Chriſtianorum myſteriis tanta perſpicuitate coram Gentilibus egerit. Cum tamen neceſſitate id fecerit, ut calumnias in Chriſtianos vulgatas diſueret, quod ſcilicet in eorum cœtibus humana veſcerentur carne, & extinctis luminibus in inceſta ruerent, non eſt cur eidem ſuccenſeatur, quaſi margaritas ante porcos projecerit, aut Sanctum canibus dederit, dum ea, quæ in Chriſtianorum conventibus agebantur, ſingulatim expoſuit. Aliqua ſiquidem Gentilibus, eaque ſanctiora abſcondit; cujuſmodi ſunt conſecrationis verba, licet id ordo poſtularet. Nonnulla vero in eadem Juſtini Apologia occurrunt, in quibus S. Martyrem erraſſe patet, ut ſunt ea, quæ de ſacræ Scripturæ verſione innuit, Ptolomei nempe Ægyptiorum Regis, & Herodis Judæorum tempore per ſeptuaginta Interpretes peracta, cum hæc manifeſtum ſane anacroniſmum contineant; nam Ptolomeus longo temporis intervallo Herodem præceſſit. His ea adde, quæ de lectione librorum Sibyllæ, & Hyſtaſpis, aliorumque Prophetarum narrat; quorum lectionem Gentilibus capitali pœna vetitam fuiſſe, teſtatur: aliaque his ſimilia, ut in Juſtini præfatione, aut notis ibidem additis videre eſt.

Juſt. Apol. 1. n. 44. Capitali pœna.

Antoninus Imper. ob Juſtini Apologiam perſecutionem comprimit.

Apud Euſeb. lib. 4. 12.

Antonini Epiſtola ad Commune Aſiæ.

9. Tanti autem laboris ac periculi is fructus fuit, ut Antoninus Imperator de Chriſtianorum rebus edoctus perſecutionem in eos a provincialibus excitatam compreſſerit, ut auctor eſt Zonaras, ejuſdemque Imperatoris epiſtola ad Commune Aſiæ confirmat: *Imperator Cæſar Titius Ælius Hadrianus Antoninus Auguſtus &c. Communi Aſiæ ſalutem. Putabam equidem curaturos Deos, ne tales homines laterent. Nam ſi poſſent, multo magis quam vos ab ejuſmodi hominibus, qui eos adorare nolunt, pœnas repeterent. Quibus quidem vos moleſtiam faceſſitis, & eorum ſententiam, tamquam ſi eſſent Athei, accuſatis, & alia nonnulla impingitis, quæ probare non poſſumus. Utile autem illis fuerit ob id, cujus nomine accuſantur, mortem videri oppetere, ac nos vincunt, dum animas ſ[illegible]unt potius, quam illis pareant, quæ ab eis fieri*

ſieri poſtulatis. De terræ autem motibus, qui vel evenerunt, vel eveniunt, non decet, ut admoneatis, vos qui animum deſpondetis, cum fiunt, ſi cum illorum rebus veſtras comparetis. Sunt enim illi fidentiores quam vos apud Deum. Ac vos quidem per illud tempus Deos neſcire videmini, & templa negligitis, nec Dei colendi rationem noſtis. Unde, & illis, qui eum colunt, invidetis, & ad mortem uſque inſectamini. De ejuſmodi hominibus & alii quidam provinciarum rectores diviniſſimo meo patri ſcripſerunt. Quibus ille reſcripſit, nihil negotii exhibendum eſſe talibus hominibus, niſi quid adverſus Imperium Romanum moliri deprehendantur. Quin & ad me multi de illis retulerunt, quibus ego reſpondi patris mei ſententiam ſequutus. Si quis autem adverſus aliquem illorum, ut talem, actionem inſtituat, delatus crimine abſolvatur, etiamſi illum talem eſſe conſtet: delator vero pœnas luet. Hactenus Antonini Pii epiſtola. Ipſum vero & *ab aliis fratribus in Aſia commorantibus, qui* omni injuriarum genere vexabantur, interpellatum fuiſſe, inquit Euſebius, qui recitata epiſtola hæc addit: *Propoſita Epheſi in publico conventu Aſiæ*; deinde: *Hæc quidem ita geſta eſſe, Melito Sardenſis Eccleſiæ Epiſcopus, qui iiſdem temporibus floruit perſpicue teſtatur in Apologetico illo longe utiliſſimo, quem ad Imperatorem Verum pro Religione noſtra conſcripſit*. Unde miramur eruditos viros, ex eo, quod in ejuſdem epiſtolæ inſcriptione M. Aurelii Antonini prænomen irrepſerit, Marco Aurelio potius eamdem adſcripſiſſe, quam Antonino; quorum opinionem improbabilem merito dicit Juſtini Editor. Nam inprimis Antonino Pio a Juſtino tribuitur: Euſebius etiam Antonino eamdem inſcribit: his vero addendum Antonino tantum ea ſpectare, quæ ibidem leguntur, ut cum Hadrianum Patrem ſuum appellat, quod ſane Marco Aurelio non convenit. Sed & ex Melitone apud Euſebium conſtat, Antoninum ad civitates ſcripſiſſe, & nominatim *ad Lariſſæos, ad Theſſalonicenſes, ad Athenienſes, ad univerſos denique Græcos, quod & in ſua epiſtola teſtatur Antoninus*, dum ait: *Sed & multi ad me de illis retulerunt, quibus ego Patris mei conſtitutionem ſecutus reſpondi, ejuſmodi homines nulla moleſtia afficiendos eſſe juxta Hadriani reſcriptum*. Quinimmo tantus eſt Decreti Imperatoris cum Apologia conſenſus, ut in ipſe ſententiam Martyris iviſſe videatur, ait Juſtini Editor. Dixerat Juſtinus Chriſtianos Atheos nec eſſe, nec criminum, quibus affingeban-

Euſeb. lib. 4. cap. 12. 13.

Scalig. not. in Euſeb.
Valeſ. not. ibid. lib. 4. 13.
Pag. not. 4. an 152.
Baſnag. an. 139.
Præf. in op. Juſt. pag. 81.
Tillemont. not. 11. in Juſt.
Papeb. die 13. Aprilis.
Euſeb. lib. 4. 26.

Præf. pag. 80.

JESU CHR. AN. 150. bantur, reos; ſic etiam Imperator immerito Chriſtianos Atheos vocari, aut noxios eſſe, pronunciat. Oraverat Juſtinus, ut in eoſdem judiciorum forma ſervaretur; decernit Imperator moleſtiam iis non eſſe inferendam, *niſi quid adverſus Imperium Romanum moliri deprehendantur*. Appoſuerat Juſtinus Hadriani Decretum ad Minucium Fundanum; Antoninus illius veſtigia ſequi jubet. Addiderat Juſtinus Chriſtianos occidi poſſe, minime vero lædi, cum mortem potius optarent, ut ſummo fruerentur Bono; quod in ſua epiſtola Antoninus inſeruit, adnotans: *Gentiles Dei colendi rationem ignorare, & idcirco iis qui illum colunt invidere, & ad mortem uſque inſectari*. Tandem Antoninus, cognita Chriſtianorum innocentia, non ſolum periculo eos eripuit, ſed & pœnam delatoribus conſtituit: quæ illi tantum conveniunt, nullatenus vero Marco Aurelio. Eo etiam Antonini Reſcripto conſtat conſueviſſe Gentiles Chriſtianorum culpæ adſcribere, ſi quid ærumnoſi eveniſſet. Unde Tertullianus: *Adverſus ſanguinem innocentium conclamant prætexentes ſane ad odii defenſionem illam quoque vanitatem, quod exiſtiment, omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi Chriſtianos eſſe cauſam. Si Tiberis aſcendit in mœnia, ſi Nilus non aſcendit in arva, ſi Cœlum ſtetit, ſi terra movit, ſi fames, ſi lues, ſtatim Chriſtianos ad Leonem*. Hæc ipſe de iniquis Gentilium clamoribus adverſus Chriſtianos.

Tertull. Apolog. n. 140. Gentilium querelæ adverſus Chriſtianos.

JESU CHRISTI AN. 151. PII PAPÆ 10.
ANTONINI IMPERATORIS 14.
COSS. QUINTILIO CONDIANO, ET QUINTILIO MAXIMO.
OLYMPIAD. 232. AN. 3. URBIS AN. 904.

De Dialogo Juſtini cum Triphone Judæo.

1. Poſt oblatam Antonino Pio Apologiam, Dialogum cum Triphone Judæo habuiſſe Juſtinum, ex eo ſcimus, quod eamdem in Dialogo his verbis meminerit: *Neque enim curam, aut rationem aliquam popularium meorum, Samaritanorum dico, habui ſcripto Cæſarem compellans, cum impoſturis ſeduci eos in errorem affirmarem, qui Simoni gentis ſuæ Mago parerent*. Hujus diſputationis meminit & Euſebius: *Compoſuit etiam Dialogum adverſus Judæos, quem apud Epheſum habuit cum Triphone Hebræorum tunc temporis celeberrimo*. At quo anno id acciderit, ignoramus: ſub Antonino tamen cum

Euſeb. lib. 4. 18.

cum Triphone Dialogum habuiſſe, vix dubitari poteſt; ait etenim, ob Imperatoris Clementiam in pace tunc fuiſſe Chriſtianorum res, quæ Antonini temporibus magis, quam Marci conveniunt: *Neque enim*, inquit *ea vobis eſt poteſtas, ut manus nobis inferatis propter eos, qui nunc rerum potiuntur*; *quoties autem adfuit* (occaſio), *rem confeciſtis*. *Juſtin. Dial. n. 16.* Romæ domicilium habuiſſe Juſtinum, ſupra adnotavimus: in Aſiam inde tranſiiſſe ſcimus ex Dialogo, quem cum Triphone Epheſi habuit, unde Romam iterum rediit, ut idem his verbis teſtatur: *Veni autem in urbem Romam ſecundo*. *Euſeb. lib. 4. 11.* *Juſtin. Aſia pag. 634.* Quanam autem de cauſa tam longas ſuſceperit peregrinationes, penitus ignoramus. A vero fortaſſe non aberrat Tillemontius, *Tillem. T. 2.* dum ait, Juſtinum Apoſtolorum diſcipulos imitatum fuiſſe, qui Evangeli cauſa, Euſebio teſte, varias Orbis provincias peragraverant, ut novas ibidem erigerent Eccleſias, aut erectas in fide confirmarent. Quod munus ante Juſtinum Quadratus, & poſt Juſtinum Pantenus, Cajus, aliique ſuſceperant, ut narrat Euſebius; eaque de cauſa, qui hujuſmodi officio perfungebantur Epiſcopi, ad gentes ſunt dicti. *Euſeb. lib. 5. 10.* Quæ opinio eo magis veroſimilior eſt, quod ut ſupra diximus, Juſtinum Epiſcopali, aut Presbyterali dignitate exornatum fuiſſe, vix dubitatur. Dum ergo Epheſi moraretur, cum Triphone Judæo de Religione Chriſtiana diſſeruit; cujus diſputationis occaſio hæc fuit. Epheſo diſceſſurus, dum in Xyſti ſpatiis obambularet Juſtinus, occurrit ei Judæus quidam Tripho nomine, cum aliis ex eadem gente, qui cum Philoſophiæ ſe ſtudioſum eſſe indicaſſet, cum Juſtino, qui & ipſe Philoſophi habitum gerebat, colloquendi cupiditate ſe teneri teſtatus eſt. Quæſivit itaque Juſtinus, an non multo plus ei Moiſes, & Prophetæ, quam Philoſophi prodeſſent; & ab eo rogatus, *Juſtin. Dial. cap. 1. ad 7.* quid de Deo ſentiret, quamve Philoſophiam ſectaretur, addidit, quod cum Platonicæ ſtudioſus eſſet ſub quodam ſene, in quem forte inciderat, veritatem non a Philoſophis, ſed a Prophetis de Chriſto Dei Filio petendam eſſe ſibi conſtituerat. His auditis, ſocii Tryphonis cachinnos ſuſtulerunt. Trypho vero fortem Juſtini doluit, quod philoſophis ſpretis ſpem in homine, inanibus deceptus commentis, poſuiſſet, ideſt in Jeſu Chriſto. Tum Juſtinus ſe demonſtraturum ſpopondit, non fabulis Chriſtianam inniti Religionem, ſed certiſſimis argumentis. Iterum ſocii Tryphonis ridentes indecore clamarunt;

JESU CHR. AN. 145. Dial. Juſtin. n. 8. quorum petulantia offenſus diſceſſionem parabat Juſtinus: retentus tamen a Tryphone eſt ea lege, ut ſocii, aut abirent, aut cum ſilentio audirent. Itaque cum duo ex Tryphonis ſocii abiiſſent, biduo inter ſe de Chriſtiana Religione Juſtinus & Tripho diſceptarunt, ac mutuis amicitiæ ſignificationibus ad invicem diſceſſerunt. Trypho etiam ſe hujuſcemodi diſputatione mirifice delectatum fuiſſe teſtatus eſt, addiditque non dubitare, quin & ſocii eodem eſſent animo; ac proſperam navigationem Juſtino auſpicatus abiit, qui id tantum illis, ut in Chriſtum crederent, ſe precari reſpondit, ac poſtea eamdem diſputationem litteris mandatam Marco Pompejo inſcripſit.

Notatu digniora in Juſtini Dialogo. 2. Dialogi ſcopus totus in eo erat, ut Tryphoni ſuaderet, Chriſtum vere fuiſſe Filium Dei, & Meſſiam olim promiſſum, per quem Judæi, & Gentiles in unam fidem, ſeu Eccleſiam coalituri erant, quo totum etiam vetus ſpectabat teſtamentum, ut ſingulas fere prophetias exponendo ibidem declarat. Notatu autem digna his verbis Euſebius refert: *Quo in libro ingenue teſtatur, quemadmodum per divinam gratiam ad veræ Fidei doctrinam impulſus ſit; & quam contento prius ſtudio in philoſophiam incubuiſſet, quantoque animi ardore in veritate perveſtiganda laboraviſſet. Refert etiam, Judæos adverſus Chriſti doctrinam multa inſidioſe ac fraudulenter machinatos fuiſſe, hujuſmodi ad Triphonem verbis utens. Tantum abeſt, inquit, ut vos eorum, quæ impie geſſeratis, pænituerit; quinimo quoſdam ad id lectos homines in omnes Orbis partes emiſiſtis, qui dicerent, ſectam impiorum Chriſtianorum exortam eſſe, eaque adverſus nos probra divulgarent, quæ effutire ſolent ii, qui res noſtras penitus ignorant. Adeo non ſolum vobis ipſis, ſed cunctis, ne ita dicam hominibus, erroris atque injuſtitiæ cauſam præbetis. Sed & in eodem libro, prophetiæ dona adhuc ſua ætate in Eccleſia viguiſſe, ſcribit. Joannis quoque Revelationem commemorat, quam ab Apoſtolo conſcriptam eſſe diſerte dicit. Quædam item Prophetarum teſtimonia profert, quæ adverſus Tryphonem diſputans, a Judæis è ſacris libris reciſa, atque expuncta eſſe, convincit.* Euſeb. lib. 4. 18. Utrum autem hic liber integer ad nos pervenerit, an mutilus, non tam facile definiri poteſt: putant aliqui lacunam ineſſe poſt numerum ſeptuageſimum, ut a Juſtini Editore adnotatum eſt.

De Antonini geſtis. 3. Multa, & quidem præclara, de Antonini geſtis enarrant Hiſtorici; diu tamen hiſce immorari inſtituti no-

Digitized by Google

noſtri ratio non patitur, ſatiſque erit adnotare, Imperatorem immobilia ſua, & Prædia aliquando diſtraxiſſe, ne publicum gravaret Ærarium: nec unquam expeditionem, aut iter niſi ad Prædia ſuſcepiſſe, ſolitum dicere, *gravem eſſe provincialibus comitatum Principis, etiam nimis parci*.

Jesu Chr. an. 151.

Capitol. in Antonin. vita cap. 7.

JESU CHRISTI An. 152. Pii Papæ 11.
Antonini Imp. 15. Coss. Sex. Acilio Glabrione,
Et C. Valerio Omulo.
Olympiad. 232. an. 4. Urbis an. 905.

1. Hoc tempore plures Romano Imperio clades accidiſſe refert Antoninus Imperator in ſua ad Commune Aſiæ epiſtola, quam anno 150. recitavimus: de quibus hæc habet Capitolinus: *Adverſa hujus temporis hæc provenerunt: fames, de qua diximus, Circi ruina, terræmotus, quo Rhodiorum, & Aſiæ oppida conciderunt, quæ mirifice omnia inſtauravit, & Romæ incendium, quod trecentas quadraginta inſulas, vel domos abſumpſit: Narbonenſis Civitas, Antiochenſe oppidum, Carthaginenſe Forum arſit: fuit & Tiberis inundatio*: has quidem calamitates ſub Antonino eveniſſe, ex Capitolino ſcimus; quo autem Imperii anno, in obſcuro eſt. Aliquas tamen, ut terræmotus, cujus dicta in epiſtola meminit Antoninus, hunc annum præceſſiſſe compertum habemus; ceteras vero ſubſecutas fuiſſe, inde conſtat, quod earum nullam mentionem fecerit. Sed de his plura non addimus.

Clades hac ætate per Roman. Imperium.

Capitol. Antonini vita.

JESU CHRISTI an. 153. Pii Papæ 12.
Antonini Imp. 16. Coss. C. Bruttio Præsente,
Et A. Junio Rufino.
Olymp. 233. an. 1. Urbis an. 906.

1. Mortuo Marciano, qui ſeptimus poſt Marcum Alexandrinam Eccleſiam per annos novem, & menſes aliquot rexerat, in ejus locum Celandion, ſeu ut ab aliis dicitur Claudianus, ordinatus, annis quatuordecim eumdem Epiſcopatum retinuit; de quo nil in hiſtoria habetur, niſi quod cum Prædeceſſoribus ſuis Alexandriæ ſepultus fuerit.

De morte Marciani Alexand. Epiſcopi, cui Celandion ſucceſſit.

Rendat. Hiſt. Patriarch. Alexand. p. 17.

JESU CHR. AN. 154.

JESU CHRISTI AN. 154. PII PAPÆ 13.
ANTONINI IMP. 17. COSS. L. AURELIO COMMODO, ET T. SEXTIO LATERANO.
OLYMP. 233. AN. 2. URBIS AN. 907.

De Antonini Imp. liberalitate.

Apud Mediobarb. Pag. hoc anno.

1. Silentibus Eccleſiæ, & Imperii faſtis, ne ſterilis omnino hic annus tranſeat, Antonini Imperatoris liberalitatem adnotamus, quam ſeptimam fuiſſe, vetus Numiſma indicat, quo hæc leguntur:

ANTONINUS. AUG. PIUS. P. M. TR. POT. XVII. In poſtica: *LIBERALITAS VII. COSS. IIII.*

JESU CHRISTI AN. 155. PII PAPÆ 14.
ANTONINI IMP. 18. COSS. C. JULIO SEVERO, ET RUFINO SABINIANO.
OLYMPIAD. 233. AN. 3. URBIS AN. 908.

Euſeb. in Chron. pag. 717. inter O-per. Hier. tom. 8.

1. De Epiſcopis Hieroſolymitanis hujus temporis nil præter nomina, & ſeriem ex Euſebio, aut alio Scriptore ſcimus. Quoto autem anno quiſque ordinatus fuerit, aut obierit, latet: de iis hæc Euſebius in Chronico: *Caſſianus XVII. Hieroſolymæ Epiſcopatum poſt Marcum ſuſcepit; poſt quem XVIII. Publius, cui ſuccedit XIX. Maximus; XX. Julianus; XXI. Gojanus; XXII. Symmachus; XXIII. Cajus; XXIV. Julianus; XXV. Capito*; quo Catalogo ad Imperium Commodi eorum ſeriem perducit. Hæcque de iiſdem dixiſſe ſufficiat.

JESU CHRISTI AN. 156. PII PAPÆ 15.
ANTONINI IMP. 19. COSS. M. CEJONIO SILVANO, ET C. SERIO AUGURINO.
OLYMPIAD. 233. AN. 4. URBIS AN. 909.

An vicennalia Imper. geſſerit.

Pag. not. 2. Murator. hoc anno.

1. Imperii vicennalia hoc anno Antoninum celebraſſe, ſcribit Pagius, quod & hypaticis regulis ab eo inventis confirmat; tot tamen quinquennalia, decennalia, & vicennalia in hiſtoria Imperatorum invenit, ut, ſi Muratorii phraſe uti licet, ea in *manicis continuo geſtaſſe videretur*. Hinc

Hinc factum, ut Pagii regulis ſubſcribere eruditorum plurimi recuſaverint, eaſque nonnulli, præſertim Baſnagius in ſua peculiari diſſertatione, confutaverint: quæ quidem chronologis diſputanda relinquimus. Nobis hæc adnotaſſe ſufficiet, ne mirum fortaſſe lectoribus videatur, nos quoque Pagianas notas ſæpiſſime præteriiſſe.

Baſnag. Diſſert. 11. T. 2. Annal. p. 558. Noris Epiſtol. conſ. ad Pagium.

JESU CHRISTI AN. 157. ANICETI PAPÆ 1. ANTONINI IMP. 20. COSS. BARBARO, ET REGULO. OLYMP. 234. AN. 1. URBIS AN. 910.

De morte Pii Papæ, cui Anicetus ſucceſſit.

1. *Cum Pius anno Epiſcopatus ſui quintodecimo vitam cum morte commutaſſet, Anicetus Eccleſiæ illius (id eſt Romanæ) factus eſt Epiſcopus*, ait Euſebius. Pontificale Damaſi annos 19., menſes quatuor, dies aliquot eidem tribuit; Bucherianus vero Catalogus annos 20., menſes quatuor, dies aliquot. At cum is in deſignandis hac ætate Conſulibus corruptiſſimus ſit, nec ſibi conſtet; nil certius occurrit, quam Euſebii Cronologiam ſequi. De Bucheriano Catalogo ad rem adnotat Baronius: *Cæterum in perquirendis annis Higinii, ſi quis Conſules perperam poſitos, immo errore illapſos, in Librum de Romanis Pontificibus ſubſequatur, in Higinio duodecim ſaltem annos eum ſediſſe dicere opus eſſet, quod tandem intelligens is, qui uſque ad ipſum Higinium per Conſules in eis poſitos numeravit annos Romanorum Pontificum, licet ſero errorem ſentiens, jam in cæteris paulo cautius egit*. De hujuſce Catalogi præſtantia & uſu tomo altero plurima adnotavimus.

Euſeb. lib. 4. 11.
Bar. an. 158. 1.
Tom. 2. an. 65. pag. 155. & ſeq.

An Pius Martyr obierit.

2. Pium *Italum fuiſſe ex Patre Rufino de civitate Aquileja* legitur in Damaſi Pontificale, quem & martyrem dicit Romanum Martyrologium, ſub Marco Aurelio coronatum; immo in Annalibus hæc de eo Baronius habet: *cujus dies natalis martyrio illuſtratus in tabulis Eccleſiaſticis notatus antiquitus reperitur*. Quibus autem monumentis id conſtet, rem gratiſſimam lectoribus feciſſet Baronius, ſi adnotaſſet. Lato tamen modo inter Martyres eum adſcribi poſſe non inficiamur; ſicuti martyres etiam ii dicuntur, qui pro Fide peſecutiones, exilia, tormenta pertulerunt. Sub Marco inſuper Aurelio Pium occubuiſſe, nobis ſane non conſtat; quin Antonino imperante obiiſſe dicimus.

Martyr. Rom. die 11. Julii. Bar. an. 157. 1. Tillem. tom. 2. pag. 286. Baſnag. ann. 156. n. 3.

3. Qua-

JESU CHR. AN. 157.

De Epiſtolis Pio adſcriptis

Tom. 1. Concil. pag. 571. Coutan. p. 66. Bar. an. 166. Binus in notis ad epiſt. Pii. Bona Liturg. lib. 1. cap. 3. Blondel. Iſid. vapul. & in Apol. pro Hieron. ſententia ſect. 11. cap. 4. Salmaſ. in append. de Primatu Papæ.

3. Quatuor Pio Pontifici inſcriptæ habentur epiſtolæ, quarum duas ex Iſidori officina prodiiſſe non eſt dubitandum. In prima, ad univerſos Chriſtifideles miſſa, cavetur, ut Paſchatis Feſtum Dominica die celebretur: deinde ne oves Paſtores reprehendant, aut plebs Epiſcopum accuſet. In altera, Italis Epiſcopis data, præſcribitur, ne res divinis uſibus mancipatæ ad humanos iterum revocentur. De duabus aliis epiſtolis Juſto Viennenſi Epiſcopo ſcriptis dubitari poteſt. Quamvis enim Baronius non ſolum, ac Binius, aliique pro genuinis habuerint; ſed & Blondellus, & Salmaſius inter Proteſtantes celeberrimi, qui eas aut eidem Pontifici vindicarunt, aut ſaltem an inſcribendæ eſſent, in incerto reliquerunt; Veterum tamen ſilentium, ipſarumque ſtylus, & argumenta, eas etiam apocryphas eſſe indicant, ut pluribus argumentis eruditi Viri demonſtrarunt. Illi demum decreta novem a compilatoribus Canonum tribuuntur, quæ apud Contantium, aut tomo primo Conciliorum videri poſſunt.

De Hermete Pii Papæ fratre.

Apud Tertull. carm. lib. 3. adverſ. Marcion.

Murat. antiq. Medii ævi tom. 3. p. 854. Differt. 4. pag. 467.

4. Pium Pontificem habuiſſe fratrem, Hermetem dictum, tradit Auctor Bucheriani Catalogi: *ſub hujus*, inquit, *Epiſcopatu frater ejus Hermes librum ſcripſit, in quo mandatur, continetur que, quod ei præcepit Angelus, cum venit ad eum in habitu Paſtoris*. Id ipſum indicat Auctor carminum contra Marcionem:

> *Poſt hunc deinde Pius, Hermas cui germane frater*
> *Angelicus Paſtor, qui tradita verba locutus.*

Horum antiquius eſt Anonimi ſcriptoris fragmentum a Muratorio editum, ac ab eodem Cajo Romanæ Eccleſiæ Presbyteri adtributum; ſeu verius Papiæ Hierapolitano vindicatum a Clariſſimo Viro, qui Danielis librum juxta Septuaginta viralem verſionem recenter edidit, ac eruditiſſime illuſtravit. Hæc autem Anonimi ſcriptoris verba: *Paſtorem vero nuperrime temporibus noſtris in urbe Roma Herma conſcripſit, ſedente in Cathedra urbis Romæ Eccleſiæ Pio Epiſcopo fratre ejus*. Eadem fere Anaſtaſius ſub Pio Pontifice, qui & addit, libro ſuo docuiſſe Hermetem, prout ab Angelo didicerat, Paſchatis feſtum Dominico die celebrandum eſſe.

Hermes Pii frater ab Herma Paſtore diſtinguendus.

5. Nominis, librique ſimilitudo in cauſa fuit, cur Hermetem hunc, Pii fratrem, cum altero Herma, cujus meminit

nit Paulus: *ſalutate Hermam*, quique Auctor libri Paſtoris dicitur, nonnulli confunderent, & ex duobus unum exiſtimarent. Cumque in Paſtoris libro de celebratione Paſchatis ne verbum occurrat, ſuſpicatus eſt Baronius, duos ejuſdem Auctoris fuiſſe libros, quorum alter extet; alter vero, ubi de celebratione Paſchatis agebatur, interierit. Diſtinguendos tamen eſſe duos Hermetes, & Paſtoris liber, & diſtantia temporis nos docent, ac ſi cetera deeſſent argumenta, temporis diverſitas tanta eſt, ut unus idemque utriuſque libri auctor eſſe non poſſit: nec credibile eſt, unum eumdemque cum fuiſſe, cui Paulus ante centum circiter annos in epiſtola ad Romanos ſalutem dixerat, & Hermetem Pii Pontificis fratrem, qui hac ætate de Paſchate commentarium edidit. Hinc factum, ut Paſtoris librum, quem Hermæ Pauli diſcipulo vindicavimus, Hermeti Pii fratri nonnulli tribuant, etſi duos Hermetes fuiſſe fateantur, de quibus plura apud Cotelerium, aut Dupinium videri poſſunt.

Jesu Chr. an. 157.
Epiſt. ad Rom. cap. 16.
Tillem. tom. 2. pag. 521., & pag. 613.
Coteller. in Herma.
Dupin. tom. 1. pag. 4.
Baſnag. an. 157.

6. Ad Anicetum Pii ſucceſſorem quod attinet, ejus Pontificatus ob præclara geſta celeberrimus fuit. Inprimis etenim, ut ex Irenæo narrat Euſebius, eo Romanam Eccleſiam adminiſtrante, Polycarpus Joannis diſcipulus, ac Epheſiorum Epiſcopus in Urbem venit, ob quæſtionem nempe, quæ tunc de Paſcha inciderat, deque eadem cum Aniceto colloquium habuit. De his vero, quæ inter ipſos geſta ſunt, addit, Anicetum & Polycarpum de quibuſdam, & præcipue de Paſchatis celebratione, modice diſſenſiſſe; eoſque nihilominus mutuo pacis oſculo ſtatim fuiſſe complexos: *Neque enim Anicetus Polycarpo perſuadere unquam poterat, ut obſervare deſineret, quippe qui cum Joanne Domini noſtri Diſcipulo, & cum reliquis Apoſtolis, quibuſcum familiariter vixerat, eum morem perpetuo obſervaſſet. Neque item Polycarpus Aniceto perſuadere conatus eſt, ut obſervaret, cum Anicetus eorum, qui ante ſe fuerant, Presbyterorum morem ſibi retinendum eſſe diceret. Quæ cum ita ſe haberent, communicarunt ſibi invicem: & Anicetus in Eccleſia conſecrandi munus Polycarpo honoris cauſa conceſſit; tandemque cum pace a ſe invicem diſceſſerunt, tam iis, qui obſervabant, pacem, communionemque totius Eccleſiæ retinentibus.* Hæc ex Irenæo Euſebius; quibus patet ob Paſchatis controverſiam, quæ jamdiu agitabatur, Romam adveniſſe Polycarpum, quod & Hieronymus tradit: Polycarpus *propter quaſdam*

Polycarpus Romam venit.
Euſeb. lib. 4. 14.
Lib. 5. 24.
Hier. de vir. Ill. in Polycarpo.

JESU CHR. AN. 157. *dam ſuper die Paſchæ quæſtiones Romam venit*. Hæ autem quæſtiones nondum in apertum diſſidium venerant, neque charitatis vincula abruperant, ut poſtea ſub Victore contigit; ſed unuſquiſque in ſuo ſenſu abundabat, & Eccleſiæ ſuæ morem tanquam majorum leges obſervabat: ita ut & Anicetus honoris cauſa non tantum communionem Polycarpo impertitus ſit, quod perfectæ charitatis vinculum eſt; ſed & Euchariſtiæ offerendæ locum dederit, quod poſtea Arelatenſi Synodo ſtatutum fuit canone 19. *de peregrinis Epiſcopis, qui in urbem ſolent venire, placuit eis locum dari, ut offerant*. Alii tamen Euſebii verba, ſeu potius Irenæi ſic explicant, ut communionem tantum Polycarpo Anicetus largitus fuerit. At Euſebii verba ſingulare quidpiam *honoris cauſa* Polycarpo conceſſum innuunt: unde de ſola communione intelligi non poſſunt. Sed præter hujuſmodi cauſam, & aliam habuiſſe Polycarpum, ut in tam provecta ætate eam peregrinationem ſuſciperet, vix dubitamus; ad arguendos ſcilicet hæreticos, qui tunc cum maximo fidelium periculo Eccleſiam fœdabant, & quorum plurimos Romæ auctoritate ſua, ac exemplo ad meliorem reduxit frugem: Polycarpus *Aniceti temporibus Romam veniens, multos ex ſupradictis hæreticis* (Valentinianis, & Marcionitis) *ad Eccleſiam Dei revocavit, hanc unam, & ſolam veritatem ſe ab Apoſtolis accepiſſe prædicans, quæ ab Eccleſia traderetur...., & cum ei Marcion aliquando occurriſſet, dixiſſetque, agnoſce nos, reſpondiſſe fertur, agnoſco te primogenitum Satanæ*. Hæc de Polycarpo, de cujus paſſione, & ſcriptis infra iterum redibit ſermo.

De Marca concord. lib. 5. cap. 2. n. 6.

JESU CHRISTI AN. 158. ANICETI PAPÆ 2.
ANTONINI IMP. 21. COSS. TERTULLO,
ET CLAUDIO SACERDOTE.
OLYMP. 234. AN. 2. URBIS AN. 911.

De Hegeſippo, ejuſque operibus. *Euſeb. lib. 2. 23. lib. 4. 22.*

I. Aniceto Romanam Eccleſiam adminiſtrante, Hegeſippum inter Scriptores Eccleſiaſticos celeberrimum Urbem adveniſſe, auctor eſt Euſebius, quem etiam ex ſuperſtitione judaica ad Chriſti Fidem tranſiiſſe, idem Auctor innuit. Palæſtinum vero fuiſſe, aut Syrum plures autumant: *Nonnulla ex Hebræorum Evangelio, & Syriaco, & ex Hebraica lingua profert in medium*; *ſatis per hæc aperte ſignificans, ſe ex Hebræis ad Chriſti ſidem*

Digitized by Google

fidem tranſiiſſe. *Alia quoque ex Judaicis traditionibus ſcripto minime comprehenſis petita commemorat*. Is Romam ſedente Aniceto profectus, plurimos Epiſcopos adiit, a quibus eamdem ubique doctrinam accepit: *Hegeſippus in quinque Commentariorum Libris, qui ad nos pervenerunt, luculentiſſima fidei ſuæ teſtimonia nobis reliquit: ſcribit enim, ſe cum Romam proficiſceretur, plurimos Epiſcopos adiiſſe, & ab omnibus unam eamdemque audiviſſe doctrinam. Item, poſtquam de Clementis ad Corinthios epiſtola quædam commemoravit, hæc addit, quæ nos, ſi placet, audiamus: Et Corinthiorum quidem, inquit, Eccleſia in recta fide permanſit uſque ad primum ejuſdem loci Epiſcopum, quocum familiariter collocutus ſum, dum Romam navigarem, nec paucos dies verſatus ſum cum Corinthiis, mutuamque ex recta fide conſolationem cepimus. Romam vero cum veniſſem, manſi ibi apud Anicetum, cujus tum Diaconus erat Eleutherius. Poſt obitum deinde Aniceti ſucceſſit Soter, quem excepit Eleutherius. In ſingulis autem Epiſcoporum ſucceſſionibus, & per ſingulas urbes eadem manent, quæ per legem ac Prophetas, & a Domino ipſo prædicata ſunt.* Hæc de Hegeſippo Euſebius, qui alibi de ejuſdem ſcriptis addit: Inter ſcriptores eccleſiaſticos *celebris fuit Hegeſippus, qui in quinque libris, ſimplici admodum ſermone conſcriptis, veriſſimam Apoſtolicæ prædicationis hiſtoriam complexus, tempus quo floruit aperte deſignat*; de Antinoo enim agens, ab Hadriano Imperatore eum ſua ætate inter Numina relatum fuiſſe narrat. De Hegeſippi vero operibus, ex Euſebii ſententia, hæc Hieronymus adnotat: *Hegeſippus vicinus Apoſtolicorum temporum, omnes a Paſſione Domini uſque ad ſuam ætatem Eccleſiaſticorum actuum texens hiſtoriam, multaque ad utilitatem legentium pertinentia hinc inde congregans, quinque libros compoſuit, ſermone ſimplici, ut quorum vitam ſectabatur, dicendi quoque exprimeret characterem*; quorum nunc vix fragmenta quædam apud Euſebium ſuperſunt. Hegeſippi nomine circumfertur etiam liber de Bello Judaico, & Excidio Hieroſolymitano ex Joſephi hiſtoria excerptus, qui cum Euſebio ignotus fuiſſet, eidem non eſt tribuendus. Immo cum hiſtoriæ Joſephi compendium contineat, huic primum fortaſſe inſcribebatur, deinde Amanuenſium errore dictus eſt pro Joſepho Igeſipus. Sed de his ſatis: plura apud eruditos viros videnda.

Lib. 4. 8.

Hier. de vir. illuſt. in Hegeſip.

Biblioth. PP. tom. 5.

Dupin. tom. 1. pag. 103.

Caveus de Scriptor. Eccleſ.

Jesu Chr. an. 159.

JESU CHRISTI an. 159. Aniceti Papæ 3.
Antonini Imp. 22. Coss. Plautio Quintillio,
Et M. Statio Prisco.
Olympiad. 234. an. 3. Urbis an. 912.

De Marcellina, aliiſque hæreticis.

Epiph. hær. 27. num. 6. Hieronym. ad Cteſiph. epiſt. 133. contra Pelag.

1. *Aniceti tempore*, ait Epiphanius, *Marcellina Romam veniens, & Carpocratianæ doctrinæ virus evomens multos errore ſuo depravatos in exitium impulit*. Hic non abs re erit cum Hieronymo adnotare, mulieres hæreſum fautrices ſæpe fuiſſe. *Simon Magus hæreſim condidit Helenæ meretricis adjutus auxilio: Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum repertor, choros duxit fœmineos: Marcion Romam præmiſit mulierem, quæ decipiendos ſibi animos præpararet: Apelles Philumenen ſuarum comitem habuit doctrinarum: Montanus, immundi ſpiritus prædicator, multas Eccleſias per Priſcam, & Maximillam nobiles & opulentas fœminas, primum auro corrupit, deinde hæreſi polluit. Dimittam vetera, ad viciniora tranſcendam. Arius, ut Orbem deciperet, ſororem Principis ante decepit. Donatus per Africam, ut infelices quoſque fœtentibus pollueret aquis, Lucillæ opibus adjutus eſt. In Hiſpania Agape Elpidium, mulier virum, cæcum cæca duxit in foveam, ſucceſſoremque ſui Priſcillianum habuit, Zoroaſtis magi ſtudioſiſſimum, & ex mago Epiſcopum: cui juncta Galla, non gente, ſed nomine, germanam huc illucque currentem alterius, & vicinæ hæreſeos reliquit hæredem*. Hæc ex multis Hieronymus, noſque Marcellinæ occaſione adnotata voluimus: ita ut ſicuti Adamum Eva ſeduxit, ſic ſæpe hominibus mulieres exitio fuere.

Antoninus legem de adulteriis renovat

Aug. de adulter. conjug. lib. 2. 8.

2. Conſulibus *Plautio Quintilio*, & *Priſco*, hoc anno Antoninus legem de adulteriis vulgavit, qua cavebatur, ne maritus uxorem accuſare poſſet, cum impudicam ipſe vitam ageret; quam legem ſic laudat Auguſtinus: *Si iſti, quibus diſplicet, ut inter virum, & uxorem par pudicitiæ forma ſervetur, & potius eligunt, maximeque in hac cauſa, Mundi legibus ſubditi eſſe, quam Chriſti; quoniam jura forenſia non eiſdem, quibus fœminas pudicitiæ nexibus viros videntur obſtringere; legant quid Imperator Antoninus, non utique Chriſtianus, de hac re conſtituerit, ubi maritus uxorem de adulterii crimine accuſare non ſinitur, cui moribus ſuis non præbuit caſtitatis exem-*

exemplum : *ita ut ambo damnentur* , *ſi ambos pariter impudicos conflictus ipſe convicerit* . Et paulo poſt : *Habebunt autem ante oculos hoc inquirere* , *an cum tu pudice viveres* , *illi quoque bonos mores colendi auctor fuiſti* . *Periniquum enim mihi videtur eſſe* , *ut pudicitiam vir exigat ab uxore* , *quam ipſe non exhibet* : *quæ res poteſt & virum damnare* , *non ob compenſationem mutui criminis rem inter utrumque componere*, *vel cauſam facti tollere* . *Si hæc obſervanda ſunt propter decus terrenæ Civitatis* , *quanto caſtiores quærit Cœleſtis Patria* , *& Societas Angelorum* . Hactenus Auguſtinus , qui Antonini reſcriptum ex Gregoriano Codice refert , ubi plurimis de Eupaſia quadam expoſitis , quæ a marito repudiata alteri nupſerat , illud a Præſidibus ſervandum juſſerat Imperator . Ejuſdem legis meminit & Ulpianus in Digeſtis *lege miles* §. *Judex ad legem Juliam de Adulteriis* .

JESU CHR. AN. 159.

JESU CHRISTI AN. 160. ANICETI PAPÆ 4.
ANTONINI IMP. 23. COSS. T. VIBIO BARO,
SEU VARO, ET ANNIO BRADUA.
OLYMPIAD. 234. AN. 4. URBIS AN. 913.

1. Pacem bello , & victoriis præferens Antoninus , longo Imperii ſui tempore vix aliquando per Vicarios bella geſſit , feliciterque compreſſit ; tantæ quippe auctoritatis erat , ut ad ejus nutum *plurimæ nationes* , *depoſitis armis* , *ſuæ ſententiæ paruerint* , ait Euſebius ad hunc annum . Hos autem fuiſſe Bactros , Hircanos , & Indos , tradunt Aurelius Victor , & Capitolinus , qui de iis rebus plura habent .

Antonini auctoritas in exteras Gentes. *Euſebius in Chron. tom. 8. Hier. op. pag. 720.* *Aurel. Victor in Antonin. vita.* *Capitol. in Antonin.*

JESU CHRISTI AN. 161. ANICETI PAPÆ 5.
M. AURELII, ET LUCII VERI IMP. AN. 1.
COSS. M. ÆLIO AURELIO VERO CÆSARE III.,
ET L. ÆLIO COMMODO II.
OLYMPIAD. 235. AN. 1. URBIS AN. 914.

1. Die ſeptima Martii labentis anni Antoninus Pius poſt quatriduanum morbum vivere deſiit , ac Marcum Aurelium ſucceſſorem habuit , quem antea adoptatum , Imperiique hæredem deſtinatum , morti proximus Præfectis militum commendaverat , atque in ejus domum Fortunæ ſimulacrum , quod penes Imperatorem ſervabatur , transferri juſſerat . Filios qui-

Antonini Pii obitus , cui M. Aurelius ſuccedit.

Jesu Chr. an. 161.
Capit. in Antonino cap. 1. Mabill. to. 4. Analect. Pagi not. 3. hoc an.

quidem Antoninus Pius ex Fauſtina ſuſceperat; nam teſte Capitolino: *Uxor Anna Fauſtina: Filii mares duo: duæ feminæ &c.* At his ſuperſtes fuit, ut indicant inſcriptiones iiſdem poſitæ; cumque M. Aurelium adoptaſſet, Fauſtinam filiam, quam unicam habebat, eidem dedit uxorem. Quare M. Aurelius patrem, & benefactorem ſuum magnificentiſſimo funere decoravit, ſimulque Senatus inter Divos eum juſſit adſcribendum. Quadrageſimum ætatis annum tunc M. Aurelius agebat, natus anno 121., imperavit annos 19. dies aliquot, obiitque anno 180. menſe martio, cum prope attingeret annum 59.

De moribus & geſtis M. Aurelii.
Capit. in M. Aurel. cap. 3. 4.
Dio lib. 71.

2. Hic a prima ætate totus Philoſophiæ ſtudio intentus, habitum Philoſophi, & mores induerat, adeo ut duodecimo anno in pallio, & humi cubaret, *tantumque operis, & laboris ſtudiis impendit, ut corpus afficeret*. Innumera ſunt, quæ laude digna de eo narrant hiſtorici, ejuſdem ſcilicet animi magnanimitatem, clementiam, urbanitatem, qua ſingulos excipiebat, beneficiiſque cumulabat. Nil tamen præſtantius geſſit, quam cum Imperium, quod ſolus obtinuerat, ſoluſque retinere potuiſſet, cum adoptivo fratre Aurelio Commodo partitus eſt; ipſum enim Auguſtum, Imperiique collegam declaravit, reſervato ſibi tantum Summi Pontificatus honore, illique filiam ſuam Lucillam annos quindecim natam deſpondit. His geſtis congiarium militibus prætorianis ſumma liberalitate diſtribuit, *& ob hanc conjunctionem*, ait Capitolinus, (ideſt ob Commodi ſponſalia cum Lucilla) *pueros, & puellas novorum hominum frumentariæ perceptioni adſcribi juſſit*. Quinam autem ſint novi homines, quorum pueros, puellaſque frumentariæ perceptionis participes effecit, difficile eſt definire. Chriſtianos eo vocabulo deſignatos fuiſſe Baronius tradit, quod & actis S. Abrecii Hierapolitani Epiſcopi confirmat. Sed novæ religionis homines novos homines dici, latinis auctoribus inſolitum fuiſſe adnotat Pagius; cum vero eoſdem Tertullianus heſternos dicat, quod idem fere eſt ac novos, hinc parum nos Pagi moveret conjectura. Chriſtianos tamen ea voce non fuiſſe deſignatos arbitramur; eiſdem enim M. Aurelius Imperii etiam ſui initio infenſiſſimus fuit, ac propterea de eorum pueris, & puellabus ſollicitum fuiſſe nemini facile perſuaſum erit, nec Abrecii acta a Metaphraſte vulgata, aut corrupta ſuadere id poſſunt. Unde nil aliud Capitolini indicant verba, quam auctum fuiſſe numerum puerorum, puellarum-

Capit. in M. Aurel. cap. 7.

Bar. an. 163. n. 10. Martyr. Rom. die 22. Octobris.
Pag. not. 11. ut ſup.
Tertull. Apol.

Tillem. tom. 2. pag. 621. de S. Abrecii actis.
Salmaſius in Capitol.
Cauſab. ibid.

JESU CHR. AN. 161.

rumque, quibus frumenta ſuppeditabantur. Primus etenim Trajanus hanc juſſerat frumenti diſtributionem, quam Adrianus auxerat: Pius etiam in honorem Fauſtinæ novas puellas catalogo decreverat adſcribendas, quas Fauſtinianas appellavit: nunc Marcus, & Verus, ob Imperii participationem, & nuptiarum conjunctionem, *novorum hominum*, ſeu ut alii legendum putant, *novorum nominum* pueros, & puellas adſcribi fecerunt, & aucta frumenti quantitate, aucti ſunt, qui illud perciperent; eoque factum, ut *novorum hominum* pueri, & puellæ ejuſdem eſſent participes.

De bello Romanos inter & Parthos.

3. Ultimis fere Antonini diebus, Severiani Romanorum ducis imprudentia, Romanos inter & Parthos bellum exarſerat: unde cum Antoninus jamjam moriturus deliraret, *nihil aliud, quam de Republica, & de Regibus, quibus iraſcebatur, locutus eſt*, ait Capitolinus. Severianus porro Armeniam invaſerat, Alexandri Pſeudomantis falſo præſagio deceptus, a quo nempe his carminibus incitatus fuerat:

Parthis, Armeniiſque citato Marte ſubactis,
Romam urbem repetes, & claras Tybridis undas,
Vertice ſerta gerens radiis diſtincta ſerenis.

Poſtquam autem concluſus undique cum vita exercitum amiſit, iis amotis, ſequentes ab eodem ſuffecti fuerunt:

Agmen in Armenios ne duc, neque enim expedit, iſthuc
Ne tibi foemineis vir amictus veſtibus arcu
Exitium immittat, vitaque ac lumine privet.

Ælii Veri Commodi in Orientem profectio. *Cap. in Marco cap. 13. Capitol. in Vero cap. 6.*

4. Urgente itaque bello Perſico, Ælius Verus Commodus conſentiente Senatu illuc mittitur, quem M. Aurelius Capuam uſque deduxit. Quadriennium Ælius nil agens in Oriente tranſegit: *poſt quadriennium Romam reverſum*, tradit Capitolinus, ut triumphum ageret, quibus annis *hyemem Laodiceæ, Æſtatem apud Daphnem, reliquam partem Antiochiæ egit*. Per legatos tamen, & Duces rem proſpere geſſit, maximumque bellum confecit.

Commodi nativitas.

5. Hoc eodem anno, quo Imperium adeptus M. Aurelius, filium ex Fauſtina habuit, quem nominavit Commodum, quique a Patre longe diſſimilis fuit: unde exierat fama, eum

non

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 161. non ex M. Aurelio, ſed adulterio ex gladiatoria ſtirpe genitum; nam mores gladiatore potius, quam Imperatore dignos retinuit.

JESU CHRISTI AN. 162. ANICETI PAPÆ 6.
M. AURELII, ET LUCII VERI IMP. AN. 2.
COSS. L. JUNIO RUSTICO, ET C. VETTIO AQUILINO.
OLYMPIAD. 235. AN. 2. URBIS AN. 915.

De perſecutione Marci Aurelii in Chriſtianos, ejuſque ſævitia, & duratione.

Dodwell. de paucitate Martyrum. Diſſert. XI. *num.* 35.

1. Etſi Marcum Aurelium, ob indefeſſam Reipublicæ curam, atque in ſubditos clementiam, multis exornent laudibus ſcriptores ethnici; in Chriſtianos tamen iniquum fuiſſe, tota Imperii ejus hiſtoria teſtatur: ita ut vel ipſe Perſecutorum Eccleſiæ Apologiſta perſecutiones, eaſque ſæviſſimas, eo imperante commemoret. Sed non harum omnium auctorem eum fuiſſe addit: *nec tam multos coronavit, quam putant Martyres, ut ex recenſione conſtabit*; ſæpe enim in eos nequaquam fidei cauſa ſævitum ſubdit, ſed ob crimina, quibus infamabantur, *de infanticidiis ſcilicet, & Oedipodæis inceſtibus*: unde fiebat, *ut Chriſtianos pro genere hominum flagitioſiſſimo Gentiles haberent. Non eſt itaque*, addit, *quod miremur eorum rabiem ultra modum excreviſſe; ſed nec mirum eſſe debet reſcriptum eſſe a clementiſſimo alioquin, mitiſſimoque Imperatore de puniendis Chriſtianis. Id tamen ea æquitate temperavit, ut ne in aliorum Chriſtianorum fraudem caderet, præterquam Lugdunenſium, atque Viennenſium, quos ſervorum teſtimonio convictos eorum criminum, conſtrictoſque teneret, ut proinde non tam Chriſtiani nominis hoſtis, quam infanticidiorum, inceſtuumque hoſtis fuerit habendus*. Quod autem Lugdunenſibus, ac Viennenſibus primo acciderat, & alibi poſtea contigiſſe innuit, cum ex calumniæ ex eorumdem provinciis in alias vulgatæ fuerint, ideoque concludit contra Viennenſes, & Lugdunenſes Chriſtianos primo motam fuiſſe perſecutionem, ceteras vero alibi excitatas ejuſdem quodammodo appendices fuiſſe. Præconceptæ tamen de paucitate Martyrum opinioni plus juſto indulſiſſe Dodwellum vel inde patet, quod ante Lugdunenſes, & Viennenſes Martyres, & ſub ipſis fere Imperii initiis, alii non pauci coronati ſunt; & quidem non ut infanticidæ, aut inceſtuoſi ſupplicio affecti, ſed ob eorum in fide Chriſtiana perſeverantiam, ut ſequentibus annis videbimus. Sed & periculoſa Chriſtianis

ſtianis fuiſſe Marci Aurelii tempora, repetitæ ad eum oblatæ pro illorum innocentia vindicanda Apologiæ a Juſtino, ab Athenagora, a Melitone Sardenſi, ab Apollinare Hierapolitano ſatis evincunt. Ipſos autem fidei cauſa martyrium ſubiiſſe, ex Juſtini Apologia ſecunda conſtat, qua narrat mulierem quamdam, Ptolomeum, & Lucium non alterius criminis, quam chriſtianitatis, pænas dediſſe. Quæ tandem Chriſtianorum conditio eſſet ſub Marco Aurelio, Theophilus, qui Antiochenam Eccleſiam, eo imperante, rexit, his verbis prodit: *Chriſtianos, qui verum Deum venerantur, hactenus ſunt perſequuti, nec adhuc hodie perſequi ceſſant. Quoſdam eorum, qui feſtinant ad capeſſendam, & ſanctam vitam agunt, lapidibus obruere, quoſdam interficere. Adhuc hodie non ceſſant Chriſtianos crudeliſſime, & immaniſſime virgis cœdere.* Nonnullos etiam ſub Marco Imperatore ad metalla damnatos fuiſſe, ex epiſtola Dionyſii Corinthiorum Epiſcopi ad Soterem Papam ſcimus, qua gratias agit, *quod fratribus, qui in metallis opus faciunt, neceſſaria ſuppeditarit.* De ejuſdem Imperio hæc adnotavit Euſebius: *Ex incurſione popularium innumerabiles prope Martyres per univerſum Orbem enituiſſe, quod ex iis, quæ in unica provincia contigerant, conjicere eſt*, ideſt in Lugdunenſi provincia. Nec populari tantum commotione, ſed & Præſidum auctoritate, vel ipſo etiam Imperatore annuente, Chriſtianos quandoque vexatos fuiſſe ex Juſtini Apologia ſecunda patet, qua refert Urbicii Præfecti juſſu eorum aliquos mortem obiiſſe; & in Juſtini actis Ruſticus Præfectus ſanctum Martyrem his compellat verbis: *Primo Diis crede, & Imperatoribus obſequere*; cumque ſe in Juſtino, & ſociis operam ludere animadvertiſſet, tandem juſſit, ut qui Diis ſacrificare, & Imperatoris præcepto parere noluiſſent, capitali ſententia punirentur. Immo adverſus eos edictis ſoeviiſſe Marcum Aurelium, auctor eſt Melito Sardenſis in Apologia: *Quod nunquam antea factum fuerat, perſecutionem nunc patitur piorum hominum genus, novis per Aſiam decretis exagitatum. Impudentiſſimi namque Delatores, ex Imperialibus edictis occaſionem nacti, palam diu, noctuque graſſantur.* Imperatorem deinde alloquens addit: *Si hæc tuo juſſu fiant, recte, atque ordinate facta ſunt, nos libenti animo ejuſmodi mortis præmium ferimus.* Has porro Chriſtianorum ſtrages Romæ etiam, ipſoque fere Imperatore ſpectante, eo inſcio contigiſſe fingi nequa-

Jesu Chr. an. 162.

Theoph. ad Autolycum lib. 3. Apoſtol. P. P. tom. 2.

Euſeb. lib. 5. in proemio.

Juſtin. act. num. 1.

Apud Euſeb. lib. 4. 26.

JESU CHR. AN. 162. quaquam poteſt: nec mirum cuiquam videri debet, M. Aurelium ingenio alioquin mitiſſimum, eos vehementiſſime exagitaſſe; nam cum Gentilium ſuperſtitioni a teneris unguiculis totus ſeſe dediſſet, ac vix octennis ab Hadriano Imp. in Saliorum Collegio relatus, Sacerdotii officia diligentiſſime fungeretur; Chriſtianos uti Atheos, & impios oderat, quem etiam Philoſophorum caterva ejus lateribus continuo inhærens infenſiorem reddebat. Sed de ejuſdem perſecutione hæc generatim dicta, ſatis ſint: ex his, quæ inferius narraturi ſumus, res clarius patebit.

De geſtis Marci, & Veri Imp. *Capitol. in M. Aurel. cap. 3.*

2. Inter Marci Aurelii amicos Junius Ruſticus hujus anni Conſul, Stoicæ philoſophiæ ſectator, præcipuus erat: ejus conſilio potiſſimum utebatur Imperator, ac ſecundo Conſulem deſignavit. Interea cum hoc tempore Verus Antiochiæ Daphniticis deliciis, libidinibus, & gladiatoriis ludis vacaret, Marcus Aurelius curam Reipublicæ gerens, de belli Parthici exitu vel maxime ſollicitus erat; eaque de cauſa Avidium Caſſium Syriacis legionibus præfecit, ut diffluentes luxuria, *& Daphniticis moribus*, ad militarem diſciplinam revocaret: unde Prætorii Præfectus ad eum: *Recte conſuluiſti mi Domine, quod Caſſium præfeciſti Syriacis Legionibus; nihil enim tam expedit, quam homo ſeverior Græcanicis militibus. Ille ſane omnes flores de capite, collo, & ſinu militi excutiet. Annona militaris omnis parata eſt &c.*

Vulcatius in Caſſii Vita cap. 5.

JESU CHRISTI AN. 163. ANICETI PAPÆ 7.
MARCI AURELII, ET L. VERI IMP. 3.
COSS. L. PAPIRIO ÆLIANO, ET JUNIO PASTORE.
OLYMPIAD. 235. AN. 3. URBIS AN. 916.

De Marci, & Veri geſtis, & de bello Parthico. *Dio lib. 71.*

1. Dum Syriacis deliciis frueretur Verus, ac Antiochiæ otioſe delicateque viveret, Marcus Aurelius ad bellum Parthicum neceſſaria Romæ ſollicite, diligenterque curabat. Statius vero Priſcus, anni 159. Conſul, Romanique Ductor exercitus, Artaxata expugnata, præſidium Neapoli impoſuit: unde Armeniaci nomen utriſque Auguſtis delatum eſt, quod Marcus, utpote a caſtrorum tumultu abſens, vix rogatus admiſit.

Lucillæ nuptiæ cum Vero.

2. Hoc etiam anno, Lucillam Verus duxit Uxorem: *Medio belli tempore Marcus Lucillam Brunduſium uſque deduxit,*

Digitized by Google

duxit, ut ad Verum mitteret; *ac ſtatim Romam rediit. Cum Verus ad Euphratem impulſu comitum ſuorum ſecundo profectus eſt, Epheſum etiam rediit, ut Lucillam uxorem miſſam a patre Marco ſuſciperet.*

JESU CHR. AN. 163. *Capitol. in Mar. cap. 6., & in Vero cap. 7.*

JESU CHRISTI AN. 164. ANICETI PAPÆ 8.
M. AURELII, ET L. VERI IMP. AN. 4.
COSS. NONIO MACRINO, ET CELSO.
OLYMPIAD. 235. AN. 4. URBIS AN. 917.

1. Anno 133. poſt Chriſti in Cœlum profectionem, ſub Conſulibus anni ſuperioris, maximis in Aſia in Chriſtianos motis tumultibus, plurimos pro Chriſto occubuiſſe Martyres, pluresque Celtarum, & Galatarum tunc ultimo ſupplicio eadem de cauſa affectos fuiſſe adnotat auctor Chronici Alex. Quibus conſentanea prodit Oroſius: *In diebus Parthici belli* (quod per hos annos geſtum eſt) *perſecutiones Chriſtianorum, quarta jam poſt Neronem vice in Aſia, & in Gallia graves præcepto ejus extiterunt, multique Sanctorum martyrio coronati ſunt.* Hoc itaque tempore in Chriſtianos perſecutionem efferbuiſſe, eorumque plurimos pro fide pugnantes martyrium obiiſſe non eſt dubitandum: ex his Julianus Soracte, Spoleti Concordius Presbyter, & Pontianus, Peruſiæ Conſtantius Epiſcopus, aliique plurimi recenſentur; quorum acta utpote ſuſpectæ fidei, aut interpolata, conſulto præterimus, de quibus plura apud Bollandum videri poſſunt. Præ ceteris vero celebrior fuit Glyceria nobiliſſima fœmina, quam Heracleæ martyrio occubuiſſe veteres tradunt: ejus memoria ſexto ſæculo ſumma in veneratione erat ob liquorem ex ejuſdem membris manantem, quo curandis infirmitatibus Conſtantinopolitani utebantur; de quibus plura habet Simocatta, de Mauricii Imperatoris geſtis differens.

De martyrio S. Glyceriæ, & S. Felicitatis, & Filiorum.

Oroſ. hiſt. lib. 7. cap. 15. to. 6. Bibliot. PP.

Apud Bolland. die 1. Januar. 14. 19. & 26. 4. Febr. 7. 21. Maii 6. 13.

Theoph. Simocat. lib. 1. cap. 11.

2. Celeberrima quoque in Occidente fuit S. Felicitas, quæ una cum ſeptem Filiis ſub eodem Imperatore Romæ coronata eſt; eamque propterea *pluſquam Martyrem, & ultra Martyrem* prædicat Gregorius Magnus, utpote quæ in Filiis ſuis multiplex martyrium ſuſtinuerit, *quæ credendo extitit ancilla Chriſti, & prædicando facta eſt mater Chriſti: Septem quippe Filios, ſicut in geſtis ejus emendatioribus legitur, ſic poſt ſe timuit vivos in carne relinquere, ſicut carnales pa-*

Felicitas martyrium cum filiis ſeptem ſubiit.

S. Greg. lib. 1. homil. 3. in Evang.

JESU CHR. AN. 164.

rentes ſolent metuere, ne mortuos præmittant. Petrus vero Chryſologus, *diſcurrebat*, inquit, *lætior inter confoſſa cadavera, quam inter cunabula cara filiorum, quia internis oculis tot cernebat trophea, quot vulnera, quot tormenta, tot præmia, quot victimas, tot coronas*. Sed ipſa Felicitatis acta omni fide digniſſima inſpiciamus, quibus eam Antonini Imperatoris temporibus, Pontificum inſtinctu, martyrium ſubiiſſe legitur. Antonini autem nomine Marcus Aurelius deſignatur, qui ab Antonino Patre adoptivo *Antoninus etiam dictus eſt*: hinc Euſebius: *Temporibus itaque Antonini Imperatoris orta eſt ſeditio Pontificum, & Felicitas illuſtris fœmina cum ſeptem filiis ſuis Chriſtianiſſimis tenta eſt, quæ in viduitate permanens, Deo ſuam voverat caſtitatem, die noctuque orationibus vacans*. Idolorum namque Pontifices Antonino Auguſto ſuggeſſerant, dicentes: *Contra ſalutem veſtram mulier hæc vidua cum filiis ſuis diis noſtris inſultat*: quare niſi Deos *venerata fuerit*, *ſciat pietas veſtra Deos noſtros ſic iraſci, ut penitus placari non poſſint*. Imperator vero Præfecto Urbis Publio injunxit, ut eam cum filiis ſuis deos ſacrificiis placare compelleret.

Petrus Chryſolog. ſerm. 134. S. Felicitatis, & filiorum acta. *Ruinart. pag. 21.* *Euſeb. lib. 4. 14.*

3. Publius itaque Felicitatem acceſſivit, & ad ſacrificandum Idolis pœnarum metu impellere pro viribus conatus eſt: illa vero blandimenta & errores ſpernens, ſecura ſum, inquit, quia vivens te ſuperabo, & ſi interfecta fuero, melius te vincam occiſa. Ad quam Publius: *Miſera ſi tibi ſuave eſt mori, vel filios tuos fac vivere*. Felicitas autem: *Vivent filii mei, ſi non ſacrificaverint Idolis*: *ſi vero hoc ſcelus admiſerint, in æternum ibunt interitum*. Cum hæc dixiſſet Felicitas, die altera in foro Martis, pro tribunali ſedens Præfectus, eam ad ſe iterum cum filiis adduci juſſit, quam humaniter allocutus, filiorum ſuorum, optimorum indole, & juventute florentium, ipſam miſereſcere deprecatus eſt: cui Felicitas: *Miſericordia tua, impietas eſt*; *& exortatio tua crudelitas*; ad filios vero converſa, hæc habuit: *Videte filii cœlum, & ſurſum adſpicite, ibi vos expectat Chriſtus cum ſanctis ſuis. Pugnate pro animabus veſtris, & fideles vos in amore Chriſti exhibete*. His Publius vehementer ſuccenſus, eam alapis cædi mandavit, inquiens: *Auſa es, me præſente, iſta monita dare, ut Dominorum noſtrorum juſſa contemnant?* ac primum ex filiis ejus Januarium vocavit, eique, ſi Idolis ſacrificare renuiſſet, ſupplicia minatus eſt; omnia tamen

Felicitas Publio Præſ. urbis ſiſtitur.

Felicitas cum filiis fidem confitetur.

men ſpernentem virgis cœdi, ac in carcerem trudi imperavit. Eadem pariter cum Felici filiorum alteri fruſtra indixiſſet Publius, tertium nomine Philippum interrogavit, qui impura ſacrificia exhorreſcens, Silvano locum ceſſit, cui Publius, *ut video*, inquit, *convenit vobis cum peſſima matre veſtra hoc conſilium, ut præcepta Principum contemnentes, omnes ſimul curratis in interitum*. Silvanus vero, ſe quidem Idola contemnere, ac Deum verum colere, unaque cum fratribus temporalia ſupplicia parvi pendere, ut æterna vitaret, reſpondit: quare, eo amoto, quintum præſto eſſe juſſit, Alexandrum ſcilicet, quem, ut ætatis ſuæ miſereretur, ac ut Diis ſacrificaret, hortatus eſt. At Alexander: *Ego ſervus Chriſti ſum*, inquit, *hunc ore, & corde inceſſanter adoro. Infirma ætas, quam cernis, canam habet prudentiam, ſi unum Deum colat. Dii autem tui cum cultoribus ſuis erunt in interitu ſempiterno*. Poſt eum exhibitus eſt ſextus Vitalis, a quo cum quæſiſſet Publius, optaret ne vivere, & non abire in exitium; reſpondit Vitalis: *Quis eſt qui optat melius vivere? qui verum Deum colit, an qui Dæmonem cupit habere propitium?* Tandem præcepit ſeptimum, & ultimum Martialem ingredi, eique non diſſimile ſupplicium minatus eſt, ſi Auguſtorum juſſa contemſiſſet. Illi vero Martialis: O ſi noſſes, quæ idolorum cultoribus pœnæ paratæ ſint! inſuperque omnes, qui Chriſtum Deum verum non confitentur, in ignem æternum ituros eſſe nunciavit: quare Publius juſſit & hunc ſeptimum amoveri, & geſta omnia per ordinem ſcripta Imperatori ſuggeſſit, quibus acceptis, ad diverſos Judices eos miſit Antoninus, ut variis ſuppliciis afficerentur. *E quibus unus judex primum fratrem plumbatis occidit: alter ſecundum, & tertium fuſtibus mactavit: alius quartum præcipitio interemit: alius quintum, ſextum, & ſeptimum capitalem fecit ſubire ſententiam, alius matrem illorum capite truncari juſſit. Et ita diverſis ſuppliciis interempti, omnes effecti ſunt victores, & Martyres Chriſti, & cum matre triumphantes, ad præmia in cœlis percipienda convolarunt*.

S. Felicitas cum Filiis ſeptem martyrio coronantur.

4. Eodem tempore Servilio Paulo *Aſiæ Proconſule*, *Sagaris Epiſcopus martyrium Laodiceæ perpeſſus eſt*, ut ex Melitone refert Euſebius, eumque inter celeberrimos Martyres in Aſia paſſos numerat Polycrates in ſua ad Victorem epiſtola: *Quid Sagarim Epiſcopum, eumdemque Martyrem attinet dicere, qui Laodiceæ eſt mortuus?*

Sagaris Laodiceæ Epiſcopus, & Martyr.

Euſeb. lib. 4. 26. *lib.* 5. 24. *Coutan. pag.* 98.

 5. Ad

JESU CHR. AN. 164.

Alii Martyres Byzantini.

Epiph. hær. 54. num. 1.

5. Ad hanc quoque M. Aurelii perſecutionem ea ſpectant, quæ Epiphanius de Theodoto Coriario hæretico narrat his verbis: *Theodotus ille Byzantio oriundus arte coriaria erat homo apprime litteris eruditus, qui cum aliis plerisque ineunte perſecutione comprehenſus, cum de omnibus quæſtio ob Chriſti nomen haberetur; ceteri quidem Dei famuli, reportata victoria, cæleſte præmium conſecuti ſunt, martyrio pro Chriſto perfuncti. At ille Chriſtum negans, transgreſſor eſt factus.* Qui autem, quotve ii fuerint, qui Byzantio pro Chriſti Fide certantes martyrii coronam adepti ſunt, cum nemo memoriæ prodiderit, incertum eſt. Sub Cæcilio Capella Byzantii ſæviſſime vexatos fuiſſe Chriſtianos, teſtatur Tertullianus, ſimulque addit, eumdem Præſidem, cum Severi temporibus circa annum 196. civitas expugnaretur, exclamaſſe, *Chriſtiani gaudete*; eo quod Deus ea Byzantinorum ſtrage Fidelium ulciſceretur ſanguinem injuria effuſum. Quæ ſane ad hanc, de qua agimus, perſecutionem referri quoque poſſe, nemo non videt.

Tertull. ad Scapulam c. 3.

JESU CHRITSI AN. 165. ANICETI PAPÆ 9.
M. AURELII, ET L. VERI IMP. AN. 5.
COSS. L. ARRIO PUDENTE, ET M. GAVIO ORPHITO.
OLYMPIAD. 236. AN. 1. URBIS AN. 918.

Vologeſus a Caſſio vincitur.

1. Avidius Caſſius Parthico bello præfectus, Vologeſo victo ac fugato, Euphratem, & Tigrim hoc anno tranſivit, moxque Cteſiphontem, & Seleuciam nobiliſſima Perſarum oppida occupavit: qua victoria elatus, de uſurpando Imperio cogitare cœpit, ut ex Veri Epiſtolis ad Marcum, ejuſque reſponſis patet: *Avidius Caſſius cupidus eſt Imperii*, ſcripſerat Verus, *& quantum mihi videtur, jam inde ſub Avo meo Patre tuo innotuit, quem velim obſervari jubeas. Omnia ei noſtra diſplicent, opes non mediocres parat, litteras noſtras ridet. Te Philoſophum aniculam, me luxurioſum morionem vocat. Vide quid agendum ſit.* Marcus vero ad Verum hæc reſcripſit: *Epiſtolam tuam legi, & ſollicitam potius, quam Imperatoriam, & non noſtri temporis. Nam ſi ei divinitus deberetur Imperium, non poterimus interficere, etiamſi velimus. Scis enim proavi tui dictum, ſucceſſorem ſuum nullus occidit. Sin minus ipſe ſponte ſine noſtra crudelitate fatales laqueos inciderit. Adde quod non poſſumus reum facere, quem nullus*

Vulcat. in Caſſ. cap. 2.

M. Aurelii epiſtola ad Verum.

nullus accuſat, & ut ipſe dicis, milites amant .... Scis ipſe quid avus tuus Hadrianus dixerit: Miſera conditio Imperatorum, quibus de affectata Tyrannide, niſi occiſis, non poteſt credi. Sibi ergo habeat ſuos mores, maxime cum bonus dux ſit, & ſeverus, & fortis, & Reipublicæ neceſſarius. Nam quod dicis liberis meis cavendum eſſe morte illius, plane liberi mei pereant, ſi magis amari merebitur Avidius, quam illi, & ſi Reip. expediet Caſſium vivere, quam liberos Marci. Hactenus M. Aurelii Epiſtola Philoſophi ſane Imperatoris digna.

JESU CHRISTI an. 166. Aniceti Papæ 10.
M. Aurelii, et L. Veri Imp. 6.
Coss. Servilio Pudente, et L. Fussidio Pollione.
Olimpiad. 236. an. 2. Urbis an. 919.

1. Cum maximis perſecutionum procellis hoc tempore Aſianæ turbarentur Eccleſiæ, Polycarpus Smyrnæorum Epiſcopus, pietate, ac doctrina celeberrimus, ætate, & auctoritate venerabilis, qui Apoſtolorum, Joannis præcipue, diſcipulus fuerat, ſupremum diem glorioſo martyrio finivit: *qua tempeſtate*, ait Euſebius, de Imperio M. Aurelii loquens, *cum graviſſimi perſecutionum motus Aſiam concuſſiſſent, Polycarpus vitam martyrio terminavit*. Quo quidem anno id acciderit, tot fere ſunt ſententiæ, quot Auctores. In eo autem cum plures conveniant, quod inter annum 165. ad 170. ejuſdem martyrium collocandum ſit; huic anno illud nos cum erudiſſimis viris Tillemontio, Ruinartio, & Juſtini Editore referimus. A cæteris tamen longe diffidet Pearſonius, qui contra Euſebii fidem, ad M. Aurelii tempora martyrium Polycarpi narrantis, illud ad Antonini Pii retraxit, ad annum ſcilicet 147. In Polycarpi Actis, ſeu epiſtola de ejuſdem martyrio, de die, & anno, quo paſſus eſt, hæc leguntur: *Martyrium paſſus eſt B. Polycarpus Xantici menſis ineuntis die ſecundo ante ſeptimum Kal. Majas, magno Sabbato hora octava. Captus eſt ab Herode ſub Pontifice Philippo Trabiano, Proconſule Statio Quadrato*. At unde lumen ad inveniendum martyrii diem ſperabatur, aut annum, tenebræ exortæ ſunt, ob diverſam computandi rationem, aut magni Sabbati explicationem, & ob diverſas de Proconſulatu Statii Quadrati eruditorum ſententias. Et ne in difficili longiorique Chro-

De Polycarpi martyrio.

Euſeb. lib. 4. 15.

Pagi an. 165. n. 4.
Baſnag. an. 169.
Tillem. n. 5. in Polycarp. pag. 635.
Ruinart. Act. Martyr. in Polyc.
Juſtin. præf. n. 3. cap. 9.
Pearſon. oper. poſthum. diſſertat. 2. cap. 15. pag. 282.
Epiſt. Eccleſ. Smyrn. tom. 2. Apoſtol. PP. pag. 203.

no-

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 166.

Tillem. tom. 2. pag. 635. *Baſnag. an. 169.* *Uſſer. in Act. Polycarp., & Diſſert. de anno Macedon.* *Euſeb. lib. 4. 15.*

nologica quæſtione, quæ non magnam præſefert utilitatem, diutius immoremur; lectorem ad Tillemontium, Uſſerium, aut Baſnagium remittimus, qui de hoc pluribus pertractarunt. Interea ad ipſa Polycarpi acta enarranda ſtylum convertimus. De Polycarpi martyrio ex Smyrnenſis Eccleſiæ epiſtola hiſtoriæ ſuæ multa inſeruerat Euſebius, ex qua & ceteri Eccleſiaſtici Scriptores decerpſerant. Tandem Dei providentia factum eſt, ut elapſo ſæculo ipſa in lucem integra prodiret epiſtola ab Uſſerio primum edita, tum ab aliis, in qua nonnulla ſcitu digna narrantur, ab Euſebio prætermiſſa.

Tom. 2. PP. Apoſt. p. 195.

De atrocitate perſecutionis, & Sociis Polycarpi.

2. In primis quippe epiſtola eadem conſtat, ante Polycarpum quamplurimos Smrynæ martyrium ſubiiſſe, eamque perſecutionem, Martyrum numero, ſuppliciorum atrocitate ſœviſſimam fuiſſe: *Scripſimus enim vobis* (inquiunt Smyrnenſes fratres ad Philadelphiorum Eccleſiam, & ad cæteros ubique Terrarum Catholicos) *de Martyribus, & de B. Polycarpo, qui velut ſignaculo poſito, martyrio ſuo perſecutioni finem impoſuit*. Sed hic non abs re erit cum eorumdem Actorum Collectoribus adnotare, eos, qui in martyrio Polycarpum præceſſerant, tanta conſtantia pro fide certaſſe, ut licet flagris immaniter lacerarentur, eoſque vel ipſi adſtantes miſereſcerent, invicta tamen fortitudine ſuſtinuerint, nec illorum aliquis vel ſtridere, vel ingemiſcere viſus fuerit. Immo ipſis quodammodo frigidus videbatur crudelium carnificum ignis; illum quippe, qui æternus eſt, nec unquam extinguitur, effugere intuebantur, eaque prægustabant, quæ tolerantibus ſunt reſervata, quæque nec auris audivit, nec oculus vidit, nec in cor hominis aſcenderunt. Pari quoque robore qui ad beſtias damnati erant, graves cruciatus diu pertulerunt, ſuper murices proſtrati, variiſque atrociſſimis tormentis excruciati, ut, ſi fieri poſſet, ſuppliciorum aſſiduitate ad negationem adducerentur. Huc ſiquidem tendebant, quæcumque adverſus illos machinatus eſt diabolus; cui tamen martyres invicto pectore reſtiterunt. Nam e contra fortiſſimus Germanicus præ ceteris tolerantia ſua, ac ſplendide cum beſtiis pugnans, ſocios corroboravit: cumque Proconſul eum flectere tentaret, diceretque, ut propriam miſeraretur ætatem; ipſe beſtiam ultro ad ſe attraxit, eique vim intulit, cupiens velocius ex injuſta, & iniqua eorum hominum vita effugere: ex quo factum, ut univerſa multitudo Chriſtianam

Martyrum conſtantia commendatur.

1. Cor. 2. 9.

nam fortitudinem admirata, exclamaſſet; *Tolle impios: Polycarpus requiratur*. Accedit præterea, ut quidam nomine Quintus, natione Phryx, cum vidiſſet beſtias, timore perculſus eſſet. Hic porro ſe ipſum, & alios quoſdam impulerat, ut ultro ad martyrium ſe offerrent; illum tamen Proconſul obſecrationibus jurare ac ſacrificare perſuaſit: *Quare Epheſiorum Eccleſia non probamus eos*, inquit, *qui ſponte ſeſe offerunt. Quandoquidem non ita docet Evangelium*. His de ſociis Polycarpi prænotatis, ad ejuſdem martyrium oratio dilabitur.

JESU CHR. AN. 166.

Se martyrio ultro offerre illicitum.

3. Polycarpus itaque etſi a Gentilibus ſe inquiri ſciret, turbatus tamen non eſt; ſed in Urbe permanere deſtinaverat: nonnulli tamen ei perſuaſerunt, ut diſcederet, & in agellum non valde diſſitum a civitate ſecederet, ubi cum paucis manens, diu noctuque pro univerſis, & pro omnibus per Orbem Eccleſiis, quod ipſi ſolemne erat, orabat. Triduo autem antequam comprehenderetur, hæc viſio ei objecta fuit, ſuum nempe cervical incendio conflagrari: tunc ad comites converſus, prophetice dixit: *Oportet me vivum comburi*. Interim vero inſtantibus, qui quærebant eum, in aliam Villam migravit. Cum igitur inquiſitores eumdem non reperiſſent, ab altero ex ſervulis tormentis ſubdito Confeſſionem extorſere: fruſtra ſiquidem domeſticos proditores effugeret. Itaque *feria ſexta ſub horam cœnæ* egreſſi ſunt Diogmitæ, & equites cum conſuetis armis tanquam ad latronem currentes, & ſub veſpertinum tempus ſupervenientes, ipſum in quodam ſuperiore cubiculo diſcumbentem repererunt, unde quidem in aliud prædium abire poterat; ſed renuit, dicens: *Fiat voluntas Domini*: quinimmo militibus in occurſum deſcendit, eoſque collocutus eſt, qui Polycarpi ætatem, atque conſtantiam mirati ſunt. Ipſe vero juſſit eis cibum & potum, quantum vellent, apponi; de hoc tantum eoſdem obſecrans, ut horæ ſpatium ſibi darent, quo libere precaretur. Quod cum conceſſiſſent, ſtans oravit Dei gratia adeo plenus, ut duas horas tacere nequiverit, ipſique obſtupuerint auditores, quorum plures pœnituit, *quod adverſus tam divinum ſenem veniſſent*. Poſt orationem, cum proficiſcendi hora appropinquaſſet; *aſino eum imponentes, in civitatem duxerunt, die magni Sabbati. Et occurit ei Irenarcha Herodes, ac pater ejus Nicetes. Qui & eum in vehiculum ſuum tranſtulerunt, aſſidenteſque hortabantur*

Polycarp. perquiritur; inventus Smyrnam perducitur.

JESU CHR. AN. 166.

tur illum his verbis, & aliis ſimilibus: Quid enim mali eſt dicere Domine Cæſar, & ſacrificare; atque ita ſalvum evadere? Ille autem primum quidem eis non reſpondit. Sed cum inſtarent, non ſum, inquit, facturus quod ſuadetis mihi. Tum illi, fruſtrati ſpe flectendi illum, contumelioſa ei verba dixerunt, & cum impetu deturbarunt eum, adeo ut e vehiculo deſcendens tibiam diſtraheret. Verum nequaquam commotus, ac ſi nihil mali paſſus eſſet, alacriter & propere pergebat, ductus ad ſtadium. Tantus vero erat tumultus in ſtadio, ut nemo poſſet audiri.

Polycarpus coram Proconſule Chriſti fidem confitetur.

4. Ut illuc Polycarpus acceſſit, vox ad eum de cœlo facta eſt: *Fortis eſto & viriliter age, Polycarpe*: & quamvis eum, qui vocem emiſerat, vidiſſet nemo; ipſam tamen quicumque præſentes erant audierunt. De cætero adductum eum interrogavit Proconſul, an ipſe eſſet Polycarpus; cumque fateretur, hortabatur ille, ut negaret, dicens: *Reverere ætatem tuam*; aliaque his ſimilia, ut illi ſolent, proferens: *Jura per genium Cæſaris: Reſpice: Dic; Tolle impios*. Tunc Polycarpus gravi ac ſevero vultu turbam omnem ſceleratorum, qui in ſtadio erant, Gentilium contuens, manumque in eos intentans, ſimulque gemens, ac cœlum ſuſpiciens, dixit: *Tolle impios*. Inſiſtente vero Proconſule, atque ajente: *Jura, & dimitto te: convicium fac Chriſto*: Polycarpus reſpondit: *Octoginta, & ſex anni ſunt, ex quo ſervio ei, nec me ulla affecit injuria: & quo modo poſſum convicia dicere adverſus Regem meum, qui ſalvum me fecit?*

Quot annis Polycarpus vixerit, ac Chriſto inſervierit.

Pearſon. diſſert. 2. de ſucceſſ. Rom. Pontif. p. 282. cap. 15. Uſſer. not. in hunc locum, & Præf. in Ignat. Baſnag. ann. 169. Tillem. not. 5. in Polycarpum Euſeb. lib. 4. 15.

5. Octaginta ſex annos, quibus ſe Chriſto inſerviſſe dixit Polycarpus, de vitæ curriculo explicat Pearſonius; totidem enim vixiſſe tradit. Alii tamen, & verius, octoginta ſex annos eum in Epiſcopatu Chriſto deſerviſſe; id etenim & Irenæi verba apud Euſebium indicant, quibus teſtatur, Polycarpum non ſolum ab Apoſtolis eruditum, & cum multis, qui Dominum viderant, familiariter converſatum; verum etiam in Aſia Smyrnenſi Eccleſiæ ab ipſis Apoſtolis Epiſcopum fuiſſe ordinatum, ibique diutiſſime vixiſſe, & in ultima ſenectute ſumma cum gloria illuſtre martyrium obiiſſe: ex quibus annos octoginta ſex exceſſiſſe Polycarpum, inferri poteſt. Nec vere octoginta ſex annis Domino militaſſe diceretur, qui non plures vixiſſet; pueritiæ etenim anni computari vix poſſunt. Itaque dum ſe tandiu Chriſto inſerviſſe teſtatus eſt Polycar-

lycarpus, annos Epiſcopatus ſui deſignavit, aut ſaltem tempus, ex quo Chriſto nomen dederat, cum jam rationis compos eſſet.

Qua de cauſa Polycarpus per Cæſaris genium jurare recuſaverit

6. Nunc ad Acta redimus. *Urgente rurſus Proconſule, ac inquiente, jura per genium Cæſaris, reſpondit: Si ambitioſe contendis, ut jurem per Cæſaris, ut tu vocas, genium, ſimulas autem ignorare, quis ſim, palam audi: Chriſtianus ſum: ſi vero cupis chriſtianæ Religionis rationem diſcere, da diei ſpatium, & audi.* Ideo autem per Cæſaris genium jurare recuſabat, quia, ut ait Tertullianus, *juramus ſicut non per genios Cæſarum, ita per ſalutem eorum, quæ eſt auguſtior omnibus geniis. Neſcitis Genios Dæmones dici, & inde diminutiva voce Dæmonia?* Unde ſub chriſtianis Imperatoribus immutatam fuiſſe juramenti militaris formulam, tradit Vegetius, ut ſcilicet per Trinitatem jurarent, & per Imperatorum majeſtatem, quos ſalvos cupiebant Chriſtiani. Tunc Proconſul Polycarpo: *Perſuade populo*; Polycarpus vero: *Te quidem ſermone, ac ratione dignatus ſum. Edocti namque ſumus, Principibus, & Poteſtatibus a Deo ordinatis honorem, prout decet, qui nobis non officiat, dare. Illos vero indignos cenſeo, quibus rationem reddam.* At iterum Proconſul: *Beſtias habeo, his te objiciam, niſi reſipueris.* Ipſe vero: *eas*, inquit, *arceſſe. Neque enim reſipiſcere ſolemus, ea reſipiſcentia, qua a melioribus ad deteriora mutatio fit.* Polycarpum denuo ignis ſupplicio terrere conatus eſt Proconſul, niſi ſententiam mutaret. Sed impavidus Senex ſpernens minas, nec ignem timens, qui ad horam ardet, ac brevi extinguitur: *Ignoras*, inquit, *illum futuri Judicii, & æternæ pœnæ ignem, qui impiis reſervatur. Verum quid moraris? profer quodcumque volueris.* Hæc atque alia quamplurima cum diceret, fiducia, & gaudio replebatur. E contra Proconſul ira atque ſtupore affectus, præconem juſſit in medio ſtadio proclamare: *Polycarpus confeſſus eſt, Chriſtianum ſe eſſe.* Quod, ubi pronunciatum, univerſa multitudo Gentilium, ac Judæorum, qui Smyrnam incolebant, effrænato furore, ac magna voce conclamarunt: *Hic eſt Aſiæ magiſter, pater Chriſtianorum, noſtrorum deorum everſor, qui multos docet, ne ſacrificent, neve deos adorent. Iſta inquientes, acclamabant, rogabantque Aſiarcham Philippum, ut leonem adverſus Polycarpum emitteret. At Philippus negavit id ſibi licere, quia venationes, ſeu gladiatoria ſpectacula jam expleverat.*

Tertull. Apol. cap. 32.

Veget. de re milit. lib. 2. cap. 5.

Polycarpi iterata Confeſſio.

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 166.

Polycarpus ad ignem damnatus, Martyrio coronatur.

7. Quare uno tandem conſenſu poſtularunt, ut Polycarpus vivus combureretur. Neceſſe quippe erat, ut viſio illa de cervicali flammis involuto, quæ ei inter orandum oſtenſa fuerat, impleretur. Hæc igitur citiſſime peracta ſunt, cuncta plebe confeſtim ex officinis ac balneis ligna, & ſarmenta congregante, præcipue Judæis alacri, ut ſolent, animo adjuvantibus. Ubi autem rogus apparatus eſt, Polycarpus veſtimentis ſibi detractis, & cingulo ſoluto, ſe etiam excalceare conabatur. Cum vero clavis affigendus eſſet; *Sinite*, inquit: *Qui enim mihi dat ignem pati, dabit & ſine veſtra ex clavis cautione, immotum in pyra permanere*. Itaque non eum clavis defixerunt; ſed manibus poſt tergum poſitis, ligaverunt. Tunc Cœlum contuitus, ſe ipſum tanquam ſacrificium Deo acceptum obtulit, utque Sanctorum reſurrectionis particeps eſſet, precatus eſt. Oratione completa, cum Amen addidiſſet, miniſtri cataſtam, in qua poſitus erat, incenderunt: quo tempore, *grande miraculum vidimus*, addunt Actorum collectores. *Ignis enim fornicis ſpeciem præbens, tamquam navis velum a vento repletum, atque ſinuatum, undique circumdedit Martyris corpus; quod quidem in medio poſitum, non ut caro aſſa videbatur, ſed veluti panis coctus, vel ſicut aurum, & argentum in fornuce candens. Tantam quippe fragrantiam odorabamur, ac ſi thus, aut aliud quoddam pretioſorum aromatum oluiſſet. Tandem igitur cernentes improbi, corpus ipſius ab igne non poſſe conſumi, juſſerunt confectorem propius accedere, pugionemque capulo tenus abdere. Quod cum ille feciſſet, egreſſa eſt columba, item tanta vis ſanguinis, ut ignem extingueret, utque univerſa plebs miraretur tantum eſſe diſcrimen inter infideles, & electos. Quorum unus hic fuit, maxime admirandus Martyr Polycarpus &c.* Hactenus de tanti Viri martyrio ejuſdem Acta.

Chriſtianorum ſtudium in Martyrum Reliquias.

8. Quantum vero ſolliciti Fideles fuerint, ut Martyris Reliquiæ honorifico conderentur ſepulcro, quantave in veneratione eas habuerint, ex eiſdem Actis edocemur. Æmulus ille peſſimus, juſtorumque generi adverſus, Diabolus nempe, operam quidem dederat, ne tam venerabilis Senis Reliquiæ a Fidelibus tollerentur, quemadmodum multi id facere cupiebant. Suggeſſerat itaque Nicetæ Herodis patri, fratri autem Alces, adire Proconſulem, ne illius corpus ad ſepeliendum traderet; ne ſcilicet relicto Crucifixo, hunc colere inciperent.

rent. Ejuſmodi commenti auctores erant Judæi, qui id inſtanter ſuadebant, immo etiam Chriſtianos eum ex igne extracturos obſervaverant: ignari profecto, quod hi nec Chriſtum umquam derelinquere poterunt, nec alium quemquam colere, poſtquam eum, qui pro peccatoribus inculpatus, proque ſalute omnium, qui in toto mundo ſalvi fient, paſſus eſt, ſemel ſecuti fuerint. *Illum ſiquidem, utpote Filium Dei, adoramus: Martyres vero tamquam Domini diſcipulos, & imitatores, merito diligimus, propter illorum erga ſuum Regem, ac magiſtrum benevolentiam eximiam: quorum utinam & nos ſiamus conſortes, ac condiſcipuli.* Videns autem Centurio a Judæis excitatam contentionem, corpus in medio ignis poſitum exuſſit, illiuſque oſſa gemmis pretioſiſſimis exquiſitiora, & ſuper aurum probatiora, decenti loco depoſuerunt Fideles, ſperantes ſe quam cito, in unum congregatos, cum exultatione ac gaudio natalem martyrii ejus diem celebrare poſſe, tum in memoriam eorum, qui certamina pertulerunt, cum in Chriſtianorum exercitationem, ac exemplum. Hæc de Beato Polycarpo, inter eos duodecimo, qui Smyrnæ martyrium paſſi ſunt.

Fideles diem natalem Polycarpi celebrare cupiunt

9. Aliqua etiam adnotant Acta, quæ apud Euſebium deſiderantur; inter cetera nempe petiiſſe fratres, ut cuncta, quæ geſta fuerant, fuſius illis exponerentur: quare addunt: *Nos vero in præſentiarum ſummatim indicavimus per fratrem noſtrum Marcum; quæ cum dederitis, epiſtolam fratribus ulterius poſitis tranſmittite, ut & illi glorificent Dominum. Salutate omnes Sanctos. Vos, qui nobiſcum ſunt, ſalutant, & qui ſcripſit Evariſtus cum omni domo ſua.* Deinde: *Martyrium paſſus eſt B. Polycarpus Xantici menſis ineuntis die ſecundo, ante ſeptimum Kal. majas, magno Sabbato, hora octava; captus eſt ab Herode, ſub Pontifice Philippo Tralliano, Proconſule Statio Quadrato, regnante vero in ſæcula Jeſu Chriſto, cui gloria &c.* Alieno calamo hæc etiam appoſita leguntur, quod ſcilicet Cajus ea deſcripſerat ex Codice Irenæi Diſcipuli B. Polycarpi; inferius vero: *Ego Pionius ex ſupraſcripto exaravi &c.*, ut illi per revelationem B. Polycarpus patefecerat: quæ cum ex incerto prodeant auctore, incerta remanent. Illius tamen Martyrii memoria apud Græcos die 23. Februarii; apud Latinos vero die 26. Januarii recolitur.

Smyrnæi petunt, ut epiſtola toto Orbe vulgetur.

10. Polycarpi Acta, etſi longiora, integra fere recen-

Reliquiarum cultus, & Feſtorum celebratio antiquitus ſervata.

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 166. fuimus; tum quia horum lectione animus ita afficitur, ut nunquam ſatus recedat; cum etiam quia inter antiqua Eccleſiæ monumenta præſtantiora merito habentur, in his præcipue, quæ Sanctorum cultum, aut Reliquiarum venerationem ſpectant, quibus Eccleſiæ traditio teſtata, & inconcuſſa redditur. Et quidem e tam illuſtri Smyrnenſis Eccleſiæ exemplo Heterodoxorum nonnulli Feſta in honorem Sanctorum Martyrum originem duxiſſe fatentur: præ ceteris audiendus eſt Bingamus, de Martyrum Feſtis diſſerens: *Prima horum Feſtorum origo non ſatis cognita eſt. Viri autem docti communiter eam ad ſecundum a nato Chriſto ſæculum referunt; cujus quidem rei planum ſuppetit exemplum, nam non ſolum frequens eorum mentio habetur in Cypriano, & Tertulliano, ſed multo ante in epiſtola Eccleſiæ Smyrnenſis ab Euſebio memorata, ubi de Polycarpi Epiſcopi ſui loquentes paſſione, fratribus ſuis nunciant propoſitum ſibi eſſe, eo loco, ubi oſſa ejus condidiſſent, ſi Deus conceſſerit convenire, natalemque ejus martyrii diem cum hilaritate, & gaudio celebrare, tum in memoriam eorum, qui glorioſo certamine perfuncti ſunt, tum ad poſteros hujuſmodi exemplo erudiendos, & confirmandos*. Bingamo conſentit Baſnagius: *Ex facto Smyrnenſis Eccleſiæ diſcimus quid honoris ſit habendum, & Martyribus, & Sanctorum Reliquiis*: idque ex eo deſumit, quod nonnulli (Judæi præcipue) Proconſulem rogaſſent, ne Polycarpi corpus Chriſtianis traderet, ne forte, relicto Crucifixo, ipſum colere inciperent; ad quæ tamen Polycarpi diſcipuli, uti mox tranſcripſimus, adnonant eos non poſſe unquam Chriſtum relinquere, nec alium quemquam eo cultu, quo Chriſtum, colere; ſed martyres tamquam diſcipulos, & imitatores Domini, debito amore proſequi, ob eximiam benevolentiam, quam in Regem, ac magiſtrum ſuum oſtenderunt. Quibus prænotatis, aliiſque de honore Polycarpi Reliquiis exhibito, & de deſiderio natalem tanti Martyris diem celebrandi; hæc demum addit, ut Eccleſiæ fidem, & diſciplinam de Sanctorum invocatione, & cultu oppugnet. Primo enim obſervat, Polycarpum igni jam deſtinatum, & morti proximum Trinitatem quidem invocaſſe, Patrem ſcilicet, Filium, & Spiritum Sanctum, ac æternum Chriſti Sacerdotium agnoviſſe; nullatenus vero B. Virgini, aut Sanctorum cuiquam exitum ſuum commendaſſe. Tum etiam Martyres religionis honore non affeciſſe ob *munus*, *dignita-*

Bingam. Orig. Eccleſ. lib. 20. cap. 7.

Baſnag. an. 169. 15.

Digitized by Google

gnitatemque Præfectorum, qui Eccleſiam adminiſtrant, & regunt, quæ vere hodie cauſa eſt, cur religioſus Sanctis honos exhibeatur, qui certis & locis, & morbis præeſſe prædicantur. Tandem Polycarpi Reliquias ſepulcro decenter conditas, non vero ſacræ menſæ ſubterlocatas, auro incluſas, collo appenſas, palamque circumlatas, vel adorationi expoſitas fuiſſe, adnotat. At in malæ cauſſæ patrocinium peſſima quoque utitur argumentatione. Nam etſi Polycarpus morti proximus Beatam Virginem, aut Sanctorum quemquam non invocaverit, ſed Patrem, Filium, & Sanctum Spiritum; Sanctorum invocationi hæc minime adverſantur. Nos ſiquidem docet Tridentinum Concilium: *Bonum, & utile eſſe ſuppliciter Sanctos invocare, & ob beneficia impetranda a Deo per filium ejus Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui ſolus noſter Redemptor, & Salvator eſt, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere &c.* Eos etiam damnat, qui ab invocatione Sanctorum, tamquam ab Idolatria averſantur; Fidelium tamen arbitrio relinquit Sanctos invocare, quos, & quando velint, nec piaculum erit, ſi quis aut morte inſtante, aut alio tempore immediato ad Deum confugerit, nulla adhibita Sanctorum mediatione. Leviora adhuc ſunt, quæ ibidem adverſus Sanctorum invocationem objicit; nam falſum eſt, Sanctis religioſum cultum tribui ob munus, aut dignitatem, qua in Eccleſia functi ſint, cum niſi vitæ ſanctitate claruerint, quacumque dignitate fulſerint, eo honore digni non cenſeantur. Falſiſſimum etiam, Eccleſiam docere Sanctos certis locis, aut morbis præeſſe: apud vulgus, aut ſuperſtitioſas aniculas, hæc aliquando venditantur; at eorum opiniones nullatenus Eccleſia confirmat; quinimo præcipit, ut fidelibus Paſtores inſinuent, nullam imaginibus virtutem ineſſe, aut divinitatem, nullamque in eis fiduciam eſſe ponendam, ſed honorem eiſdem exhibitum ad prototypa, quæ per imagines Chriſti, & Sanctorum repræſentantur, referri. Abuſus vero, ſi qui irrepſerint, aboleri Synodus vehementer cupit. Quod autem Polycarpi oſſa ſacræ menſæ ſubter non fuerint locata, ratio evidens eſt, quod vigente perſecutione, nullo certo loco conventus celebrarentur; Acta tamen teſtantur Smyrnenſibus in voto fuiſſe, ſingulis annis eodem loco, ubi ille ſepultus fuerat, natalitium celebrare: unde factum eſt, ut quo loco Martyrum Reliquiæ repoſitæ erant, Eccleſiæ, & altaria poſtmodum ædificarentur, ut pluribus exemplis

Baſnag. an. 169. 15. Baſnagii objectionibus reſpondetur.

Conc. Trid. ſeſſ. 25. in Decret. de invoc. Sanctor.

Trident. ut ſupra.

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 166. *Bing. Orig. Eccleſ. lib. 20. §. 2. 3. 4.*

plis conſtat, invictiſque probat argumentis Bingamus; ſi ergo noſtris fidem denegat, ſuis ſaltem credere neceſſe eſt. Ad rem tandem nil faciunt, quæ ulterius ingerit, quod nempe Polycarpi Reliquiæ neque auro incluſæ fuerint, neque collo appenſæ, neque adorationi expoſitæ, aut per eccleſiam delatæ. Hæc in primis Eccleſiæ fidem nullatenus ſpectant, aut diſciplinam; nuſpiam enim jubet Sanctorum Reliquias collo appendi, per eccleſias, aut plateas, & vicos circumferri. Merito tamen auro incluſæ aliquando ſervantur, ut fidelium venerationi, non adorationi exponantur: atque in hujuſmodi cultus exhibitione pietas ac religio Smyrnenſis & Lugdunenſis Eccleſiæ, ut inferius videbitur, æmulatur, quæ Polycarpi, aliorumque Martyrum Reliquas auro ſibi pretioſiores fuiſſe teſtatæ ſunt; quare ab hiſce adverſus Eccleſiam criminationibus temperare ſe poterat Baſnagius, & ex Smyrnenſis Eccleſiæ exemplo, in ſuos ſuæque communionis præformatores ſtylum æquius acuiſſet. Nam ſi Smyrnenſes, ut ipſe adnotat, laudandi ſunt, eo quod curaverint, ut Polycarpi oſſa decenti ſepultura conderentur, ſi laudandi, dum cupiunt ejuſdem natalitia ſingulis annis ad ejus ſepulcrum celebrare, ſe ſeque profitentur Martyres debito honore proſequi tamquam imitatores Chriſti; ſi, inquam, ipſi ob tantam erga Sanctos benevolentiam & curam laudandi ſunt, quid de iis dicendum, qui eorum oſſa e ſepulcris effoderunt, &, ut res viliſſimas, aut igni deſtinarunt, aut tamquam immundas abjecerunt; vel de eis, qui nullas Martyrum memorias celebrant, aut eorum ſepulcra nunquam adeunt? Nonne hæc ab Eccleſiæ Calviniſticæ, & Lutheranicæ ſectatoribus, & Præformatoribus patrata ſunt, dum Germanicas, Anglicas, Gallicanas Eccleſias barbarico furore occuparunt, violarunt, & ſubverterunt. Aut ergo Smyrnenſium, aliorumque Fidelium primitivæ Eccleſiæ in Sanctorum Reliquias venerationem, & cultum improbet Baſnagius, aut ſuos, ſuæque communionis aſſeclas; alioquin ex ſuomet ore condemnabitur, dum in Smyrnenſibus laudat, quod ſui execrantur. Ubi etenim, aut quando apud Calvinianos, aut Lutheranos, Smyrnenſium exemplo, Martyrum ſepulcra frequentantur, memoria celebratur, aut eorumdem Reliquiæ auro prætioſiores habentur? Hæc quidem in Eccleſia Catholica quotidie fiunt: unde qui Smyrnenſis Eccleſiæ imitatores dicendi ſint, quive eorum pietati adverſentur, Lector quiſquam facile judicabit.

11. Ad

Pionii, aliorumque martyrum. *Euſeb. 4. 15. in fin.*

11. Ad Polycarpi in martyrio ſocios oratio tranſeat, de quibus hæc Euſebius: *Sed & alia martyria ſub idem tempus, quo Polycarpus paſſus eſt, apud Smyrnam facta, in eadem epiſtola conjunctim leguntur*, atque nominatim Metrodorum quemdam Marcionis ſectæ Presbyterum flammis conſumtum interiiſſe commemorat. Inter reliquos vero ejus temporis Martyres Pionium addit celeberrimum fuiſſe, cujus ſingulas Confeſſiones, & libertatem coram Populis, ac Præſidibus in dicendo pro Fidei noſtræ defenſione commendat: item conciones de Inſtitutione Fidei refert, nec non cohortationes atque invitationes ad eos, qui perſecutionis tempore lapſi fuerant: varios quoque conſolationis modos, quibus in carcere detentus fratres ipſum adeuntes alloquebatur. Immanes denique cruciatus, qui miram ipſius conſtantiam labefactare minime potuerunt, enumerat: quæ omnia ſi quis recognoſcere velit, Euſebii epiſtolam de illius martyrio uberrime conſcriptam conſulat. *Aliorum præterea*, addit idem Auctor, *qui in urbe Aſiæ Pergamo ſub id tempus martyrium paſſi ſunt, acta etiamnum circumferuntur, Carpi videlicet, Papuli, & mulieris cujuſdam Agathonicæ; qui poſt multas, atque illuſtres fidei noſtræ confeſſiones glorioſo exitu conſummati ſunt*. Euſebium tamen allucinatum graviter fuiſſe, ut a nemine excuſari poſſit, cum Valeſio plerique adnotant, dum Pionii, aliorumque paſſiones cum Polycarpi martyrio conjunxit; nam Pionium presbyterum, cujus acta adhuc extant, ſub Decio glorioſo certamine martyrii coronam promeruiſſe conſtat. At ne tam turpiter erraſſe Euſebium fateri cogamur, duos potius Pionios martyres Smyrnenſes fuiſſe dicimus, primum nempe ſub Marco Aurelio Antonino paſſum, de quo non ſolum hic mentionem habuit Euſebius, ſed & Acta in ſua collectione de priſcis Martyribus inſeruerat, quæ una cum ejuſmodi collectione perierunt. Alterum vero ſub Decio, cujus adhuc acta leguntur. Nec defuerunt eruditi viri, qui etſi unum tantum Pionium agnoverint, ſub M. Aurelio tamen eum paſſum fuiſſe tradidiſſent.

Valeſ. not. in cap. 15. lib. 4. Ruinart. Præfat. in Acta Polycarp. Baron. ann. 169., & 254. Pag. ibid. Tillemont. to. 3. p. 720. Belland. die 1. Februar. Baſnag. ann. 169. Valarſ. in Hier. Chron. pag. 721. Pearſ. diſſert. 2. de Roman. Pontific. Succeſſ. cap. 18.

De Polycarpi ſcriptis, & Diſcipulis. *Euſeb. lib. 3. 36.*

12. Ex Polycarpi ſcriptis extat etiam epiſtola ad Philippenſes, non multo poſt Ignatii martyrium exarata, de qua Irenæus apud Euſebium hæc habet: *Obſecro vos omnes, ut parcatis præpoſitis veſtris, omnemque patientiam exerceatis, quam ſpectaſtis non ſolum in Ignatio, Rufo, ac Zoſimo, viris beatiſſimis, ſed etiam in aliis civibus, atque inquilinis veſtris; & in ipſo*

præ-

Jesu Chr. an. 166. *præcipue Paulo, cæteriſque Apoſtolis; pro certo habentes, quod hi omnes non fruſtra cucurrerunt, ſed in fide, ac juſtitia ingreſſi ad locum ſibi a Deo debitum pervenerunt, quandoquidem & paſſionum ejus participes extiterant. Neque enim præſens ſæculum, ſed eum, qui pro nobis paſſus, & a Deo ſuſcitatus eſt, adamarunt*: quæ ſane in Polycarpi epiſtola totidem fere verbis occurrunt.

Tom. 2. PP. Apoſt. p. 191. Iterum ex eadem Irenæus: *Scripſiſtis ad me, & vos, & Ignatius, ut ſi quis forte in Syriam proficiſceretur, & veſtras litteras eo ferret: quod quidem perficiam, ſi tempus opportunum nactus fuero; vel ego ipſe, vel per alium quempiam, cui id munus veſtra cauſa delegabo. Epiſtolas omnes Ignatii, quas ad me ſcripſit, & quaſcumque demum apud nos reperire potuimus, quemadmodum nobis mandatis, ad vos miſimus. Quas quidem huic epiſtolæ ſubjecimus. Ex iis magnam utilitatem percipere vobis licebit. Continent enim fidem, patientiam, & cætera, quæ ad augendum Domini noſtri cultum pertinent*. Tantæ autem auctoritatis hujuſmodi epiſtola antiquitus fuit, ut, Hieronymo teſte, publice in Eccleſiis legeretur: *Scripſit ad Philippenſes valde utilem epiſtolam, quæ uſque hodie in Conventu Aſiæ legitur*. Digna quæ etiamnunc ſi non publice in Eccleſiis, privatim ſaltem legatur, cum pietatem ſpiret, contineatque morum regulas Fidelibus omnibus accommodatiſſimas, præcipue vero Presbyteris, Diaconibus, & Virginibus, ut legenti patet. Alias etiam epiſtolas Polycarpus ſcripſerat, quarum ex Irenæo Euſebius meminit: ſed tanto theſauro nobis frui non licet; temporis enim progreſſu perierunt.

Hier. de Vir. illuſtr. in Polycarpo.

Euſeb. lib. 5. 20.

Dallei ſententia de Polycarpi, & Ignatii ſcriptis refellitur.

13. Polycarpi epiſtolam ad Philippenſes inter apocryphas merces cum ſeptem Ignatianis Dalleus relegavit. At ſicuti Dalleo invito, aliiſque ſimilibus Salmaſio, Blondello, Ignatii epiſtolæ eruditorum conſenſu genuinæ habentur; ita & Polycarpi Epiſtola ad Philippenſes, quam una cum Ignatianis vindicarunt ex proteſtantibus Uſſerius, Pearſonius, Baſnagius, eiſque uno ore conſentiunt Catholici ſcriptores; in quam rem plura addere ſupervacaneum judicamus. Extant & Polycarpi fragmenta quinque, quæ Victor Capuanus exhibet. Meminit & Suidas, & Maximus in ſuis ad Dionyſium commentariis epiſtolas ad Dionyſium Areopagitam, ad Athenienſes, & ad alias Eccleſias a Polycarpo datas. At licet ex Irenæo plures eum ſcripſiſſe conſtet; ob veterum tamen ſilentium, an

Uſſerius præf. in Ignat. Pearſ. vindic. Ignat. tom. 2. PP. Apoſt. Baſnag. an. 110. & 169.

an quæ a Suida, & Maximo memorantur, eidem inſcribendæ ſint, nec ne, dubitari poteſt.

Polycarpus hæreticos aversatur. Euſeb. 5. 20.

14. Tandem in Polycarpi laudem hoc loco addimus, quæ Irenæus ejuſdem diſcipulus tradit, Florinum in hæreſim lapſum redarguens: *Locum ipſum poſſim dicere, in quo beatiſſimus Polycarpus ſedens diſſerebat; proceſſus quoque ejus, & ingreſſus, vitæque totius formam, & corporis ſpeciem; ſermones denique, quos ad populum habebat; & familiarem conſuetudinem, quæ illi cum Joanne, ut narrabat, & cum reliquis, qui Dominum ipſum vidiſſent, interceſſerat; & qualiter dicta illorum commemorabat; & quæcumque de Domino ab iiſdem audierat. De miraculis quoque illius, ac de doctrina, prout ab iis, qui Verbum vitæ ipſi conſpexerant, Polycarpus acceperat, eodem prorſus modo referebat, in omnibus cum Scriptura Sacra conſentiens. Hæc ego divina mihi largiente clementia tunc ſtudioſus audiebam, non in charta, ſed in corde meo audita deſcribens: eamdemque per Dei gratiam aſſidue repeto, ac revolvo. Et in conſpectu Dei affirmare poſſum, beatum illum, & Apoſtolicum Presbyterum, ſi quid ejuſmodi unquam audiiſset*, horrenda ſcilicet Florini dogmata, *exclamaturum continuo, & obturatis auribus ſuis dicturum fuiſse, prout ipſi moris erat: Deus bone, quæ me in tempora reſervaſti, ut hæc ſuſtinerem! Atque ex loco ipſo aufugiturum, in quo ſeu ſtans, ſeu ſedens, ejuſmodi ſermones audiiſset*. Huc uſque de his, quæ Irenæus apud Polycarpum viſu, vel auditu noverat.

M. Aurelii, & Veri de Parthis triumphus.

Pagi. not. 3. an. 60. Baſnag. ibid. Murator. Tillem. hiſt. Imp. tom. 2. pag. 391. &c. Capitol. in Mar. cap. 19. 20., & in Vero cap. 7. 8. Lamprid. in Commod. cap. 11.

15. Bello Parthico feliciter confecto, cum Verus anno proximo, aut labenti Romam rediiſſet, M. Aurelius, & Verus triumphum hoc anno egerunt; de quibus plura ex Capitolino narrant eruditi viri. Nobis adnotare ſufficiet, Marci liberos utriuſque ſexus in triumpho Patri ſociatos fuiſſe; maſculos vero eodem tempore Cæſarea dignitate fuiſſe donatos, ut de Commodo refert Lampridius: *Nominatus inter Cæſares quarto iduum Octobrium, Pudente, & Pollione Conſulibus*. M. Aurelius, & Verus Patriæ Patres, Parthici, & Medi ſunt appellati. Verus autem, ut triumphum ſuum nobilitaret, non Reges devictos, ſed Hiſtriones, Fidicinas, & Tibicines, ac alia mancipiorum genera, quibus Syrii, & Ægyptii delectabantur, ſecum adduxit, ut hiſtrionicum magis bellum, quam Parthicum geſſiſſe videretur, uti revera egerat; cum nuſ-

JESU CHR. AN. 166. nuſquam hoſtes vidiſſet, toto quadriennio Antiochiæ inter delicias exacto.

Marcomannicum bellum exoritur; peſtis graſſatur. *Capitol. in Marco c. 13.*

16. Parthico bello nondum abſoluto, aliud gravius exortum eſt, teſte Capitolino: *Dum Parthicum bellum geritur, natum eſt Marcomannicum, quod diu eorum, qui aderant, arte ſuſpenſum eſt, ut finito jam Orientali bello Marcomannicum agi poſſet*. Per id etiam temporis dira peſtis Romanum Orbem invaſit, quam ex Oriente Verus Romam detulerat. Ex Marcellino enim habetur, quod cum Seleucia per Duces Veri expugnata eſſet, & avulſum ſedibus ſimulacrum Apollinis, perlatumque Romam in Æde Apollinis Palatini Antiſtites locaſſent; incenſa poſtea civitate, tunc Milites Fanum perſcrutantes, ac foramen anguſtum invenientes, vix illud reſerarunt, ut pretioſum aliquid deprehenderent, ex aditu quodam Chaldæorum arcanis concluſo labes primordialis proſiluit, quæ, inſanabilium vi concepta morborum, ab ipſis Perſarum finibus ad uſque Rhenum, & Gallias cuncta contagiis polluit, & necibus.

Marcellin. lib. 23. cap. 6.

JESU CHRISTI AN. 167. ANICETI PAPÆ II.
M. AURELII, ET LUCII VERI IMP. AN. 7.
COSS. L. VERO AUG. III., ET QUADRATO.
OLYMP. 236. AN. 3. URBIS AN. 920.

Ptolomæi, Lucii, aliorumque martyria. *Juſtin. Apol. 2. pag. 88.* Mulier a V. accuſata.

1. Perſecutionem, quæ Aſianas exagitavit Eccleſias, & Polycarpum, alioſque Martyres fecit, Romæ quoque ſæviiſſe auctor eſt Juſtinus in Apologia ſecunda, ubi etiam plurimos, qui in fide certantes martyrio obierunt, commemorat. In primis quandam meminit mulieris, quæ cum viro degebat intemperanti, intemperans & ipſa prius: ſed poſtquam Chriſti doctrinam ipſa cognovit, ad meliorem frugem ſe recepit, ac viro ut ſimiliter ſe ſe colligeret perſuadere conata eſt, Chriſtianam illi doctrinam exponens, & futura his, qui libidinoſe, ac præter rectam rationem vixerint, in æterno igne ſupplicia denuntians. Cum vero nihil omnino exhortationibus, aut exemplo proficeret, ab eodem diſcedere deſtinaverat; ſuorum tamen conſilia ſecuta, aliquandiu cum eo perſeveravit, uſquedum is Alexandriam profectus in omni libidinum cœno ſe ſe volutavit: quare uxor his auditis, verita ne ſcelerum ejus particeps fieret, ſi in conjugio manens, vitæ, ac tori conſors eſſet, miſſo repudii libello, ab eo diſceſſit. Hac ita-

JESU CHR. AN. 167.

itaque de cauſa maritus ira incenſus, qui potius lætari debebat, quod quæ olim cum ſervis, & mercenariis vino dedita, omne vitiorum genus perpetrabat, ab hujuſmodi ſceleribus tandem abhorreret, eam apud Imperatorem, quod Chriſtiana eſſet, accuſavit. At ipſa libello Imperatori delato reſponſuram ſe accuſationi promiſit, ſimulque poſtulavit, ut prius ſibi domui ſuæ proſpicere liceret: quo vir ſpe ſua fruſtratus, cum adverſus uxorem ultra agere non poſſet, in Ptolomæum quemdam, qui mulieris in re chriſtiana magiſter fuerat, impetum convertit, totamque bilem evomuit. Idcirco Centurioni cuidam perſuaſit, ut Ptolomæum tamquam Chriſtianum in carcere conjiceret, qui poſtmodum coram Urbico adductus, ac interrogatus, cum Chriſti Fidem libere profeſſus eſſet, ad ſupplicium adductus eſt. Quo quidem judicio, utpote a ratione penitus alieno, commotus quidam Lucius, qui & ipſe Chriſtianus erat, Urbicum compellavit, cur homini nec adulterii reo, nec homicidæ, nec ullius maleficii convicto, ſed Chriſtianum ſolummodo ſe eſſe profitenti, pænam irrogaverit: *Non ut decet*, inquiens, *pium Imperatorem, nec ut Philoſophum Cæſaris filium, nec ut ſacroſanctum Senatum, judicas Urbice*. Ille vero cum Lucium interpellaſſet, an ex iſtiuſmodi hominum eſſet genere, ejuſque confeſſionem audiſſet, ipſum quoque abripi, & ad ſupplicium duci mandavit. Similiter & tertius alius ſuperveniens damnatus eſt. Hæc Juſtinus, qui eodem loco ſubdit, non Romæ tantum, ſed ubique Terrarum Chriſtianos eouſque vexatos fuiſſe, ut quoties quiſpiam ſola Fidei confeſſione facta delatus eſſet, ſtatim morti addiceretur, juſtam in Chriſtianorum nomine cauſam Judicibus ſe ſe habere exiſtimantibus.

Ptolomæi & Lucii confeſſio Fidei, & martyrium.

2. Quamobrem Juſtinus, qui pro Chriſti Fide tot hactenus labores ſuſtinuerat, quique Antonino Imperatori Apologiam obtulerat, officii ſui eſſe duxit, iterum pro eadem Chriſtiana religione in certamen deſcendere, ac ſecundam Apologiam Imperatoribus offerre: quam etſi Antonino oblatam eruditi viri exiſtiment, ii præcipue, qui juſtinum ſub eodem Imperatore paſſum fuiſſe tradunt; Marco tamen Aurelio delatam veteres teſtantur. *Juſtinus*, ait Euſebius *cum alterum librum, ..o Fidei noſtræ defenſione Imperatoribus ſupra memoratis obtuliſſet*, (ideſt Marco, & Vero) *ſacro martyrio exornatus eſt*. Euſebio conſentit Hieronymus: *Juſti-*

Juſtinus ſecundam Apologiam Imperatoribus offert.

Valeſius not. in Euſeb. *Papebroch.* 13. *April.* *Tillem. n.* 13. *in Juſtin.* *Præf. in Juſt. pag.* 93. *Ruinar. p.* 42. *Baſnag. an.* 162. *Euſeb. lib.* 4. 16.

Jesu Chr. an. 167. Hier. de Vir. illuſt. in Juſtin. cap. 23.

nus pro Religione Christi plurimum laboravit, in tantum ut Antonino quoque Pio, & filiis ejus librum daret, & alium librum ſucceſſoribus ejuſdem Antonini M. Antonino, & L. Commodo. Euſebii autem, Hieronymique teſtimonium eo gravius eſt, quod eam Apologiam integram habuerint, non vero mutilam: unde in titulo Marci Aurelii, & Lucii Veri nomina eos legiſſe vix dubitamus.

Juſtinus Philoſophos, & Creſcentem præcipue arguebat.

3. Quo tempore perbrevem hanc Apologiam Imperatoribus Juſtinus obtulit, Creſcentis in eum odia ſervebant. Hunc Juſtinus, publica invicem diſputatione habita, obmuteſcere coegerat; idque per Urbem eo uſque vulgatum fuerat, ut non dubitaret Juſtinus ad Imperatorum etiam aures perveniſſe. Sciens vero cynicum Philoſophum acceptam cladem victoris ſanguine expiaturum, eadem Apologia mortem jamjam ſibi, ex Creſcentis inſidiis, inſtare prædixit. *Ego etiam*, inquiens, *expecto, ut ab eorum, quos dixi, aliquo inſidiis appetar, & ad ſtipitem affigar, aut certe ab illo ſtrepitus, & oſtentationis amatore Creſcente. Neque enim Philoſophi appellatione dignus eſt; quippe qui de nobis ea publice teſtetur, quæ prorſus ignorat*, cum Atheos, & impios Chriſtianos eſſe ad gratiam, & voluptatem plebeculæ diceret. Rerum etiam Chriſtianarum ignariſſimum fuiſſe vel ipſa experientia Juſtinus didicerat; nonnullis enim interrogationibus propoſitis, nihil ipſum revera ſcire deprehenderat: ac propterea, ut magis, magiſque veritas eluceſceret, ſimulque compertum evaderet, non cum Philoſopho, ſed potius cum opinionum amatore diſputationem fuiſſe initam, iterum ſe cum eo congredi paratum eſſe profitebatur. Euſebius vero id ipſum retractans, *iiſdem temporibus*, inquit, *Juſtinus fraude, & machinationibus Creſcentis Philoſophi, qui vivendi rationem prorſus convenientem, ac reſpondentem Cynicæ appellationi æmulabatur. Quem cum diſputans audientibus plurimis conviciſſet, tandem veritatis illius, quam prædicaverat, præmium martyrio conſecutus eſt*.

Creſcentis Philoſophi Cynici improbi mores. Juſtin. oper. pag. 260.

4. Creſcentis Cynici corruptos mores Tatianus his coloribus in ſua ad Græcos oratione mirifice deſcribit: *Ceterum vos, qui hæc non perſpicitis, a nobis, qui perſpicimus, diſcite. Qui mortem a vobis contemni, & animum nihil extra ſe quærentem exerceri dicitis. Veſtri enim Philoſophi tantum abſunt ab hoc ſtudio, ut quotannis nonnulli a Romanorum*

Rege

Rege ſexcentos aureos accipiant, nullam ad rem utilem, ſed ne gratis barbam promiſſam gerant. Creſcens quidem ille, qui in magna Urbe nidum poſuerat, puerorum amore ſuperabat omnes, & omnino pecuniæ ſtudio attentus erat. Mortem etiam contemnendam eſſe plenis buccis prædicabat, eam tamen, tanquam malorum maximum, Juſtino primum, deinde ſibi, inquit Tatianus, inferre conatus eſt, eo quod Philoſophos gulæ & fraudis argueret. Hæc de Creſcente Cynico: de ceteris vero ejuſdem ſectæ Philoſophis, ſeu potius impoſtoribus, poſt plurima hæc ad rem addit: *Quid magnum, ac mirabile faciunt apud vos Philoſophi? Alterum humerum negligunt, plurimam demittunt comam, barbam alunt, ungues ferinos circumferunt, ac nullius quidem ſeſe dicant egere? Sed tamen Protei more, coriario indigent propter peram, textore propter veſtem, lignario propter baculum, divitibus propter ingluviem, & coquo! O Canis æmulator, homo Deum ignorans, & ad belluarum imitationem declinas, qui publice clamas, non ſine quadam hominis haud egeni confidentia, ulciſceris te ipſe, ac niſi accipias, conviciaris, tibique ſit ars lucrandi philoſophia.*

Jesu Chr. an. 167.

Pag. 264.

De argumento Apologiæ.

5. Cum itaque a Creſcente, aliiſque hujuſcemodi caninæ philoſophiæ ſectatoribus calumniis appeteretur Eccleſia, Juſtinus expoſita Apologiæ ſcribendæ cauſa, plura deinde in ejuſdem defenſionem congerit: cumque Chriſtianis, qui ſe ultro fidei cauſa morti offerebant, a Gentilibus aliquando diceretur: *Omnes igitur morte vobis ipſis illata jam nunc abite ad Deum, nec nobis negotia faceſſite*, ut ex Tertulliano ſcimus, quemdam Proconſulem dixiſſe; pluribus idcirco probat, Chriſtianis licitum non eſſe ſibi mortem inferre; tum de eorumdem conſtantia in ſubeundo martyrio diſſerit. Tandem quid eadem Apologia petat, his verbis teſtatur: *Vos autem hac prece oramus, ut hunc libellum ſubſcribentes, quod vobis placet, promulgetis, ut cæteris noſtræ res innoteſcant, ac homines ad harum rerum cognitionem perveniant, & erroribus, & optimarum rerum ignoratione levari poſſint*; ſed & alia plurima ibidem refert, ut Chriſtianos eorum criminum, quibus paſſim infamabantur, neutiquam reos eſſe demonſtret: quin etiam eorum inſtituta omni philoſophia ſublimiora eſſe manifeſtiſſime probat. Sin minus ſaltem, ut Sotadeis, Philenideis, Saltatoriis, & Epicureis, & aliis ejuſmodi poeticis inſtitutionibus ac fabulis ſimilia crederent, hortatur, quæ in ſcenam producta ſpectare, & ſcri-

Apol. 2. n. 4.

Tertull. ad Scapulam prope finem.

Quid Juſtinus ſecunda Apologia petat.

JESU CHR. AN. 167.

Juſtini Acta vindicantur.

Baron. an. 165.
Ruinart. acta Martyr. p. 39.
Tillem. n. 14. in Juſtinum.
Præf. in Juſt. oper. pag. 96., & pag. 584.
Baſnag. an. 165. 7.
Boll. die 3. Aprilis.
Euſeb. lib. 4. 16.
Hier. de Vir. Illuſt. cap. 23.
Epiph. de hær. 46. 1.

Phot. Cod. 231. pag. 322.

ſcripta legere omnibus licet: quare ut juſtum tandem de his judicium ferant, etiam atque etiam rogat.

6. Hactenus de his Juſtinus, qui non multo poſt, uti prædixerat, Martyrii coronam adeptus, ſociis adjungi meruit. Horum omnium acta ſuperſunt adhuc, eaque ſincera, ac fide digniſſima, quidquid in contrarium nonnulli afferant, leviſſimis conjecturis innixi; inter quos Baſnagius, etſi *adultam antiquitatem* eadem Acta *ſpirare* fateatur. Alii vero, quamvis ea genuina habuerint, alterius tamen Juſtini eſſe ſomniarunt; quorum primus, & fortaſſe ſolus, Papebrochius, qui Juſtinum Philoſophum, veneno clam propinato, obiiſſe tradit; quam quidem opinionem, ſeu verius purum, putumque figmentum, copioſe eruditeque confutat Ruinartius in præfatione iiſdem actis præfixa. Nobis ſatis erit adnotare, veteres uno ore tradidiſſe, Juſtinum Philoſophum pro Chriſti fide ſanguinem fudiſſe. Ita Euſebius: *accuſatus a Creſcente, ſacro martyrio exornatus eſt*; quod & tertio repetit eodem capite. Hieronymus etiam de eodem: *pro Chriſto ſanguinem fudit*. Epiphanius de Juſtino, *perfectiſſimam*, inquit, *coronam adeptus eſt Romæ ſub Ruſtico Præfecto*: non ergo per inſidias, propinato veneno, interemptus eſt; ſed ſententia Præfecti gladio percuſſus. Eadem teſtatur Sophronius in epiſtola Synodica apud Photium: qua legitur *Juſtinus Martyrii ſanguine Philoſophiam confirmat*.

Juſtini acta Martyrii, & Sociorum.

Apud Ruinart. pag. 43. & ſeq.

7. Nunc ad acta fide, ſcituque digniſſima venimus, in quibus poſt brevem præfationem hæc narrantur: *Comprehenſi Juſtinus, & qui cum eo erant, adducti ſunt ad Romæ Præfectum Ruſticum nomine. Quibus ante tribunal conſtitutis, Ruſticus Præſes dixit Juſtino: Age eſto Diis obediens, & Imperatoris edictis. Illi autem Juſtinus reſpondit: Nemo unquam reprehendi, aut condemnari poterit, qui Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti præceptis obedierit. Tum Ruſticus Præfectus: In cujuſnam inquit eruditionis ac diſciplinarum genere verſaris? cui Juſtinus: Omnium diſciplinarum genus diſcere conatus ſum, omnemque eruditionem expertus. Poſtremo vero Chriſtianorum diſciplinæ adhæſi, quamvis illa non placeat, qui falſæ opinionis errore ducuntur. Tum Ruſticus dixit: Illa ne miſerrime eruditione delectaris? Maxime inquit Juſtinus, quoniam recto cum dogmate Chriſtianos ipſos ſequor. At Præfectus: Qualenam eſt illud dogma? Reſpondit Juſtinus: Rectum dogma, quod Chriſtiani*

ni homines cum pietate ſervamus, hoc eſt, ut Deum unum exiſtimemus, factorem atque Creatorem omnium, quæ videntur, quæque corporeis oculis non cernuntur, & Dominum Jeſum Chriſtum, Dei Filium confiteamur olim a Prophetis prænuntiatum, qui & humani generis Judex venturus eſt: cujus tamen dignitatem & officia cum ſe, utpote imbecillum & imperitum, digna non poſſe oratione proſequi fateretur, id totum ad Prophetas remiſit. Poſt hæc Præfecto quærenti, quo in loco convenirent Chriſtiani, reſpondit Juſtinus, non omnes in unum, ſed unumquemque eo, quo vellet, convenire; cum Chriſtianorum Deus, utpote inviſibilis, ac immenſus, cœlum & terram impleret, atque ubique a Fidelibus adoraretur. Sed iterum interrogatus, in quem locum diſcipulos congregaret, *Ego*, ſubdidit, *prope Domum Martini cujuſdam ad Balneum cognomento Timiotinum hactenus manſi. Veni autem in urbem Romam ſecundo, neque alium quempiam locum, niſi quem dixi, cognoſco. Ac ſi quis ad me venire voluit, communicavi cum illo veritatis doctrinam. Ergo Chriſtianus es tu? inquit Ruſticus. At Juſtinus: Maxime Chriſtianus ego ſum.*

JESU CHR. AN. 167.

Juſtini domus ubi fideles conveniebant.

8. Juſtini in confeſſione, & Martyrio ſocii fuerunt, Chariton, Evelpiſtus, Hierax, Pæon, Liberianus, Charitena mulier, quos Præfectus his verbis interrogavit: *An & tu*, ad Charitonem ait, *Chriſtianus es*; cui ille, *Chriſtianus ego ſum Deo ipſo juvante. Quæſivit Ruſticus a Charitena muliere, num & ipſa Chriſti fidem ſequeretur, cui reſpondit illa, ſe quoque, Deo dante, Chriſtianam eſſe. Tunc Ruſticus dixit Evelpiſto: tu vero quiſnam es? Qui reſpondit: Servus quidem Cæſaris ſum; ſed Chriſtianus a Chriſto ipſo libertate donatus, & illius beneficio, atque gratia ejuſdem ſpei, cujus & iſti quos vides, particeps factus. Poſt hæc Præfectus quæſivit ab Hierace, num & ipſe Chriſtianus eſſet. Cui Hierax dixit: Certe Chriſtianus, & ego ſum; eumdem enim Deum colo, atque adoro. An, inquit Præfectus, Chriſtianos vos fecit Juſtinus? ego inquit Hierax, & fui, & ero Chriſtianus. Stans autem & Pæon dixit: Ego quoque ſum Chriſtianus. Et quiſnam, inquit Præfectus, te docuit? Reſpondit ille: A parentibus bonam hanc confeſſionem accepi. Poſt hunc Evelpiſtus dixit: & Ego Juſtini quidem ſermones magna cum voluptate audiebam; ſed a parentibus tamen & ipſe Chriſtianum eſſe didici. Tunc Præfectus: Et ubinam parentes tui ſunt? in Cappadocia, inquit* Evel-

Juſtini Socios Præfectus interrogat.

Jesu Chr. an. 167.

Evelpiſtus. Quæſivit Præfectus & ab Hierace, ubinam gentium eſſent ejus parentes, cui reſpondit Hierax: Verus Pater noſter Chriſtus eſt, & Mater fides, qua in ipſum credimus: terreni vero parentes mei mortui ſunt. Cæterum ego ab Iconio Phrygia abſtractus huc veni. Quæſivit Præfectus a Liberiano quidnam & ipſe diceret, num & Chriſtianus eſſet, atque in deos impius. Et ego inquit Chriſtianus ſum; colo enim & adoro ſolum Deum verum.

Iterum Confeſſores interrogat Præfectus, ſupplicio dein addicit.

9. His Chriſti fidem libere confitentibus, ad Juſtinum iterum Præfectus rediit, cui & dixit: *Si a Capite per totum corpus flagellis cæſus fueris, perſuaſum ne habes fore ut in Cælum aſcendas? Cui Juſtinus, ſpero, inquit, me habiturum, quod habent, qui Chriſti dogmata ſervaverint, ſi hæc ipſa, quæ dicis, perpeſſus fuero.* Quare Præfectus: *Ergo futurum opinaris, ut in Cælos aſcendas, mercedem aliquam recepturus? Non opinor, inquit Juſtinus, ſed ſcio, & hoc tam certum habeo, ut nihil dubitem:* quæ cum ægre ferret Præfectus, omnes ſimul hortatus eſt, ut prompto animo Diis ſacrificarent, graviſſima minatus ſupplicia, ſi recuſaſſent. Cui Juſtinus, id quidem ſe in votis habere reſpondit, perpeti ſcilicet propter Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum cruciatus, ac ſalvari: idemque ceteri Confeſſores teſtati, una voce addiderunt: *Facito, quod vis; nos enim Chriſtiani ſumus, & Idolis non ſacrificamus. Hæc audiens Præfectus talem ſententiam pronunciavit: Qui Diis ſacrificare, & Imperatoris edicto parere noluerint, flagello cæſi ad capitalem pœnam abducantur, quemadmodum leges præcipiunt. Itaque Sancti Martyres Deum collaudantes, ad conſuetum locum perducti, poſt verbera, ſecuri percuſſi ſunt, & in Salvatoris confeſſione martyrium conſummarunt. Poſt hæc quidam Fideles clam illorum corpora ſuſtulerunt, & in loco idoneo illa condiderunt, cooperante gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, cui gloria in ſæcula Sæculorum.* Hactenus Juſtini, & Sociorum Acta, quæ utpote antiqua, ac pietatem legentibus ſpirantia ſummopere exiſtimanda ſunt. Eorum vero memoria die 13. Aprilis Martyrologio Romano recolitur.

De Juſtini ſcriptis, & eruditione. *Euſeb. lib.* 4. 18.

10. Non ſolum Martyrio, ſed & ſcriptis æternitati nomen ſuum commendavit Juſtinus; de quibus Euſebius; *Hic vir plurima ingenii ſui, doctrinæque, & intenti in res divinas ſtudii monumenta nobis reliquit, plena multiplicis utilitatis. Ex quibus ea, quæ ad notitiam noſtram pervenerunt, titulis*

tulis ſuis deſignaſſe contenti , diſcendi ſtudioſos ad illa rejiciemus . Duas ſcilicet Apologias , primam Antonino Pio , ac Senatui Romano inſcriptam , Antonino alteram , ideſt Marco Aurelio : duos adverſus Gentiles libros , quos ſequitur tertius de Monarchia , deinde liber Pſaltes dictus , alter vero excerptorum de Anima , poſtmodum Dialogus cum Triphone : tum de ceteris generatim , *extant* , inquit , *& alia complura ejuſdem Opuſcula penes multos fidei noſtræ cultores . Tanti porro æſtimati ſunt etiam a veteribus illius libri , ut Irenæus ejus teſtimoniis interdum utatur . Nam & in libro* 4. *contra hæreſes hæc habet* : *Præclare ... a Juſtino dictum eſt in libro adverſus Marcionem* : *Ne ipſi quidem Domino , ait , crediturus eſſem , ſi alium Deum prædicaret , quam Mundi Conditorem . Et in quinto ejuſdem operis libro* : *recte Juſtinus dixit , Satanam ante Adventum Domini nunquam auſum fuiſſe impie loqui adverſus Deum* ; *quippe qui damnationem ſuam nondum liquido cognoviſſet . Atque hæc neceſſario a nobis dicta ſint , ut diſcendi ſtudioſi ad libros ejus accurate pervolvendos incitentur* . Hactenus de Juſtini Elucubrationibus Euſebius , qui librum contra omnes hæreſes præteriit , cujus ipſe in ſua Apologia prima meminit ; tum etiam alterum contra Marcionem , ſi libro ſingulari ejuſdem hæreſim fuit inſectatus , quod adhuc in obſcuro eſt . Celeberrima quoque ad Diognetum epiſtola ab eruditis plurimis Juſtino adſcribitur , de qua jam ſupra egimus . Sed & alia multa Opuſcula eidem tribuuntur , quæ utpote dubia ab ejus Editore rejiciuntur ; de quibus plura ibidem videri poſſunt .

JESU CHR. AN. 167.

Præf. par. 3. *cap.* 3. *pag.* 73.

11. De Juſtini Scriptis illud adhuc adnotandum ſupereſt , ea nævis aliquot aſperſa eſſe , falſiſque opinionibus : cujuſmodi ſunt , quæ tradit de Sanctorum dilata beatitudine poſt ultimum Chriſti adventum , de millenario in terris Sanctorum Regno , de Apoſtatarum Angelorum cum mulieribus commixtione , & alia his ſimilia . Hi autem Juſtini nævi , aut , ſi mavis etiam , errores in quæſtionibus adhuc ipſius ætate obſcuris , tales , tantique non ſunt , ut ea de cauſa flocci facienda ſit ejus auctoritas ; cum ea tradat , quæ communi SS. Patrum ſententia probantur . Quare peſſima uſi ſunt argumentatione Barbeyracus , & Dalleus , qui , ut traditionis vim minuerent , Juſtini , aliorumque Patrum nævos dum adnotant , eo uſque exagerant , ut nullam iis fidem habendam eſſe inſinuent : quæ ſane quam abſurda ſint , nemo non videt .

De Juſtini nævis ; utrum ejuſdem auctoritatem imminuant.

Barbeyrac. de moral. doctrin. Patr.

Dalleus de veter. Patr. uſu lib. 2. *cap.* 4

JESU CHR. AN. 167.

Quis etenim aut Patrum, aut Scriptorum (ſi Canonicos excipias) tam felix, ut in nullo erraverit? Hinc factum, ut quoties in Eccleſia hæreſes prodierunt, in antiquis Patribus maximum veritatis præſidium poſitum fuerit, quin aliquid ſuæ auctoritatis deperderent, etiamſi aliis in argumentis minus vere, aut accurate ſcripſiſſent; cum Eccleſiæ traditio non unius, aut alterius innitatur teſtimonio, ſed aut omnium, aut plurium conſenſione firmetur, ut adnotatum eſt ab iis, qui de traditionis utilitate, & neceſſitate ſcripſerunt, Bellarmino, Natali Alexandro diſſert. 16. Sæculi Secundi, aliiſque.

Celandion Alexandrinus Epiſcopus obiit, cui Agrippinus ſuccedit. *Renaudot.hiſt. Patriarch. Alexand. p. 17. Tillem. tom. 2. pag. 407. Euſeb. lib. 4. 19. & lib. 5. 9.*

12. Celandion, ſeu Claudianus Alexandrinus Epiſcopus, cum annis XIV. eam Eccleſiam adminiſtraſſet, anno Marci Aurelii ſeptimo, ideſt labente obiit, cui Agrippinus Cleri, populique ſuffragio, & manuum impoſitione ſuffectus, eam Sedem per annos duodecim tenuit, ad annum uſque 179: de quo præter ordinationem, tempus quo ſedit, apud Euſebium, alioſque veteres nil ultra occurrit.

De geſtis M. Aurelii, & L. Veri. *Capitol. cap. 8. in Marc., & in Verum.*

13. De Marci Aurelii, & Lucii Veri geſtis multa quidem Capitolinus, aliique Hiſtorici narrant: nobis unum adnotare ſufficiet, Marcum Reipublicæ rebus ſumma diligentia intentum fuiſſe; alterum vero, ideſt L. Verum, commeſſationibus, ebrietatibus, luxuriis non ſine Marci ſtomacho inſerviiſſe.

JESU CHRISTI AN. 168. SOTERIS PAPÆ I.
M. AURELII, ET L. VERI IMP. AN. 8.
Coss. VETTIO PAULO, ET T. JUNIO MONTANO.
OLYMPIAD. 236. AN. 4. URBIS AN. 921.

Peſtis in Romanos ſævit. *Eutrop. lib. 8.*

1. Ante biennium dira lues Urbem invaſerat, quæ crudelius hoc anno graſſata eſt: *Sub hoc Imperatore*, ait Eutropius, *ideſt M. Aurelio, tantus caſus peſtilentiæ fuit, & poſt victoriam Perſicam, ut Romæ, ac per Italiam, Provinciaſque maxima hominum pars, militum omnes fere copiæ languore defecerint*. Euſebius vero ad annum M. Aurelii octavum: *lues multas provincias occupavit, Roma ex parte vexata. Tanta autem peſtilentiæ vis fuit*, ait Capitolinus, *ut vehiculis cadavera aſportarentur*, ac propterea, Vulpiano teſte, *Divus Marcus reſcripſit, nullam pœnam meruiſſe eos, qui corpus defuncti in itinere per vicos, aut oppida tranſvexerunt, quamvis talia*

Euſeb. in Chron.

Capitol. in Marc. cap. 13. Leg. 3. de ſepulchr. violat.

talia fieri ſine permiſſu eorum, quibus permittendi jus eſt, non debeant. Hujuſmodi peſtilentiæ meminit & Gallenus, qui in Patriam rediens fuga ſibi conſuluit, eamque diriſſimam, ac diuturnam appellat. Tantoque gravior Romano Imperio fuit, quod eo tempore acciderit, quo Marcomannica expeditio inſtaret; quare cum ex Romanis militibus plurimi periiſſent, contra Romanorum conſuetudinem, & ſervos militiæ inſcripſit Imperator: *Peſte ſæviente, & Deorum cultum diligentiſſime reſtituit Marcus Aurelius, & ſervos, quemadmodum bello Punico factum fuerat, ad militiam paravit, quos voluntarios, exemplo Volonum, appellavit; armavit etiam gladiatores, quos obſequentes appellavit; latrones etiam Dalmatiæ, atque Dardaniæ milites fecit; armavit & Diocmitas. Emit & Germanorum auxilia contra Germanos*. Hæc Capitolinus; quæ tamen circa annum 170. facta ſunt. Nam M. Aurelius poſt fratris obitum Marcomannicam expeditionem ſuſcepit.

Gal. de præſag. expul. lib. 3. 3. & de morb. vulg. lib. 3. ægrit. 1. & lib. 6. & de medic. ſimpl. lib. 9.

2. Peſtilentiam aliæ præceſſerant calamitates; unde Capitolinus: *Interpellavit iſtam felicitatem & ſecuritatem Imperatorum prima Tiberis inundatio, quæ ſub illis graviſſima fuit, quæ & multa Urbis ædificia vaſtavit, & plurimum animalium interemit, & famem graviſſimam peperit, quæ omnia mala Marcus, & Verus ſua cura, & præſentia temperarunt*. Cum autem cladibus affligaretur Romanus Orbis, frequentes adeo, & ſævas in Chriſtianos motas fuiſſe perſecutiones, nemini mirum eſſe debet. Nam, teſte Tertulliano, Gentiles, ob ſpretum Deorum cultum, Romanum Imperium tantis calamitatibus opprimi falſo opinabantur: *Adverſus ſanguinem innocentium conclamant, prætexentes, ſane ad odii defenſionem, illam quoque vanitatem, quod exiſtiment omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi Chriſtianos eſſe cauſam: ſi Tiberis aſcendit in mœnia, ſi Nilus non aſcendit in arva, ſi Cælum ſtetit, ſi terra movit, ſi fames, ſi lues, ſtatim Chriſtianos ad Leonem*. Hæc paſſim Fidelibus objecta fuiſſe ſcimus, & ſæpe a Catholicis Scriptoribus confutata, ut apud Tertullianum, Cyprianum, & Arnobium videre eſt.

Chriſtiani calamitatum cauſa habiti.
Capitol. ut ſup.

Tertull. Apol. cap. 40.

Tert. in apol. & ad Scapulam.
Cyprian. ad Demet.
Arnobius contra Gentes.

3. Ea ætate cum vexarentur Chriſtiani, Publius Athenienſis Epiſcopus martyrio coronatus eſt. De quo ex Dionyſio Corinthiorum Epiſcopo hæc habet Euſebius: *Altera vero Epiſtola ad Athenienſes ſcripta excitans ad fidem, & ad vitam ex præcepto Evangelii traducendam, qua in re negligentiam*

Publius Athenienſis Epiſcopus martyrio obiit.
Euſeb. lib. 4. 23.

JESU CHR. AN. 168.

tiam arguit Athenienſium ; quippe qui a fide propemodum deſciviſſent, ex quo Publius ipſorum Epiſcopus in perſecutionibus tunc temporis excitatis martyrium ſubierat. Cumque Dionyſius circa annum 170. Corinthiacæ Eccleſiæ Epiſcopus ordinatus fuerit; perſecutiones *tunc temporis* non aliæ, quam quæ imperante M. Aurelio exortæ ſunt, indicantur. Ex eadem quoque epiſtola ſcimus, & Dionyſium Areopagitam ab Apoſtolo Paulo ad fidem converſum (ut in actibus Apoſtolorum legitur) primum Athenarum Epiſcopum fuiſſe, & Quadratum Publio ſucceſſiſſe. Num autem Dionyſium inter, & Publium aliquis interceſſerit medius, aut unus alteri immediate ſucceſſerit, ut Martyrologia tradunt; ob Dionyſii, & Euſebii ſilentium, tum etiam ob temporis diuturnitatem, quæ inter Areopagitæ, & Publii obitum intercedit, incertum eſt. Publio, ut diximus, ſucceſſit Quadratus, *qui ſuo labore, & induſtria cives denuo in Eccleſiam conveniſſe, & redivivum fidei ardorem in illis reparatum eſſe teſtatur.* De Areopagitæ autem Epiſcopatu idem ſubdit Euſebius: *Dionyſium Areopagitam, qui a Paulo Apoſtolo ad fidem converſus eſt, quemadmodum in Actis Apoſtolorum legitur, primum omnium Athenienſis Eccleſiæ Sacerdotium ſuſcepiſſe.*

Martyrol. Rom. aliaque die 21. Januarii. Valeſ. not. in Euſeb. lib. 4. 23. Tillem. pag. 237., & not. 7. tom. 2. in perſecut. Adriani p. 569. Baſnag. an. 167. 2.

Duo Quadrati diſtinguendi; unus Apologiſta, Epiſcopus Athenarum alter.

Hier. de Vir. Illuſtr. cap. 19. Caveus de Script. Eccleſ. in Quadrato. Martyr. Rom. 26. Maii. Euſeb. lib. 3. 37., & l. 4. 23. Tillem. tom. 2. not. 7. in perſecut. Adrian.

4. Quadratum Publii Succeſſorem cum altero Quadrato Apoſtolorum Diſcipulo, qui Hadriano Apologiam obtulit, veluti ſuperius renunciavimus, nonnulli poſt Hieronymum confundunt, Martyrologiorum etiam auctoritate innixi. Eos tamen diſtinguendos eſſe, non obſcure innuit Euſebius, qui primum Prophetiæ gratia, ac Evangeliſtæ munere inclaruiſſe teſtatur, atque inter Apoſtolorum Succeſſores, & diſcipulos enumerans, cum Philippi filiabus, aliiſque, qui Dominum in carne viderant, vixiſſe tradit. De altero Quadrato Athenarum Epiſcopo, & Publii ſucceſſore differens, nil aliud refert, niſi ea, quæ ex Dionyſii epiſtola acceperat, ejuſque vigilantiam in ſublevanda Athenienſium fide verbis Dionyſii collaudat, nec quidquam addit, quo indicet, hunc eumdem eſſe, de quo jam ſupra tam multa tradiderat: qua de cauſa Quadratum Apologiſtam, Prophetam, Apoſtolorum diſcipulum, & Evangeliſtam, ab altero Athenienſi Epiſcopo Publii ſucceſſore diſtinguendum eſſe, probabilius cenſemus.

Aniceti Papæ obitus, cui Soter ſuccedit.

5. *Hoc anno, Marci Aurelii octavo, cum Anicetus Eccleſiæ Romanæ Epiſcopatum undecim annis obtinuiſſet, Soter in*

ejus

ejus locum ſucceſſit, ait Euſebius. Baronius tamen Aniceti obitum anno 175. alligavit; Pagius anno 161., cum quo conſentit Pearſonius; Dodwellus vero anno 163., quod & in cæteris Pontificibus continuo iis evenit, qui, poſthabita Euſebiana Chronologia, incertis monumentis, aut Bucheriano Catalogo uſi ſunt. Nec mirum; nam cum non ſolum corruptus, ſed & mutilus ſit, qua ratione in Pontificum Romanorum ſerie digerenda viam monſtrare poterit? Et quidem inter cætera Anicetum præterit, nihilque de Hygino addens, poſt Pium ad Soterem tranſit. De Aniceti geſtis cum Polycarpo, dum Romæ adeſſet, ſupra egimus. Vita functus eſt die 17. Aprilis, quo ejus memoria Martyrologio Romano recolitur: *Romæ S. Aniceti Papæ, & Martyris, qui in perſecutione M. Aurelii Antonini, & Veri Martyrii palmam accepit*. Quæ de Aniceti martyrio Baronius addidit, non levi innituntur conjectura, quum Romanæ Eccleſiæ, ſæviente in Chriſtianos M. Aurelii perſecutione, præfuerit. Veterum tamen nemo de Aniceto id tradidit, non Irenæus, non Euſebius, non Martyrologia Adonis, aut Roſveidi.

JESU CHR. AN. 168. *Euſeb. lib. 4. 10.*

Martyr. Rom. die 17. Aprilis.

6. Aniceti nomine unica tantum circumfertur Epiſtola ab Iſidoro confiсta, quatuor conſtans capitibus, primo de ordinationibus Epiſcoporum, ſecundo de dignitate Primatuum, & Metropolitanorum, tertio de judiciis Metropolitani, aut Epiſcopi corrigendis, quarto de tonſura Clericorum, & habitu. Eadem inſcripta dicitur *univerſis Eccleſiis per Galliæ provincias conſtitutis*, ejuſque initium in Leonis epiſtola totidem verbis legitur: *Bonorum operum, & Spiritualium ſtudiorum Deum auctorem eſſe, non dubium eſt &c.* Aniceti decretum de Clericorum tonſura, ſeu, *ut Clericus comam non nutriat*, *legitur & in libro Pontificali*. Sed & fictitia Synodus Aniceto, Romæ habita, adſcribitur, qua una cum Polycarpo, aliiſque Epiſcopis ſtatutum fuerat, *ut Reſurrectio celebri, & magna Dominica celebraretur*. At ſubditam hanc Synodum eſſe, demonſtrant Irenæi verba ad Victorem, quibus habet: *Polycarpo perſuadere unquam poterat* (Anicetus), *ut obſervare deſineret Paſcha luna XIV*; ideoque ejuſdem abrogandæ conſuetudinis cum Aniceto auctor eſſe non potuit. Inſuper eadem epiſtola addit Irenæus, quod Soteris deceſſores, ideſt Anicetus, Pius &c. *pacem nihilominus cum iis colebant, qui ad ſe veniebant ex Eccleſiis, in quibus Paſcha Luna XIV. obſervabatur*:

Epiſtola Aniceto ſubdita.

Tom. I. Concil. pag. 580. Leo epiſt. 32.

Concil. tom. I. pag. 583. Coutan. p. 73.

Euſeb. lib. 5. 24.

JESU CHR. AN.168. *batur* : quod ſane non feciſſet Anicetus, ſi edito canone in Concilio Romano eam conſuetudinem abrogaſſet.

De Clericorum tonſura, origine, ritu, & forma.

7. Interea ex Aniceti decreto, *ne Clerici comam nutriant*, de Clericali tonſura agendi occaſio nobis ſe offert, quam ex Nazareorum diſciplina, aut Petri exemplo, & Aniceti decreto ortam plerique tradunt. Quinimo ex Apoſtolica inſtitutione, & univerſali Eccleſiarum conſuetudine manaſſe, contendit Baronius: *Doceat, quis velim*, ait Annalium Parens, *provinciam Orbis aliquam, quæ Chriſti nomen acceperit, ejuſdem fuiſſe tonſuræ clericalis expertem? Quonam alio, quæſo, quam Apoſtolorum præconio, rem tam novam, atque inuſitatum, ac penitus ab aliis intentatam, radendi in modum ſphæræ, vel coronæ capitis Chriſtianus orbis potuit ſuſcepiſſe, ac firmiter tenuiſſe, nullo præcedente majorum exemplo*. Nam Judæorum Sacerdotibus vetitum erat caput, aut barbam tondere, monente Domino: *Sacerdotes nec radent caput, nec barbam*: quod & Judæis generatim illicitum erat, in rotundum ſcilicet barbam, aut caput tondere. Neque ex Gentilium Sacerdotibus tonſuræ uſus in Eccleſiam tranſiit, cum plane diverſo ritu iidem tonderentur, & maxime Iſidis Sacerdotes: *unde abſque exemplo, quod Catholica ubique Eccleſia cuſtodivit, nemo ſanæ mentis dixerit, eſſe introductum, atque ſervatum*, addit idem Annaliſta. Quæ & Iſidori auctoritate firmantur, dum ait: *Tonſuræ Eccleſiaſticæ uſus a Nazareis, ni fallor, exortus eſt, qui prius crine ſervato, denuo poſt vitæ magnam continentiam, devotione completa, caput radebant. Hujus ergo exempli uſus ab Apoſtolis introductus eſt, ut hi, qui in Divinis cultibus mancipati, Domino conſecrantur, quaſi Nazarei, ideſt Sancti Deo, crine præciſo, innoventur*.

Baron. an.58. num. 127.

Levit. 21. Levit. 19.

Iſidor. de offic. lib.2. cap.4.

Quid ſignificet Clericalis tonſura.

8. Tres autem Clericalis tonſuræ rationes communiter afferuntur. Prima eſt Areopagitæ, ſeu larvati Dionyſii, *ut illa nudatione capitis ſignificetur vita aperta, & pura, cui Eccleſiaſtici ſtudere debent*. Secunda Bedæ, *ut ſpinea Chriſti corona, quam maxime in memoria habere debent, repræſentetur*. Tertia Iſidori, & Rabani, *ut ſignificetur regale Sacerdotium Chriſti, cujus gubernatores tali corona redimitos eſſe oporteat*. Hujus Clericorum tonſuræ quamplurima veterum teſtimonia extant. Tertio enim ineunte ſæculo in Affrica uſitatam fuiſſe, Cypriani exemplo ſcimus; ac de eadem Prudentius:

Dionyſius de Eccl. Hierarchia part. 2. cap. 3. Beda lib. 5. Hiſt. Angl. 22. Iſid. ut ſupra. Raban. de inſtitut. Cleric. lib.2. cap.1. Prudent. hym. 13.

De-

Deflua Cæſaries compeſcitur ad breves capillos.

Eo quoque ſpectant Conſtantini verba in oratione ad Sanctorum cœtum : *Sacerdotes Dei , cæleſti gloriæ corona decorati*. Illius vero formam , & modum explicat Hieronymus , ubi ait : *Demonſtratur nec raſis capitibus , ſicut Sacerdotes , cultoreſque Iſidis , & Serapidis nos eſſe debere , nec rurſus comam demittere , quod proprie luxurioſum eſt . Diſcimus nec calvitium novacula conficiendum , nec ita ad preſſum tondendum caput , ut raſorum ſimiles eſſe videamur , ſed in tantum capillos eſſe demittendos , ut opertum ſit caput*. Plurimis etiam Conciliis cautum eſt , ne Clerici comam nutriant ; ut præ cæteris videre eſt in Carthaginenſi 4. anni 398. canone 44. , aut in Agathenſi anni 506. canone 19. , quo inſuper habetur : *Clerici qui comam nutriunt , etiamſi noluerint , inviti ab Archidiacono tondeantur*. Cæterum etſi antiquiſſimus , & univerſalis fuerit tonſuræ uſus , ac fortaſſe ex Apoſtolorum inſtitutione , aut exemplo manaverit ; negari tamen non poteſt , non eamdem undique fuiſſe formam ; alicubi enim anguſtior , alibi latior erat corona : ita monachorum alia , alia clericorum : alibi ad cutem tondebantur capilli , alibi vero aliquatenus decurtabantur .

Euſeb. lib. 10. 4.
Hier. in ezech. cap. 4.

9. Minime ergo audiendus erit Baſnagius , qui collectis hinc inde exemplis aliquot , fruſtra nititur Clericalis tonſuræ antiquitatem oppugnare , Jacobi ſcilicet fratris Domini , de quo apud Hegeſippum legitur , *comam nunquam totondit* , ac Theotimi Tomitani Epiſcopi , de quo Sozomenus refert , *perpetuo comam aluiſſe* : Scotiæ etiam Clericos in medium adducit , apud quos , teſte Beda , Clericalis corona in uſu non erat . Hæc ſiquidem nedum vetuſtam univerſalis Eccleſiæ conſuetudinem non deſtruunt , ſed eam potius confirmant ; vix enim unum , aut alterum per tot ſæcula eorum occurrit exemplum , qui Clericalem tonſuram neglexerint , quod & Hiſtorici notatu dignum cenſuerunt . Nec felicior eſt , dum ſubdit multum diſcriminis interceſſiſſe inter veterum , recentiorumque tonſuram , in eo ſcilicet , quod antiquitus non conſtet , Epiſcopos , Presbyteroſque tondendi officium habuiſſe , uti hodie obſervatur : quodque capillorum tonſio , non novacula , ſed forbicibus tantum fieret , cum a raſura veteres abhor-

Tonſuræ varia Forma .
Baſnag. annal. an. 56. n. 17. 18.
Euſeb. lib. 2. 23.
Sozom. lib. 7. 26.
Beda hiſtor. lib. 3. 26.

Digitized by Google

Jesu Chr. An. 168. Clem. Alex. pedag. lib. 3. 11. Nazian. Orat. 12. & 28. abhorrerent, teſtibus Clemente Alexandrino, & Gregorio Nazianzeno: quod demum latitudine etiam differret, cum latior ut plurimum veterum corona eſſet, nunc vero Clerici anguſtiori ſphæra contenti ſint. Operam tamen hæc adnotando ludit, & perdit. Quis etenim inficiari poteſt, aut ignorare, in iis, quæ neque fidem, neque mores ſpectant, pro locorum, aut temporum diverſitate variam viguiſſe diſciplinam? Quin etiam ipſa in Clericali tonſura differentia ejuſdem antiquitatem, & communem uſum oſtendit, ut a Baronio adnotatum eſt. (Baron. an. 58.) Ad ritum modo apud Chriſtianos ſervatum circa raſuram barbæ tranſiret oratio, quemadmodum materiæ affinitas exigeret, ut, quis apud Gentiles, Judæos, & Chriſtianos in ejus cultura, aut tonſione uſus eſſet, ediſceremus; brevitatis tamen propoſitum retinentes, id tantum adnotamus, diverſum fuiſſe Orientalium, & Occidentalium morem. Orientales etenim, & Græci barbati ut plurimum incedebant; hinc & Chriſtiani, ſive Laici, ſive Clerici barbam nutriebant. Occidentales e contra Romanorum exemplo barbam, aut tondebant, aut radebant, quod & apud Chriſtianos factitatum eſt, de quibus qui plura cupit, ſupracitatos Annaliſtas adeat, Baronium ſcilicet, & Baſnagium.

De barbæ raſura.

Bar. an. 58. Baſnag. an. 56.

10. Eodem anno, Marci Aurelii octavo, quo Aniceti Pontificis obitum Euſebius refert, & Heronis Antiocheni Epiſcopi mortem alligat: cui *Theophilus ſextus ab Apoſtolis* ſuccedit, eamque Eccleſiam, ad Commodi uſque tempora, ſumma vigilantia adminiſtravit. Unde in Euſebii Chronico error irrepſit, ubi Maximinum Theophilo anno 177. ſucceſſiſſe legitur. De Theophili, aliorumque Paſtorum ſollicitudine in fugandis ab ovile Chriſti lupis, ideſt Hæreticis, teſtatur Euſebius, quod cum ea tempeſtate hæretici Dominici gregis exitium molirentur, ac zizaniorum inſtar ſinceram Apoſtolicæ doctrinæ ſementem labefactarent, Eccleſiarum toto Orbe Paſtores eos penitus avellere, ſeu tamquam immanes belluas propulſare contenderunt, tum hortando, & commonendo fratres, cum adverſus ipſos hæreticos fortiter colluctando, aut viva voce, aut libris accuratiſſime conſcriptis. *Theophilus igitur una cum cæteris adverſus illos hæreticos depugnavit, ut conſtat ex quodam illius libro haud quaquam ſpernendo, quem contra Marcionem elaboravit.* Hæc de Theophilo Antiocheno Epiſcopo Euſebius, qui eodem capite tres libros ad Autolicum, & alterum

Mors Heronis Epiſcopi Antioch., cui Theophilus ſuccedit. Euſeb. lib. 4. 19. Tillem. tom. 3. pag. 49. Euſeb. lib. 4. 24.

terum contra Hermogenis hæreſim, alioſque, in quibus *elementa Fidei noſtræ* traduntur, recenſet.

Theophyli ſcripta recenſentur.

11. Hieronymus autem, præter recitata ab Euſebio, addit: *Legi ſub nomine ejus in Evangelium, & in Proverbia Salomonis commentarios, qui mihi cum ſuperiorum voluminum elegantia, & phraſi non videntur congruere*; & alibi: *Theophylus Antiochenus, ſeptimus poſt Petrum Epiſcopus,* (quem in libro de Viris illuſtribus ſextum dixerat cum Euſebio, nunc ſeptimum cum Petro) *qui quatuor Evangeliſtarum in unum opus dicta compingens, ingenii ſui nobis monumenta reliquit*; & in præfatione in Evangelium Matthæi teſtatur, ſe Theophyli commentarios in eumdem Evangeliſtam legiſſe. Ex Theophyli libris tres tantum ad Autolicum inſcripti ſuperſunt; commentarium vero in quatuor Evangelia, quod ejus nomine circumfertur, etſi a nonnullis eidem tribuatur, Theophyli tamen non eſſe, eruditorum plurimi multis argumentis evincunt, ut apud eos videre eſt.

Hier. epiſt. ad Algaſiam 151. quæſt. 6.
Bibliotb. PP. tom. 2. p. 2.
Baron. 170. 9.
Pearſ. de Ignat. epiſtol. cap. 2.
Tillem. to. 3. pag. 614.
Dupin. tom. 1. pag. 149.
Nat. Alex. ſecul. 2. p. 338.

De libris Theophyli ad Autolicum: qua occaſione ſcripti.

12. Deperditorum operum jacturam abunde compenſant libri tres, qui ſuperſunt, ſacra profanaque eruditione referti. Theophylum incitaverat ſæpius Autolicus, ut de Chriſtiana Religione aliquid ſcriberet, eique verbis, & ſcriptis inſultare non ceſſabat: unde ſapienter, moderateque operis initio eum ſic interpellat Theophylus: *Lepida quidem lingua, ac elegans dictio delectationem afferunt, ac laudem ad inanem gloriam miſeris hominibus, qui mentem corruptam gerunt. Veritatis autem amator non ducitur ſermonibus fucatis, ſed ſermoni opus adjunctum, quodnam & quale ſit, inquirit. Quoniam igitur me, amice, obtudiſti inanibus ſermonibus, deos tuos venditans, lapideos, & ligneos, ductos & fuſos, fictos, & pictos, qui nec vident, nec audiunt, (ſunt enim imagines, & opera manuum hominum) meque præterea Chriſtianum dicis, quaſi malum nomen ferentem; equidem confiteor, me eſſe Chriſtianum, & gratum illud Deo nomen fero, ſperans, me utilem eſse Deo. Neque enim ut tu exiſtimas, moleſtum eſſe nomen Dei, ita ſe res habet; ſed fortaſſe quia adhuc inutilis es Deo, idcirco ita de Deo ſentis.* Cumque petiiſſet Autolicus, ut Chriſtianorum Deus ſibi oſtenderetur; reſpondit Theophylus, Deum videri non poſſe, niſi a mundis corde, ſicuti videri Sol nequit, niſi ab eo, qui ſanos habeat corporis oculos; proinde *oſtende teipſum, an non mœchus ſis,*

an non ſcortator, an non fur, an non prædo, an non ſpoliator, an non puerorum ſtuprator, contumelioſus, maledicus, iracundus, invidus, arrogans, ſuperbus, percuſſor, avarus &c. quæ qui agant, iis Deus non apparet, niſi prius ab omni labe ſe expurgaverint. Sed neque deſcribi Deus poteſt, quia de Deo dicere nil poſſumus, quod infinita majeſtate ſit dignum. Videri tamen quodammodo, & cognoſci poteſt ex ejus providentia, & operibus; & poſt multa de corporum reſurrectione, exemplo ſuo Autolicum excitat, ut ex Scripturarum lectione ad Dei cognitionem accedat.

Theophylus ex lectione Scripturarum ad fidem convertitur.

13. *Ne ſis igitur incredulus*, proſequitur Theophylus, *ſed potius crede, nam & ego non credebam futurum, ſed nunc credo, poſtquam hæc attentius conſideravi, ſimul quod in Sanctas ſcripturas incidi Sanctorum Prophetarum, qui per Spiritum Sanctum, & præterita eodem quo geſta ſunt modo, & præſentia eodem quo geruntur, prædixerunt, & futura eodem ordine quo perficientur. Cum igitur ea, quæ eveniunt, & prædicta ſunt, demonſtrationem mihi exhibeant, non ſum incredulus, ſed credo obtemperans Deo, cui tu quoque, ſi vis, obtempera, credens ei, ne ſi nunc incredulus fueris, credas tunc ſuppliciis cruciatus æternis*; & poſt pauca, ſic librum primum concludit: *Quoniam, amice, adjeciſti, oſtende mihi Deum tuum, hic eſt Deus meus, quem tibi auctor ſum, ut timeas, eique fidem habeas.*

De libro ſecundo, quo Gentilium religio confutatur.

14. Libro autem ſecundo cum gentilitiæ ſuperſtitionis ſtultitiam pluribus perſequatur, inter cætera: *Ridiculum*, inquit, *mihi videtur, ſtatuarios, figulos, pictores, fuſores, fingere, pingere, ſculpere, fundere, & Deos parare, qui cum ab opificibus facti fuerint, nullo in pretio ab eis habentur; poſtquam autem venierint in uſum Templi, aut domus alicujus, iis ſacrificant non ſolum qui emere, ſed etiam qui fecere, & vendidere, non ſine ſtudio, & apparatu victimarum, ac libaminum ... nec vident tales eſſe quales cum eos facerent, lapidem, æs, lignum, colorem, aut quamlibet aliam materiam &c.* Ex Philoſophorum etiam, Poetarumque opinionibus abſurdam, falſamque Gentilium religionem demonſtrat, quam qui ſectatur, in errorem labi neceſſe ſit: Prophetas econtra de Deo, de Mundi creatione, de hominum vita recte inſtituenda, ſapientiſſime ſcripſiſſe: eoſque vera tradidiſſe, ex rerum eventu comprobari.

Quid inter Eccleſias Catholicas, & hæreſes interſit.

15. Sed & Autolicum admonet, ut ab Hæreticorum frau-

Jesu Chr. An. 168.

fraudibus caveat , egregia ſimilitudine exponens , quid inter veram Eccleſiam , & Hæreticorum cœtus intereſſet : *Quemadmodum in mari ſunt quædam Inſulæ habitabiles , aquis ſalubres , frugiferæ , ſtationibus , & portubus munitæ , ut iis , qui tempeſtate jactati fuerint , perfugio eſſe poſſint ; ſic Deus Mundo ſub peccatis fluctuanti , & æſtuanti Synagogas dedit , ideſt Eccleſias ſanctas , in quibus doctrina veritatis , velut in inſularum portuoſarum ſtationibus , aſſervatur , ad quas perfugiunt , qui ſalutem conſequi cupiunt , veritatis facti amatores , ac iram , & judicium Dei effugere volentes . Quemadmodum autem aliæ ſunt inſulæ ſaxoſæ , & inaquoſæ , infrugiferæ , ferarum plenæ , inhabitatæ , ad perniciem navigantium , & tempeſtatem ſubeuntium appoſitæ , in quibus naves conteruntur , & qui appellunt , penitus pereunt ; ita ſe habent erroris doctrinæ , hæreſes dico , ad quas qui accedunt , omnino pereunt , neque enim veritatis verbum ſequuntur ducem : ſed quemadmodum piratæ , cum naves impleverint , eas in prædicta loca impellunt , ut ibi eas perdant ; idem contigit iis , qui a veritate aberrant , ut ab errore peſſundentur* . Libro tandem tertio cum adhuc Autolicus Chriſtianam Religionem obſtinato animo impugnaret , novamque eſſe contenderet , Theophylus illi exponit Scripturarum doctrinam omnium ethnicorum ſcriptis antiquitate præſtare ; ubi iterum de abſurdis gentilium philoſophorum , aut poetarum ſententiis plura addit , quæ longum eſſet vel compendio exponere .

Dodvvelli opinio de duobus Theophylis impugnatur.

16. Hos ad Autolicum libros , quos Euſebius , Hieronymus , aliique tum veteres , cum recentiores Theophylo Antiocheno adtribuunt , Henricus Dodwellus recentiori cuidam Theophylo nemini noto , quem ſub Severo Imperatore circa annum 203. vixiſſe ait , adſcribendos cenſet , duabus prætertim conjecturis innixus ; quarum primam ex Euſebii Chronico petit, quo , M. Aurelio adhuc imperante , Maximinum Theophylo ſucceſſiſſe legitur. Libri vero ad Autolicum cum ſub Imperio Commodi a Theophylo editi fuerint , alium propterea ab Antiocheno Epiſcopo Theophylum eorum Auctorem arbitratur . Adnotare tamen juvabit , Euſebii Chronicon mendis ſæpe corruptum eſſe , atque ex hiſtoria emendandum , qua diſerte idem Euſebius Libros ad Autolicum Theophylo Antiocheno Epiſcopo inſcribit . Levior adhuc eſt conjectura altera ex Theophyli verbis deprompta , quibus Chriſtianos ea ætate vexatos fuiſſe indicat ; ex præ-

Jesu Chr. an. 168.

præjudicata enim opinione cum ſibi perſuaſerit Dodwellus, Marci Aurelii, & Commodi tempora Fidelibus fuiſſe tranquilla, idcirco ad Severi Imperatoris tempora Theophyli libros in lucem prodiiſſe ſomniavit. Superius autem non ſemel adnotavimus, M. Aurelii Imperium Eccleſiæ turbulentiſſimum, ac infeliciſſimum fuiſſe: unde Dodwelli opinio penitus corruit, quam Pearſonius, & Baſnagius, ut ceteros prætercam, confutant; de quibus plura etiam apud Tillemontium videri poſſunt.

Baſnag. an. 188. 6.

JESU CHRISTI AN. 169. SOTERIS PAPÆ 2.
M. AURELII, ET L. VERI IMP. 9.
COSS. Q. SOSIO PRISCO, ET P. CÆLIO APOLLINARE.
OLYMPIAD. 237. AN. 1. URBIS AN. 922.

Soteris Papæ munificentia, & ſollicitudo in exteras Eccleſias.

1. Dum Chriſti Eccleſia Hæreticorum inſidiis, diriſque Gentilium perſecutionibus hac ætate vexaretur, viri pietate, doctrinaque præſtantes, ut alias, verbo, & exemplo eamdem illuſtrarunt. Inter eos Soter Romanus Pontifex, & Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus recenſendi ſunt; quorum primus Eccleſiarum omnium ſollicitudinem gerens, longinquas exteraſque litteris ſuis confirmare ſtuduit, & eleemoſynis ſublevare. Utrumque a Sotere geſtum fuiſſe, ex Dionyſio teſtatur Euſebius, qui de Epiſtola ad Corinthios ab eodem ſcripta narrat: *Hodie ... ſacrum diem Dominicum tranſegimus, in quo epiſtolam veſtram legimus, quam quidem perpetuo deinceps legentes, perinde ac priorem illam nobis a Clemente ſcriptam epiſtolam optimis præceptis, ac documentis abundabimus.* De eleemoſynis vero ad ſublevandam Corinthiorum paupertatem a Sotere miſſis, ex epiſtola eadem pauca quædam hic inſerere non abſurdum erit; ubi morem inſtitutumque Romanorum perpetuo cuſtoditum magnopere commendans, ſcribit: *Hæc enim ... vobis conſuetudo eſt, jam inde ab ipſo Religionis exordio, ut fratres omnes vario beneficiorum genere afficiatis, & Eccleſiis quamplurimis, quæ in ſingulis urbibus conſtitutæ ſunt, neceſſaria vitæ ſubſidia tranſmittatis; & hac ratione tum egentium inopiam ſublevatis, tum fratribus, qui in metallis opus faciunt, neceſſaria ſuppeditatis: per hæc quæ ab initio tranſmittere conſueviſtis munera, morem inſtitutumque Romanorum, a majoribus veſtris acceptum, Romani retinentes. Atque hunc morem beatus Epiſcopus veſter Soter non ſervavit ſolum, verum etiam adauxit: tum munera ſan-*

Euſeb. lib. 4. 23.

ſanctis deſtinata copioſe ſubminiſtrans, tum fratres peregre advenientes, tanquam liberos ſuos pater amantiſſimus beatis ſermonibus conſolando.

2. Hæc de Romanæ Eccleſiæ munificentia Euſebius, quam conſuetudinem ad ſua uſque tempora perſeveraſſe teſtatur. Res quidem magna admiratione, atque obſervatione digna eſt, ſubdit Baronius, Eccleſiæ omnium Principi tantam opum abundantiam Dominum contuliſſe, quæ non tantum, qualibet etſi duriſſima perſecutione urgente, ſufficere poſſent ad fideles pauperes, qui Romæ eſſent, ubertim alendos; ſed etiam ad metalla damnatis, quorum ingens numerus eſſe ſoleret, jugiter ſtipem conferre, & Eccleſias permultas penuria afflictatas largiſſime ſublevare. Divina ſane providentia, quæ eam matrem omnium Eccleſiarum Petri beneficio conſtituerat, admirabili quodam modo, quo cunctis ubique egentibus proſpiceret, ac matris inſtar eos plenis lactaret uberibus, incredibili quadam divitiarum affluentia eamdem ſemper donavit, & auxit, ut plane in hoc expletum appareat Iſaiæ oraculum hæc de Eccleſia prædicentis: *Suges lac Gentium & mammilla Regum lactaberis: & ſcies quia ego Dominus ſalvans te. Pro ære afferam aurum, pro ferro argentum, & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum*. Laudatiſſimam hanc Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem non tantum perſeveraſſe uſque ad ultimam, Euſebii tempore, excitatam perſecutionem, ſed ſemper viguiſſe, pluribus demonſtrat idem Annalium Parens, qui & Gregorium XIII. *ſextertium octingenties ſingulari beneficentia in egenos diſtribuiſſe* refert, ideſt vicies centena millia aureorum. Quibus ſane alia exempla ad noſtra uſque tempora addi poſſent, niſi rem ipſam manifeſtam redderent tot eximia, quæ undique extant, monumenta, idemque argumentum egregie perſecutus fuiſſet doctiſſimus Mamachius in opere italico, nuperrime edito, de jure, quo gaudet Eccleſia, tum acquirendi, cum poſſidendi.

De Rom. Eccleſiæ munificentia. *Bar. an. 175. num. 9.*

Iſai. 60.

3. De Dionyſio etiam narrat Euſebius, tantam Eccleſiarum Chriſti ſolicitudinem geſſiſſe, ut non ſolum Corinthiacam, ubi Epiſcopus erat, ſed & finitimas ſtudioſiſſime curaverit. *De Dionyſio quidem dicendum eſt, qui Corinthiorum Eccleſiæ Epiſcopatum geſſit, nec ſolum populis ſibi commiſſis, verum etiam aliarum regionum, & urbium incolis, divinos labores ſuos prolixe communicavit, omnium commodis, utilitatique inſerviens*,

Dionyſii epiſtolæ ad plures Eccleſias. *Euſeb. lib. 4. 23.*

in

Jesu Chr. an. 169.

in Catholicis illis, quas ad diverſas Eccleſias ſcripſit, epiſtolis. Ex his quidem legitur ad Atheuienſes una, & Lacedæmonios altera, quæ rectæ fidei inſtitutionem continet, pacemque & unitatem inſinuat. Extat etiam ad Nicomedienſes alia, in qua Marcionis hæreſim impugnans, veritatis regulæ firmiter adhæreſcit. Grottinenſibus præterea, & reliquis ſimul Cretæ Fidelibus Epiſcopum ipſorum Philippum litteris magnopere prædicat, ob egregiam nempe fortitudinis, & generoſi animi indolem, eoſque monet, ut ab hæreticorum fraude ac verſutia ſibi caveant. In epiſtola vero ad Amaſtrianorum, & ceteras Ponti Eccleſias data Sacrarum Scripturarum expoſitionem affert, plurima de nuptiis, cælibatuque eiſdem præcipiens, ac eos, qui a quovis lapſu, ſive etiam ab hæretica pravitate reſiliunt, benigne ſuſcipiendos edicit. In altera quoque ad Gnoſſios Pinytum eorum Epiſcopum admonet, ne grave caſtitatis onus indiſcriminatim fratrum cervicibus, tamquam neceſſarium, imponat. Cryſophoræ demum fideliſſimæ ſorori, utpote rerum divinarum peritus, copioſe ſpirituale pabulum ſubminiſtrat. Hujuſmodi autem epiſtolas a falſariis corruptas fuiſſe, ex Dionyſio afferit Euſebius: *Epiſtolas ſcripſi, rogatus a Fratribus; ſed illas miniſtri quidam Diaboli zizaniis compleverunt, quædam ex illis expungentes, quædam adjicientes. Quos certe manet feralis illa ſententia: væ vobis*. Atque hæc de Dionyſii Scriptis dicta ſint.

Dionyſii epiſtolæ ab hæreticis adulteratæ.

4. Ingraveſcente Marcomannico bello, ex Senatus ſententia, Imperatores illuc proficiſcuntur: *Romani*, inquit Euſebius in Chronico ad huuc annum, *contra Germanos, Marcomannos, Quados, Sarmatas, & Dacos dimicant. Profecti ſunt itaque*, ait Capitolinus, *Paludati ambo Imperatores, Victovalis, ſeu Sarmatis, & Marcomannis, cuncta turbantibus; parum profuit iſta profectio, cum Aquilejam uſque veniſſent anno precedenti, quo cum biemaſſet Marcus, neceſſaria ad tantum bellum parabat*. Verus tamen fere invitus iter ſuſceperat, otio deliciiſque marceſcere ſolitus. Barbaris vero Imperatorum adventu perterritis, plerique Reges cum populis ſuis ſe retraxerunt, & tumultus auctores interemerunt: immo Quadorum defuncto Rege, novum confirmare noluerunt, quin ejuſdem creatioui placita Cæſarum acceſſiſſent. Interim autem Lucius & Marcus, tranſcenſis Alpibus, longius proceſſerunt, ut res componerent, quæ ad munimen Italiæ, atque Illyrici perti-

Expeditio contra Marcomannos ab Imperatoribus ſuſcepta.

Euſeb. in Chron. p. 721. apud Hieronymi tom. 8. edit. Veron.

Capitol. in Mar. cap. 14.

Digitized by Google

pertinebant. Placuit tandem, ut Lucius Romam rediret; qui iter ingreſſus, *ſedens cum fratre in vehiculo apoplexia arreptus periit*, ait Capitolinus, qui iterum in Veri vita: *Cum in Urbem deſtinatus eſſet* (Verus) *non longe ab Altino, ſubito in vehiculo morbo, quem apoplexim vocant, correptus Lucius apud Altinum periit*.

Jesu Chr. an. 169. Lucii Veri Imp. obitus. *Capitol. in Vero cap. 9.*

5. Porro, ut una cum Lucio Marcus etiam Romam rediret, peſtis, quæ iterum graſſata eſt, in cauſa fuit, prout Galenus ocularis teſtis, & Auguſtæ Domus medicus enarrat: *Ex Aquileja mihi litteræ ab Imperatoribus miſſæ perferuntur, quibus illi me revocabant. Statuerant enim ex hibernis expeditionem contra Germanos facere. Ceterum ego cum Aquilejam perveniſſem, peſtis quantum antea nunquam graſſari cœpit. Unde Imperatores ſtatim Romam cum paucis militibus fugere coacti ſunt... In itinere autem cum e vivis exceſſiſſet Lucius, Romam ab Antonino deportatus, funeratuſque eſt*. De quo alibi etiam ſubdit: *Ceterum Lucio media hieme ad Superos conſcendente, ubi cadaver Marcus Romam retulit, & quæ conſueta ſunt fieri præcepit, iter in Germanos* (ſequenti anno) *ſuſcepit*. Defuncto fratri & magnificum funus, & divinos honores, ex Senatus ſententia, Marcus decrevit, de quibus plura Capitolinus, Dio, aliique; ejuſque cineres in Hadriani mole locati fuerunt, ubi Baronii tempore hæc inſcriptio aderat:

Ingruente peſte, Imperatores Romam redeunt. *Galen. de præcog. cap. 9., & de libris propriis cap. 2.* *De præcog. cap. 10.* *Baron. an. 171. 2.*

IMP. CÆSARI. L. AVRELIO VERO
MED. PARTHIC. PONTIF. TRIB. POTES. IX.
IMP. V. COSS. III. P. P.

Ex qua inſcriptione, eum annos novem imperaſſe conſtat, quot ſcilicet Tribunitiæ Poteſtatis leguntur; nam, Dione teſte, *annorum Imperii ipſorum hinc ſumma concipi ſolet; cum tot ſint Imperii anni, quot Tribunitiæ Poteſtatis*. Unde Capitolinum erraſſe convincitur, dum ſcribit: *Imperavit cum fratre annos undecim*. Qui error apud Victorem, Eutropium, Cedrenum, aliosque tranſiit, ut ab eruditis adnotatum eſt.

Dio lib. 53. Rom. lib. 53. Capitol. in Verrem c. 11. Baron. 171. 2. Baſnag. 169. Pag. ibid. Noriſ. Murator.

JESU CHRISTI an. 170. Soteris Papæ 3.
M. Aurelii Imperatoris 10.
Coss. M. Aurelio Cethego, et C. Erucio Claro.
Olympiad. 237. an. 2. Urbis an. 932.

De Tatiani initiis, operibus, & hæreſi.

1. Inter Juſtini Martyris diſcipulos Tatianus fuit, quo duce, fidei, ac pietatis non obſcura indicia dederat. Sed eo e vivis erepto, tanquam cœcus ſine ductore in præceps ruit, atque Encratitarum hæreticorum dux, & auctor, non multo poſt Juſtini martyrium, evaſit. Tanti viri, de Eccleſia etiam benemeriti, lapſum luctuoſumque caſum ſuperbiæ adſcribit Irenæus: *Tatianus Juſtini auditor, poſt martyrium illius ab Eccleſia ſe abrumpens Doctoris arrogantia elatus, ac tumidus, tanquam præſtantior cæteris, novam quamdam formam doctrinæ conflavit*. Eademque ad annum M. Aurelii duodecimum Euſebius alligavit: *Tatianus hæreticus agnoſcitur, a quo Encratitæ*. Unde ejuſdem hæreſis initia circa hæc tempora ſunt aſſigenda.

Euſeb. lib. 4. 29.

Euſeb. Chron.

De Tatiani patria, & ſtudiis.

Tatian. Orat. cap. ult.

2. Aſſirium origine, & religione Ethnicum ſe fuiſſe, in oratione contra Græcos ipſe teſtatur: *Hæc vobis, Græci, ego Tatianus barbaræ philoſophiæ addictus compoſui, natus in terra Aſſiriorum, ac primum quidem veſtris diſciplinis imbutus, deinde illis, quas me profiteor prædicare. Jam vero cum noverim, quis ſit Deus, & quod ejus opus, paratum me vobis ad examen dogmatum exhibeo, manente mihi citra inficiationem colendi Dei ratione*. Hæc de ſe ipſo Tatianus, cum in Catholica Eccleſia adhuc militaret, paulo poſt Juſtini martyrium, cujus cum laude meminit, dum adverſus Græcos, ideſt Gentiles, & Philoſophos præſertim eam orationem vulgavit. *Qui quidem liber omnium, quos ille ſcripſit, elegantiſſimus ſimul, atque utiliſſimus videtur*, ait Euſebius. Hieronymus etiam: *Tatianus infinita ſcripſit volumina, e quibus unus contra gentes florentiſſimus extat liber, qui inter omnia opera ejus fertur inſignis*. Rhetoricam eum docuiſſe, iidem tradunt: *Tatianus*, ait Euſebius, *qui primo ætatis ſuæ tempore Rhetoricam docens, in Gentilium diſciplinis ſumma cum laude verſatus eſt*; & Hieronymus: *qui Oratoriam docens, non parvam ſibi ex arte Rhetorica gloriam comparaverat*. Nonnulli vero Philoſophum magis, quam Rhetorem fuiſſe conten-

Euſeb. lib. 4. 29.
Hier. de Vir. illuſtr. cap. 29.

Euſeb. 4. 16.

Præf. in Juſt. oper. pag. 97. Valeſ. ad Euſeb. not.

tendunt. Philoſophiæ certe adeo ſtudioſus fuit, ut, eodem teſte, *variis in locis myſteriorum particeps fieret, ac ubique Religiones exploraret*, ut multiplicem eruditionem acquireret: *Nec ab alio accepta expoſui*, ſubdit, *qui multas inviſi regiones, ac partim in veſtris diſciplinis exercitatus ſum, partim in artes, & inventa multa incidi*. Nec obſcure, ſe in ejuſmodi ſtudio verſatum fuiſſe, priuſquam Chriſti fidem ſuſcepiſſet, indicat, dum Philoſophos his compellat verbis: *In publico pompas agitis, ſermones autem in angulo occultatis. Miſſos vos fecimus, cum tales cognoſceremus, nec jam de rebus veſtris quidquam attingimus, ſed verbum Dei ſectamur*. Et alibi ad eoſdem: *Quamobrem ſapientiæ veſtræ valediximus, quamvis in hoc genere præclarus omnino, & ſpectatus aliquis eſſem*. Et poſt pauca: *Quid enim egregii philoſophando protuliſtis, aut quis ex iis, qui præſtantiſſimi fuerunt, extra arrogantiam conſtitutus fuit*; quod & pluribus confirmat exemplis: unde patet, ipſum Philoſophum fuiſſe, quodque Rhetoricam, & poeticam calleret, ex eadem oratione conſtat. Ut vero Chriſtianam Philoſophiam, ſeu Religionem amplexus eſt, Magiſtri ſui exemplo, Philoſophi nomen, fortaſſe etiam inſignia retinuit. Hinc cum Juſtino inter Philoſophos ſe numerat, cum de ſtructis a Creſcente Philoſopho Cynico inſidiis Juſtino, & ſibi, hæc habet: *Quoſnam autem Philoſophorum, niſi nos ſolos inſectari ſolebat*. Et iterum de Creſcente: *Hic mortis contemtor ita mortem metuebat, ut eam veluti malum aliquod Juſtino, non ſecus ac mihi machinationibus ſuis inferre conatus ſit*.

Orat. adverſ. Græcos n.19. Num. 35. — *Num. 26.* — *Num. 1.* — *Num. 19.*

3. Cum autem varias Orbis regiones peregrinatus eſſet, tandem Romam veniens, ibidem Chriſto credidit, ut idem his verbis teſtatur: *Hæc quidem non ab alio accepta expoſui, qui multas regiones peragravi, ac partim in veſtris exercitatus ſum diſciplinis, partim in artes, & inventa multa incidi; ac tandem in Romanorum Urbe commoratus, Statuarum varietates a vobis illuc exportatas vidi. Non enim, ut plerique ſolent, alienis opinionibus mea confirmare, ſed quæcumque vidi, ea litteris mandare aggredior. Vale igitur dicto, & Romanorum jactantiæ, & frigido Athenienſium ſermoni, male ſartis opinionibus, barbaram noſtram philoſophiam complexus ſum*; & infra de ſuſcepta fide paulo ante Juſtini obitum: *Ne ergo vobis ſtomachum faciat eruditio noſtra, nec refertam nugis, & ſcurriliter*

Tatianus Romæ Chriſto dat nomen. *Num. 35.*

JESU CHR. AN. 170. *liter dictis, confutationem in nos elaboretis dicentes: Tatianus ſupra Græcos, ſupra infinitam Philoſophorum multitudinem, novus eſt barbarorum doctrinæ ſectator*. Quibus indicat ſe Fidei novitium quodammodo fuiſſe, dum eam orationem, non multo poſt Juſtini martyrium, conſcripſit.

Quibus de cauſis Chriſtiam fidem Tatianus ſuſceperit. *Orat. ad Græcos cap.* 2.

4. Quæ autem, præter divinam inſpirationem, Tatianum impulerint, ut abjecta Idolorum ſuperſtitione, chriſtianæ Religioni nomen daret, ex ipſius verbis edocemur. Perſpecta enim tot legum varietate, diverſaque apud plurimas gentes vivendi ratione, ita ut quæ nonnulli perhorreſcerent, inter alios veluti præclara haberentur, quemadmodum infames puerorum amores, ac inceſtæ cum ſororibus, ſeu matribus conjunctiones; cum hæc vidiſſet, ac præterea varias ubique religiones ab effæminatis deturpatas exploraſſet, ſimulque reperiſſet Latiarem apud Romanos Jovem, vel apud Megalopolitanos Dianam humano ſanguine delectari; ad ſtomachum uſque provocatus, ac de veritate invenienda ſollicitus, *forte*, inquit, *in quoſdam barbaricos libros incidi* (ideſt, in libros Veteris Teſtamenti) *antiquiores, quam ut cum Græcorum diſciplinis, diviniores, quam ut cum eorum erroribus conferri poſſint*. Iis itaque fidem habens, ac Idololatriæ tenebras excutiens, ſubdit: *Horum cognitione initiatus, & inſtructus volo inſtar puerorum infantium exui, & nudari*. Utinam tamen infantium ſimplicitatem retinuiſſet Tatianus, qui, fide ſuſcepta, tantum ſub Juſtino profecerat, ut alios etiam exhortationibus, exemplo, & ſcriptis ad eam ſectandam provocaret; veluti de Rhodone eruditiſſimo ſecundi ſæculi Scriptore conſtat, qui, Euſebio teſte, *ex Aſia oriundus, & in Urbe Roma, ut ipſe ſcribit, a Tatiano eruditus &c.* At proh dolor! Poſt tot inſignia pietatis argumenta, poſt tot labores, tantaque inita Chriſtianæ fidei cauſa pericula, in hæreſim incidit, magiſter errorum factus. Quorum præcipua capita hæc fuerunt: cum temperantiæ maxime cultor eſſet, limites ejus tranſgreſſus, nuptias etiam, tamquam adulteria, & vini uſum, tamquam facinus improbabat: carnium eſu prorſus vetito, perpetua jejunia indicebat, veluti ad ſalutem neceſſaria: quinimo ex vini abſtinentia addidit, ut ſola aqua in Euchariſtiæ celebratione adhiberetur, Hidroparaſtarum Pater merito dictus. Ex illicito autem nuptiarum, & carnium uſu plurimi adhuc errores pullularunt. In primis enim Adamum, eo

Euſeb. lib. 5. 13.

Tatianus Encratitarum auctor, ejuſque hæreſis capita.

eo quod filios procreaſſet, inter reprobos recenſebat. *Contradicunt quoque ejus ſaluti*, ait Irenæus, *qui primus plaſmatus eſt, & hoc nuper inventum eſt apud eos, Tatiano quodam primo hanc introducente blaſphemiam*; quam alibi idem confutat, aliique Patres deteſtantur. De Chriſti etiam carne abſurda docuiſſe, Hieronymus ſcribit: *Tatianus, qui putativam Chriſti carnem introducens, omnem conjunctionem maſculi ad fœminum immundam arbitratur*. Num revera Tatianus de Chriſti carne cum Docetis ſenſerit, in dubio eſt. Hinc apud Hieronymum pro Tatiani nomine Caſſianum legendum nonnulli cenſent, Docetarum auctorem a Clemente Alexandrino dictum, qui phantaſticam Chriſto carnem tribuebant: unde librariis facile fuit, Tatianum hæreticorum celeberrimum pro Caſſiano vix noto ſubſtituere. At quidquid de Chriſti carne opinatus fuerit Tatianus, certe de Mundi creatione impia docuit, ac cum Valentino delirans Æones quoſdam inviſibiles ſibi finxit, per quos Deus hunc Mundum creaverit, teſte Irenæo: unde a Tertulliano *totus ſecundum Valentinum ſapere dicitur*. Hac de cauſa & vetus teſtamentum non magni faciebat: *Separat autem veterem hominem*, ait Clemens, *& novum Tatianus, ſed non ut nos dicimus. Veterem quidem virum, Legem, novum autem Evangelium. Aſſentimur ei nos quoque, ſed non eodem modo, quo vult ille, diſſolvens legem, ut alterius Dei*. Novum autem Teſtamentum etſi admittere videretur, illud tamen decurtare auſus eſt, atque ex Evangelio avulſit genealogias, *quæ Dominum ex ſemine David ſecundum carnem natum oſtendunt*, inquit Theodoretus. Ex Pauli vero epiſtolis nonnullas rejecit: *Tatianus Encratitarum Patriarches*, ait Hieronymus, *qui & ipſe nonnullas Pauli epiſtolas repudiavit, hanc vel maxime, hoc eſt ad Titum*. Impietatis ſuæ diſcipulum Severum quemdam hæredem reliquiſſe, ex Euſebio ſcimus: *Qui cum eidem hæreſi robur, ac vires addidiſſet, Severiani ſunt dicti. Hi legem, & prophetas cum Evangeliis admittunt, ſed proprio quodam ſenſu ſacras ſcripturas exponunt. Paulum autem Apoſtolum maledictis impetentes, epiſtolas ejus repudiant, ac ne Apoſtolorum quidem Actus ſuſcipiunt*.

JESU CHR. AN. 170.
Iren. lib. 1. 28. lib. 3. 23.
Tertull. de præſcript. 52.
Epiph. hær. 46.
Aug. lib. de Hæreſ. 23.
Theod. Hæret. fab. lib. 1. 20.
Præf. in oper. Juſt. p. 102.
Tillem. tom. 2. pag. 413.
Iren., Tertull. ut ſupra.
Clem. Alex. Strom. lib. 3.
Theod. lib. 1. Hæret. c. 20.
Hier. præm. Epiſt. ad Titum.
De Severo Tatiani diſcipulo, unde Severiani.
Euſeb. 4. 29.

5. Tatiani volumina quamvis infinita pene, teſte Hieronymo; omnia tamen, præter ad Græcos orationem, perierunt, vixque aliquorum memoria apud veteres extat. *Librum de perfectione* ſecundum Salvatorem ediſſe, tradit Cle-

De Tatiani libris.
Hier. de Vir. illuſtr.
Clem. Strom. ut ſupra.

Jesu Chr. an. 170.

Euſeb. lib. 5. 13.

mens : de animalibus alterum a ſe ſcriptum citat Tatianus ipſe in ſua oratione : de alio quoque ejus Opuſculo ex Rhodone hæc recitat Euſebius : *Elucubratum eſſe a Tatiano librum quæſtionum , per quas quidem cum Tatianus , obſcuras eſſe , & reconditas ſcripturas demonſtrare inſtituiſſet , ipſe Rhodon ſolutiones quæſtionum Tatiani peculiari opere editurum ſe eſſe pollicetur .*

De concordia Evangelica a Tatiano compoſita.

Euſeb. lib. 4. 29.

Epiph. ut ſup.

Theod. hæreſ. fab. lib. 1. 20.

Bibl. PP. tom. 7. edit. Pariſ.

Baron. an. 174. 6. 7. & Caveus de Script. Eccl. Præf. ad Juſt. oper. pag. 108.

Valeſ. not. in Euſeb. lib. 4. 29.

Dupin. tom. 1. pag. 140.

Baſnag. ann. 172. 5.

6. Inter præcipua illius opera recenſebatur Evangelium ex quatuor digeſtum : *Cæterum primus eorum auctor , atque inſtitutor Tatianus , catenam , & collectionem neſcio quam Evangeliorum contexuit , quod Evangelium ex quatuor Evangeliis compoſitum nominavit , quod opus a quibuſdam etiamnum habetur*, ait Euſebius. Ejuſdem operis meminit Epiphanius , & præſertim Theodoretus , qui quale fuerit clare exponit inquiens , Evangelium , quod *Diaterraſſon* dicitur , Tatianum compoſuiſſe , genealogiis , aliiſque omnibus amputatis , quæ Dominum ſecundum carnem ex ſemine David natum oſtendebant ; innuens ſimul , eo uſos eſſe non modo ejus Sectatores , ſed & qui Apoſtolica ſequebantur Dogmata , compoſitionis fraudem non cognoſcentes , ſimpliciuſque tanquam compendiario libro utentes . Tandem addit , ſe ipſum nactum eſſe libros hujuſmodi ſupraducentos in pretio habitos in Eccleſiis , quos omnes in unum congeſtos ſepoſuit , locoque ipſorum quatuor Evangeliſtarum libros introduxit . Ex quibus compertum eſt , armoniam Evangelicam , quæ Tatiano in Bibliotheca Patrum inſcribitur , ejuſdem non eſſe , cum ibidem ea legantur , quæ Chriſti genealogiam ſpectant ; neque altera , quam Baronius , & Caveus Tatiano inſcribendam cenſent , illius eſt ; ſed aut Ammonii , aut recentioris Scriptoris , & quidem Latini magis , quam Græci , ut ab eruditis adnotatum eſt .

De Hermogene hæretico , ejuſque hæreſi.

Euſeb. lib. 4. 24.

Tertull. ad Hermog.

Baron. ann. 170. num. 11.

Pag. ibid.

Valeſ. ad Euſeb. 4. 24.

7. Tatiano Hermogenem addimus , qui eadem ætate Catholicam Eccleſiam hæreſi ſua infecit , ſed a Theophilo Antiocheno , teſte Euſebio , deinde a Tertulliano validiſſima confutatione inſectatus . Hic equidem ab alio Hermogene hæretico diſtinguendus eſt , de quo Apoſtolus Paulus ad Timotheum ſcribit : *averſi ſunt a me Phrygellus , & Hermogenes* : unde Tertullianus : *Nec ipſe Apoſtolicus Hermogenes in regula perſeveravit* . Hermogenem in Africa docuiſſe , tradit Baronius ; qua de cauſa Valeſio , & Pagio pœnas dedit , ſed immeritas . Non enim ex eo tantum conſtat , Hermogenem in Africa docuiſ-

Digitized by Google

docuiſſe, quod eum Tertullianus, & ipſe Africanus confutaverit, *alioquin & Syrum eum eſſe dicemus, eo quod Theophilus Antiochenus in eum ſcripſit*, ait Valeſius; ſed potiſſimum ex eo conjicit Baronius, quod Tertulliano notiſſimus fuerit, idemque tradiderint Auguſtinus, & Philaſtrius: *Hermogeniani ab Hermogene vocari potuerunt, qui in Africa fuiſſe dicuntur. Hermogeniani ab Hermogene*, ait Philaſtrius, *qui fuerunt in Africa*. Quæ loca ſi præ oculis habuiſſent Valeſius, aut Pagius, Baronio certe ſcribenti, Hermogenem in Africa docuiſſe, conſenſiſſent. De Hermogenis vita, moribus, & doctrina Tertullianus audiatur: *Hermogenis doctrina tam novella eſt, denique ad hodiernum homo in ſæculo, & natura quoque hæreticus etiam turbolentus, qui loquacitatem facundiam exiſtimat, & impudentiam conſtantiam deputat, & maledicere ſingulis officium bonæ conſcientiæ judicat. Præterea pingit licite, nubit aſſidue, legem Dei in libidinem defendit, in artem contemnit, bis falſarius, & cauterio, & ſtylo, totus adulter, & prædicationis, & carnis. Sed viderit perſona, cum doctrina mihi quæſtio eſt*; & paulo poſt: *A Chriſtianis converſus ad Philoſophos, de Eccleſia in Academiam, & porticum; inde ſumpſit a Stoicis materiam cum Domino ponere, quæ ipſa ſemper fuerit, neque nata, neque facta, nec initium habens omnino, vel finem, ex qua Dominus omnia poſtea fecerit, hanc primam umbram plane ſine lumine peſſimus pictor illis argumentationibus coloravit*. Hermogeniana deliramenta meminerunt etiam Theodoretus, & Philaſtrius. Clemens vero Alexandrinus inſuper de eodem addit: *Quidam ajunt Chriſtum in Sole corpus ſuum depoſuiſſe, ut Hermogenes eo Pſalmi loco abutens, quo legitur: In ſole poſuit tabernaculum ſuum*. Hæc, ut alia omittamus, de Hermogenis doctrina, & moribus dicta ſint, qui & impietatis ſocium habuit Nigidium. *Ceterum Nigidius, neſcio quis*, ait Tertullianus, *& Hermogenes adhuc ambulant pervertentes vias Dei*.

Aug. de hær. 41.
Philaſtr. ad hær. cap. 7.

8. Quo tempore in Africa Hermogenes errores ſuos diſſeminabat, in Meſopotamia nova hæreſum monſtra per Bardeſanem vulgabantur, quem Euſebius in Chronico cum Tatiano conjungit: *Bardeſanes alterius hæreſeos princeps efficitur*; ac de illius doctrina hæc in hiſtoria narrat: *Ejuſdem Imperatoris temporibus* (idest Marci Aurelii) *cum hæreſes numero quamplurimæ extitiſſent in Meſopotamia, Bardeſa-*

De Bardeſane, ejuſque hæreſi.
Euſeb. p. 724. In hiſt. lib. 4. 30.

JESU CHR. AN.170.

deſanes quidam vir diſertiſſimus Syriaco ſermone , & acerrimus in diſputando , adverſus Marcionem , alioſque variarum opinionum auctores , atque aſſertores , patria lingua Dialogos conſcripſit una cum infinitis aliis opuſculis , quæ omnia illius diſcipuli ex Syriaco in Græcum ſermonem tranſtulerunt , in hiſque Dialogum de fato ad Antoninum ſcriptum . Sed & alia multa , ſubdit idem Euſebius , ex occaſione perſecutionis , quæ tunc temporis in Eccleſiam ſævita eſt , elucubravit . Ipſe quidem poſtquam a Catholica fide deſcivit , ſectator primum fuit Valentini ; ſed cum ejuſmodi doctrinam improbaſſet , illiuſque dogmata aniles eſſe fabulas cognoviſſet , ab ejuſdem ſchola reſiliit . *Vetuſti tamen , atque inoliti erroris ſordes non penitus exterſit* , ait Euſebius de Bardeſane , quem ſub Sotere Romano Pontifice vixiſſe addit : *Per id tempus Eccleſiæ Romanæ Epiſcopus Soter vivendi finem fecit* , circa annum ſcilicet 176.

Bardeſanis labores pro Fide Catholica

9. Nec ſolum Chriſtianam Fidem Bardeſanes primum profeſſus fuerat , ſed pro ea totis viribus , atque ad extremum uſque diſcrimen propugnaverat : præſertim cum ab Apollonio Philoſopho , ut illam ejuraret , extimulatus , Apologiam , ſive librum de fato ſcripſit . Fortiter enim eidem *contradicebat* , inquit Epiphanius , *commonenti , ut negaret ſe ipſum Chriſtianum dicere . Hic autem ferme in confeſſionis loco conſtitutus erat ; ſermoneſque prudentes reſpondit pro pietate viriliter defenſionem ſuſcipiens , mortem ſe non formidare dicens , quam neceſſe ſit afferre etiam ſi Regi non contradiceret* . Cujus inſuper in dicendo eloquentiam admiratus Hieronymus , ejuſque ſcripta recenſens ſubdit : *Si tanta vis eſt , & fulgor in interpretatione , quantam putamus in ſermone proprio* ? Infelicis Scriptoris perierunt opera , cujus vix aliqua apud Euſebium fragmenta ſuperſunt . Quare non inutile erit hic intexere , quæ de ejus contra fatum Opuſculo recitat idem Auctor . Diſerte ergo oſtendit Bardeſanes , nullum eſſe fatum , a quo , tamquam arbitro , hominum mores , actioneſque dirigi , falſo ſtulteque nonnulli exiſtimarunt ; idque facillime comprobat . In primis Hebræorum exemplo , qui quocumque vixerint loco , aut qualemcumque incoluerint Regionem , octava die pueros circumcidere uſi ſunt , quin ad aliter faciendum , aut alicujus ſtellæ vi , aut loci temperie uſque adhuc adigerentur : eadem ratione Sabbato ab omni ceſſant opere , non ulla vi fati ſed Moſaicæ legis auctoritate moti . Id ipſum altero exemplo

Epiph. hæreſ. 56.

Hier. de Vir. illuſt. 33

Euſeb. de præp. Evang. lib. 6. 10.

Bardeſanis contra fatum argumenta .

plo confirmat, eorum nempe, qui in Syria, Oſroene, & Phrygia in Deorum cultum ſua ſponte abſcindebantur; cum autem horum Rex Abagarus manus etiam id agentium abſcindi juſſiſſet, nullus in poſterum virilia ſibi amputavit. Adnotat præterea Chriſtianorum neminem ſive Parthum, ſive Medum, aut Bactrianum plures uxores ducere conſueviſſe, aut cum ſororibus conjugia inire, vel canibus mortuos objicere, idolave proſequi, ut Apin, canem, hircum, aut felem, quemadmodum apud Ægyptios frequentabatur: quinimo ubicumque degerent, propriis viventes legibus, ad aliena inſtituta ſectanda nec fato, nec cruciatibus, aut morte cogi poterant, Dei tantummodo poteſtati ſubditi, qui homini *illud dedit eximium, ut libertate voluntatis, atque judicio uteretur. Hæc Syrus ille*, ait Euſebius. Bardeſanis in hæreſim lapſum deplorat Epiphanius, eumque navi comparat, quæ pretioſis onuſta mercibus in portu naufragium faciens, ſe ipſam cum iis, qui eam conſcenderant, perdidit. Verum poſt ſe Bardeſanem filium reliquiſſe narrat Theodoretus, qui addit utriuſque errores S. Ephrem Edeſſenæ Eccleſiæ Diaconum egregie confutaſſe.

Theodoret. hær. fab. l. 1.

10. Vix in Urbem redierat M. Aurelius, defuncto fratri juſta perſoluturus; cum Marcomanni iterum ad arma reverſi, Romanos maxima affecerunt clade: quare ſecundam in eos expeditionem ſuſcipere coactus eſt. Ut autem pecuniam abſque Provincialium moleſtia colligeret, Imperialem ſupellectilem publice diſtrahendam juſſit, qua venditione per duos menſes continuata, multum auri collegit. Poſt victoriam pretia emptoribus reſtituit; qui vero empta retinere maluerunt, ſuo uti jure permiſit. Interea ſub ipſis ad bellum profectionis diebus, dum Præneſti ageret, Verum filium Cæſarem ſeptennem amiſit, quem non ultra quinque dies deflevit.

De Marci Aurelii geſtis: filius ejus Verus obiit.

Capitol. in Marci cap. 21.

JESU

Jesu Chr. An. 171.

JESU CHRISTI An. 171. Soteris Papæ 4.
M. Aurelii Imp. 11. Coss. Septimio Severo II., Et L. Alfidio Herenniano.
Olympiad. 237. An. 3. Urbis an. 924.

Melitonis Apologia M. Aurelio Imp. oblata.

Cleric. ann. 154. 155.

1. Quo anno Apologiam ſuam M. Aurelio inſcripſerit Melito Sardenſis, Eruditi diffident. Anno 175., aut 177. oblatam fuiſſe, plerique tradunt. Clericus rerum geſtarum Chronologiam omnino perturbans, cum anno 154., & 155. de eadem agit Apologia: quam multo poſt vulgatam fuiſſe, exploratum eſt, poſt annum ſcilicet 170., cum Verus M. Aurelii filius vivere deſiiſſet, ut anno proximo diximus. Nam in eadem Apologia inter cetera hæc leguntur, ubi de Romano Imperio agitur: *Cujus tu hæres, ac ſucceſſor aſpirantibus omnium votis potitus es, potieriſque deinceps una cum filio*: quibus verbis indicat Verum Cæſarem jam obiiſſe, ſolumque Commodum M. Aurelii filium, eumdemque Cæſarea dignitate ornatum ſuperſtitem fuiſſe; alioquin plurali numero dixiſſet: *potieriſque deinceps una cum filiis*. Valeſius autem, & Baſnagius tardius, ultimis fere M. Aurelii annis, Melitonem eam edidiſſe autumant; cum nempe Proconſulare Imperium Commodo filio ſuo M. Aurelius communicaſſet. In tanta opiuionum varietate Eruditorum conjecturis Euſebium præferimus, qui in Chronico ad annum M. Aurelii decimum, ſeu ad labentem, Melitonem Apologiam ſcripſiſſe, tradit. Quid in ea tractaverit, ex eodem Euſebio, qui illius fragmenta plurima poſteritati tranſmiſit, videamus.

Euſeb. lib. 4. 26.

Valeſ. not. in Euſeb. lib. 5. in proem.

Baſnag. ann. 177. 3.

Quid ab Imperatore petat Melito.

Euſeb. lib. 4. 26.

2. Atque inprimis de ſæviſſima perſecutione, quam Chriſtiani, novis per Aſiam vulgatis edictis, patiebantur, conqueritur; horum quippe occaſione impudentiſſimi delatores, & alienarum opum cupidi, palam diu noctuque graſſabantur: *Quod ſi hæc*, inquit, *tuo juſſu fiunt, recte atque ordine facta ſunto; neque enim fieri poteſt, ut juſtus Princeps aliquid unquam injuſte conſtituat: & nos libenti animo ejuſmodi mortis præmium ferimus*. Unum tamen ſe poſtulare ait, ut Chriſtianos ipſe examinandos ſuſciperet, facturus quidquid pro ſua æquitate ſtatueret, utrum ſupplicio, & morte affici, an ſalvi, & ſecuri degere mererentur. Præterea de chriſtianæ Religionis origine, & præſtantia poſt plurima adnotat, eam ſub Principatu Auguſti,

guſti, fauſto proſperoque omine prodiiſſe, ex quo tempore maxima Rom. Imperium incrementa acceperat. Quapropter eidem, ejuſque filio illud auſpicabatur, ſi ſectam illam, quæ cum Imperio educata, & cum Auguſto ſimul inchoata eſt, tueri voluiſſet. Religionem vero ipſam bono publico una cum Imperio adoleviſſe, inde confirmat, quod a Principatu Auguſti Nero, ac Domitianus tantum, malevolorum quorundam conſiliis inducti, eam criminari ſtuduerint, a quibus deinceps falſa illa adverſus Chriſtianos calumnia manavit ad poſteros, ut mos eſt vulgi abſque ullo judicio hujuſmodi rumoribus fidem adhibentis. Horum tamen imperitiam Parentes ejus, prædeceſſoreſque frequentibus correxerant reſcriptis, eos objurgantes, qui adverſus hujuſmodi religionis homines novi aliquid moliti eſſent. Atque inter eos Hadrianum recenſet; qui Fundano Aſiæ Proconſuli litteras ea de cauſa dederat: Antoninum deinde, qui ad civitates ſcripſerat, ne tumultus in eoſdem excitarent, & nominatim ad Lariſſæos, ad Theſſalonicenſes, ad Athenienſes, ad univerſos denique Græcos. Quare Marcum Aurelium rogat, ut eadem cum ipſis ſentiat. JESU CHR. AN. 171.

3. Hæc, aliaque ex Melitonis Apologetico Euſebius, qui catalogum texens ejuſdem auctoris operum, inter præcipua hæc ſubjicit, nimirum duos de Paſcha libros, de Prophetis, ac recta vivendi ratione unum, alium de Eccleſia, de die Dominico alterum, tres etiam de hominis natura, de formatione, ac de obedientia Fidei præſtanda: præterea librum de Anima, Corpore, & mente, alioſque de lavacro, de veritate, de Conditu, & generatione Chriſti: item de Prophetia, de Hoſpitalitate, de Corporali Deo, de Diabolo, & Revelatione Joannis, alium quoque, qui Clavis inſcribitur, omniumque poſtremum ad Antoninum Imperatorem Libellum, ſeu Apologeticum. Quo tempore de Paſcha librum Melito ediderit, his verbis idem deſignat: *Servilio Paulo ... Aſiæ Proconſule, quo tempore Sagaris martyrium perpeſſus eſt, magna controverſia Laodiceæ excitata eſt de ſolemnitate Paſchali, quæ tempeſtive in illos dies inciderat: quibus etiam diebus hæc a nobis perſcripta ſunt*. Ejuſdem Operis Clemens Alexandrinus in ſuo de Paſcha mentionem facit: immo ad illud conſcribendum ex Melitonis libro impulſum ſe fuiſſe teſtatur.

De aliis Melitonis ſcriptis, & epiſtola ad Oneſimum. *Euſeb. lib. 4. 16.*

4. Ex Melitonis epiſtola ad Oneſimum, ab Euſebio ad verbum relata, luculenter apparet, eum omni diligentia curaſſe,

Catalogus ſacrorum librorum a Melitone editus. *Euſeb. d. cap. 26.*

Tom. III. N

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 171.

raſſe, ut Veteris Teſtamenti libros colligeret. In Orientem ſiquidem profectus, ubi olim omnia & prædicata, & geſta fuerant, librorum Veteris Teſtamenti catalogum ordine exaravit, ex quibus etiam excerpta quædam in ſex Libros ab ipſomet diſtributa Oneſimo miſit: ejuſmodi autem catalogus idem fere paucis demtis eſt, ac is, quo nunc utimur, ut apud Euſebium videre eſt. Liber tamen de Virginis tranſitu eidem adſcriptus, utpote Euſebio, & Hieronymo ignotus, apocryphus habendus eſt. Melitonis ingenium his verbis laudat Hieronymus: *Hujus elegans, & declamatorium ingenium Tertullianus in ſeptem libris, quos ſcripſit adverſus Eccleſiam pro Montano, cavillatur dicens, eum a pleriſque noſtrorum Prophetam putari*. Ejuſdem meminit non ſine elogio Polycrates in epiſtola ad Victorem, ubi ſanctos recenſet viros, martyrio, aut doctrina illuſtres, qui decima quarta luna Paſcha celebrarunt: *Quid Sagarim*, inquit, *Epiſcopum eumdemque martyrem, qui Laodiceæ eſt mortuus? Quid Beatum Papyrium? Quid Melitonem Eunuchum* (ideſt qui in caſtitate perſeveravit, juxta illud Evangelii: *ſunt Eunuchi, qui ſe caſtraverunt propter Regnum Dei*)? *Quid Melitonem, qui Spiritu Sancto afflatus cuncta geſſit; qui & Sardibus ſitus eſt, adventum Domini de Cælis, in quo reſurrecturus eſt, expectans?*

Hier. de Vir. ill. 24.

Euſeb. lib. 5. 24.

De Apollinari Hierapolitano Epiſcopo, ejuſque operibus.

Euſeb. lib. 4. 27. *Hier. de Vir. illuſt. cap.* 26. *Du-Pin. to.* 1. *pag.* 150. *Tillem. to.* 2. *pag.* 453. *Baron. ann.* 173. *num.* 9. *Bolland. die* 7. *Febr.* *Euſeb. lib.* 5. *cap.* 16. 17. *lib.* 4. 27.

5. Melitoni Sardenſi Apollinaris Hierapolitanus in Phrygia Epiſcopus coævus fuit, idemque pietate, ac doctrina illuſtris, quem plurimos edidiſſe libros, narrat Euſebius, ideſt Apologeticum pro fide chriſtiana ad M. Aurelium, adverſus Gentiles libros quinque, de veritate duos, duos item adverſus Judæos, alios demum contra Cataphrygum hœreſim, quæ quidem tunc primum in publicum prodire cæperat. Eumdem catalogum exhibet Hieronymus, ſed libros duos adverſus Judæos præteriit, qui etiam in aliquot Euſebii Codicibus deſunt: unde probabile eſt, & in Euſebii Codice, quo uſus eſt Hieronymus, eoſdem fuiſſe deſideratos. Hodie tamen ex illius Scriptis ſolus remanet Catalogus. Nonnulli quidem ex recentioribus fragmentum, quod Euſebius capite 16. libri quinti ſuæ Hiſtoriæ inſeruit ex opere contra Cataphrygas Avircio Marcello dicato, Claudio Apollinari tribuunt; at cum Euſebius ejuſdem Operis auctorem ſilentio prætermittat, etſi eodem capite Apollinaris meminerit, nos in incerto rem relinquimus. Serapio etiam Antiochenus Epiſcopus non ſine laude, eodem Euſebio teſte, celeberrimi hujus Scri-

Scriptoris mentionem facit in epiſtola ad Caricum, & Ponticum, dicens: *Atque ut ſciatis, qualiter univerſa, quæ in terris eſt fraternitas, operationem illam ſimulatæ factionis, quæ nova prophetia nominatur, averſata, atque abominata eſt, Beatiſſimi Patris Claudii Appollinaris, qui Hierapolitanæ Urbis in Aſia Epiſcopus fuit, litteras ad vos miſi.* Jesu Chr. an. 171.

6. Alii etiam pietate, & doctrina inſignes viri ea ætate floruerunt, inter quos Philippus, & Modeſtus, de quibus Euſebius: *Sed & Philippus, quem ex verbis Dionyſii proxime citatis Gortynenſis Eccleſiæ Epiſcopum fuiſſe cognovimus, ipſe quoque luculentiſſimum librum adverſus Marcionem compoſuit Ireneus, quin etiam & Modeſtus. Verum hic præ ceteris egregie errores illius, ac dolos detegens, omnibus ſpectandos exhibuit. Scripſerunt etiam alii complures, quorum libri apud plurimos ex fratribus adhuc ſtudioſe ſervantur.* Et capite 28. de Muſano, ejuſque ſcriptis ait: *Sed & Muſani elegantiſſimus quidam extat liber ad quoſdam fratres, qui ad Encratitarum hæreſim deſciverant.* Et capite 23. de Dionyſii agens Scriptis, Palmam etiam Amaſtrianorum Epiſcopum, in ſacræ Scripturæ expoſitione percelebrem fuiſſe commemorat: huic Pynitum Gnoſſiorum Epiſcopum addit, quem Dionyſius monuerat, *ne grave onus caſtitatis fratrum cervicibus tanquam neceſſarium imponat, ſed ejus, quæ in pleriſque hominibus ineſt, infirmitatis rationem habeat.* Cui reſpondens poſtea Pynitus, difertam miſit epiſtolam, quæ quidem, *& rectam Pyniti fidem, & ſollicitudinem de profectu plebis ſibi commiſſæ, eloquentiam quoque, & peritiam rerum divinarum, velut tabella quadam picta, egregie commonſtrat.* Pyniti, aliorumque meminit cum laude Hieronymus; de quibus cetera videri poſſunt apud Auctores de ſcriptoribus Eccleſiaſticis tractantes. Quis vero hic non mirabitur, exclamat Baronius, divinam ergà Eccleſiam providentiam? Siquidem eodemmet tempore, quo hæreſes ex diverſis Philoſophorum ſcholis erumpentes undique invaleſcebant, viros dedit ſanctitate inſignes, omnique diſciplinarum genere excultiſſimos, qui non hæreticorum modo fruſtrarentur conatus, ſed & eruditiſſimis commentariis Gentilium etiam in Chriſtianos oblatrantium audaciam infringerent, atque coercerent.

De aliis Eccleſiaſticis Scriptoribus. *Euſeb. 4. 24.*

Hier. de Vir. illuſt. cap. 28. 30. 31. 32. Du-Pin. to. 1. Biblioth. Odin. de Script. Eccleſ. Caveus hiſt. litt. Bar. an. 172. 9.

JESU CHR. AN. 172.

JESU CHRISTI AN. 172. SOTERIS PAPÆ 5.
M. AURELII IMPERATORIS 12.
COSS. MAXIMO, ET ORPHITO,
OLYMPIAD. 237. AN. 4. URBIS AN. 925.

De Montano, ejuſque hæreſi.

Euſeb. Chron. inter op. Hier. tom. 8.

1. Anno duodecimo M. Aurelii Imperatoris de Montaniſtarum initiis hæc adnotat Euſebius in Chronico: *Pſeudo-Prophetia, quæ Cataphrygas nominatur, accepit exordium, auctore Montano, Priſcilla, Maximillaque inſanis vatibus*. Superbia namque inflatus Montanus, & malo arreptus ſpiritu, prophetam agere præſumpſit, ac duabus mulieribus eadem phreneſi laborantibus in ſocietatem adductis, in admirationem ſui plurimos pertraxit, magnaque in exiſtimatione fuit: *Montanus*, ait Hieronyms, *immundi ſpiritus prædicator, multas Eccleſias per Priſcam*, (alii Priſcillam), *& Maximillam, nobiles & opulentas mulieres, primum corrupit, deinde hæreſi polluit*. Hæc de Montano Hieronymus, qui alibi eumdem abſciſſum, & ſemivirum vocat, ideſt Eunuchum. Iſidorus tamen Peluſiota eum adulteriis pollutum dicit: *Qui nihil grave, ut ipſi contendunt, admiſerit; at revera in adulterio perſpicue deprehenſus ſit*. De ejuſdem ſcholæ origine, atque progreſſu Anonymum, coævumque Scriptorem audire præſtat, ex quo plurima hiſtoriæ ſuæ inſeruit Euſebius, ſive Apollinaris Hierapolitanus Epiſcopus is fuerit, ſive alius, ut ſuperius innuimus. De eo tamen prænotandum occurrit, quod cum Ancyranam Eccleſiam novis videret prophetiis jactari atque turbari, multiſque diebus contra Cataphrygas diſputans, eorum hæreſim confutaſſet, ac plurimos, ut errores ejurarent, induxiſſet; ad ſua demum reverſus, & ab ejuſdem Eccleſiæ Presbyteris rogatus, diſputationem Ancyræ habitam ſcripto vulgavit. In ea itaque de Montano narrat, eum, Myſiæ dum eſſet in vico Ardaba nomine, primi loci cupiditate captum in ſe aditum Diabolo præbuiſſe, moxque eodem repletum quodam furore, ac mentis exceſſu concuti cæpiſſe, & nova quædam, atque inaudita proloqui. Nonnulli vero, qui eo tunc adulterinos hominis ſermones audierant, præter inſtitutum a majoribus traditum futura prædicentis, furioſum, & Dæmoniacum exiſtimarunt, ſimulque ob turbas in populo excitatas objurgatum ulterius loqui prohibuerunt. Alii autem ejuſdem fraudibus decepti, tamquam ſi a divi-

Hier. epiſt. 133. ad Creſiph. id. epiſt. 41. ad Marcellam.

Iſid. lib. 1. epiſt. 243.

Bar. an. 171. num. 3.

Digitized by Google

divino Spiritu edoctus Prophetiæ dono illuceſceret, ultro ad loquendum provocabant. Quare cum iis admirationi eſſet, ipſorum mentes a vera Fide paulatim alienavit, inter quos perpauci Phryges fuerunt. Duas præterea mulierculas, nefandæ libidini inſervientes, excitavit, quæ eodem repletæ ſpiritu inſana quædam, ac perverſa evomerent. Ille vero auditores ſuos beatos modo prædicabat, promiſſorumque magnitudine inflabat: interdum etiam conjecturis, & fide dignis argumentis palam eos, qui in peccata prolapſi erant, condemnabat, ut objurgatorius Spiritus videretur.

Montani, & Sociorum fraudes. *Euſeb. lib. 5. 14.*

2. Pietatis larva, ac ovina pelle indutum Montanum, temporis progreſſu, quamplurimos in errorem traxiſſe, auctor eſt Euſebius. Cum etenim Prophetiæ dono ſe pollere jactaret, eo facilius incautos ad ſuas partes traxit, quod ea ætate multa adhuc divinæ gratiæ miracula in pluribus Eccleſiis fieri ſolerent. Quanta vero temeritate ſuas fabulas Montanus venditaret, quibuſve fraudibus ad decipiendum uteretur, non ſolum ex Anonymo Scriptore, ſed & ex Apollonio, qui per id temporis floruerat, Euſebius refert, ubi Sycophantam pluribus argumentis ex ejuſdem operibus redarguit. Inter cetera ſiquidem novus hic ſanctimoniæ Magiſter, dum nuptiarum diſſidia docebat, ac jejuniorum leges imponebat, Pepuzam & Tymium Phrygiæ oppidula Hieruſalem nominabat, ut eo homines undique convocaret, atque in omni voluptatum cæno exerceret: pecuniarum quoque exactiones oblationum nomine callide collectas indixit. *Cum igitur videam*, inquit Apollonius, *prophetiſſam aurum, & argentum, veſteſque pretioſas accepiſſe, quomodo eam non repudiabo?* De iis etiam agens, qui falſo inter Confeſſores adſcribebantur, Themiſonem quemdam commemorat, qui ſpecioſa avaritia obvelatus, ac tamquam Martyr ſe ſe efferens, etſi, nullo perlato confeſſionis ſigno, ſed magna pecuniæ vi erogata, e vinculis aufugiſſet, auſus fuerat Apoſtoli exemplo, conſcripta epiſtola Catholica, eos, qui fideliores ipſo extiterant, inſtituere, novæ doctrinæ patrocinari, ac poſtremo in Dominum, in Apoſtolos, & in Eccleſiam impia proferre. Alium quoque meminit inter Martyres ab eiſdem relatum, Alexandrum nomine, moribus ſceleſtiſſimum, qui cum altera ex Prophetiſſis continuo convivebat, amboque viciſſim delicta ſibi condonabant; propheta ſcilicet Martyri latrocinia, martyr vero prophetæ avaritiam. *Quod ſi hac in parte confidunt inno-*

Euſeb. lib. 5. 18.

Euſeb. ibid.

JESU CHR. AN.172. *innocentiæ ſuæ*, eoſdem provocat Apollonius, *ſiſtant, & de his nobiſcum diſceptent: ut, ſi quidem convicti fuerint, ſaltem in poſterum delinquere deſinant. Actus enim prophetæ, tamquam fructus examinandi ſunt. Ex fructibus quippe arbor cognoſcitur*. Et quidem non ſolum a divitibus, ſed etiam a mendicis, pupillis, & viduis pecunias corrogabant.

Alexandri Apoſtatæ ſcelera.

3. De ementito autem martyre ex eodem Apollonio ſcimus, eum Epheſi ab Æmilio Frontino Aſiæ Proconſule, non ob nomen Chriſti, ſed ob notiſſima, quæ perpetraverat, latrocinia, cum jam deſertor fidei eſſet, judicatum fuiſſe. Quem licet Epheſii ejus fraudibus decepti, tamquam fidei Confeſſorem, pretio redimentes, ut liber dimitteretur, impetraſſent; Eccleſia tamen illius loci, unde erat oriundus, cum ejus latrocinia non ignoraret, quippe quæ in publico Præſidis tabulario continerentur, in ſuam communionem recipere recuſavit. De aliis etiam ejuſdem generis Prophetis, qui non ſolum munera accipiebant, & rapinas exercebant, ſed & delicate ſumptuoſeque vivebant, hæc tandem ſubdit: *Dic mihi, tingit ne capillos propheta? an ſtibio oculos linit? an ſtudet ornari? propheta ne tabula ludit, & teſſeris? an pæcuniam locat fæneri? ingenue fateantur, ac reſpondeant, utrum hæc agere liceat, an ſecus. Ego vero hæc apud ipſos acta eſſe convincam*. Hæc autem Apollonius quadrageſimum poſt annum, ex quo Montanus adulterinam prophetiam commentus fuerat, ſe ſcripſiſſe teſtatur, additque Zoticum quemdam, cum Maximilla Pepuzis ſe prophetare ſimularet, ſuperveniſſe, ac Dæmonem, quo illa agitabatur, coarguere inſtituiſſe; ab aliis tamen, qui idem cum illa ſentiebant, prohibitum fuiſſe.

De Montani, Priſcillæ, & Maximillæ obitu. *Euſeb. lib.5. 17.*

4. Ex Anonymo etiam Scriptore, qui Miltiadis ſcripta adverſus Cataphrygas ipſos in compendium redegerat, idem refert Euſebius, falſas inde probari Montani, aut Priſcillæ, ſive Maximillæ prophetias, quod in extaſi, & mente alienati prophetarent: tum etiam quia nullus præter ipſos ejus ſectæ Propheta fuerit, *tametſi jam quartus decimus hic agatur annus ab obitu Maximillæ*; cum econtra prophetiæ donum perpetuo in

Lib.5.cap.16. Eccleſia futurum fore Apoſtolus promiſiſſet. De ultimo eorumdem fato ex altero ſcriptore addit, falſo Cataphrygas adverſus Catholicos conqueri, quaſi Prophetarum iuterfectores fuerint, cum eorum nemo, ex quo Montanus, aut muliercula garrire cæperunt, perſecutionem paſſus eſſet, vel pro Chriſti

ſti nomine comprehenſus in crucem fuiſſet actus, flagris cæſus, lapidibusve impetitus. *Immo longe alio mortis genere interiiſſe dicuntur Montanus, & Maximilla. Ambo enim, ut fama eſt, ab inſano ſpiritu incitati, laqueo ſibi gulam fregerunt; non quidem ſimul, ſed ſuæ quiſque mortis tempore: atque ita inſtar proditoris Judæ vitam finierunt.* Quod Apollonii auctoritate Hieronymus confirmat: *Apollonius vir diſertiſſimus, ſcripſit adverſus Montanum, Priſcillam, & Maximillam, inſigne & longum volumen, in quo aſſerit Montanum, & inſanas vates periiſſe ſuſpendio.* De Theodoto etiam inter Montaniſtas celeberrimo ſupracitatus Anonymus apud Euſebium narrat, quod cum falſo mentis exceſſu abriperetur, perinde ac ſi levaretur, & aſſumeretur in Cœlum, ſeque totum fraudulentiſſimo ſpiritui permiſiſſet, ab eo in altum jactatus miſerabili exitu perierit. Fama tamen hæc ſe audiviſſe ait, de quibus litem, ſubdit, nemini ſe movere velle, ſi aliter fortaſſe rem accidiſſe conſtaret. Vitam diu retinuiſſe Montanum, & Maximillam, ex Apollonio ſcimus, qui eoſdem uti viventes interrogat. Maximillam præcipue, quam quadraginta poſt annos ab ortu Montaniſticæ ſectæ, una cum Alexandro ſuperſtites fuiſſe tradit.

JESU CHR. AN. 172.

De viris illuſt. cap. 40.

5. Primus Montaniſtarum error, ex quo ceteri, tanquam ex fonte, prodierunt, is erat, Montanum nempe fuiſſe Paracletum, & Spiritum Veritatis, quem ſe daturum Apoſtolis Chriſtus promiſerat, quo nomine a Tertulliano ſæpe inſignitur. Hæc tamen non eo ſenſu accipienda ſunt, ut crederent, Spiritum Sanctum humanam in Montano aſſumpſiſſe naturam, aut Montanum Deum, non hominem exiſtimarent; ſed ipſum Paracleti titulo exornabant, quaſi perfectiori modo, quam in Apoſtolos, Spiritus Sanctus in eum deſcendiſſet, majorique chariſmatum abundantia cumulaſſet. De Trinitatis myſterio cum Catholicis conveniſſe, teſtis eſt Tertullianus, & cum eo Philaſtrius, ac Theodoretus. *Hi*, ideſt Catholici, ajebat Tertullianus, *Paracleto controverſiam faciunt, propter hoc novæ prophetiæ recuſantur, non quod alium Deum prædicent Montanus, & Priſcilla, & Maximilla .... ſed quod plane doceant ſæpius jejunare, quam nubere.* Ex ea itaque Spiritus Sancti plenitudine, quam Montanum habuiſſe ſomniabant, novas in Eccleſia condendi leges, & perfectiora jubendi, jus ſibi arrogabant; ac ſecundas nuptias, uti fornicationem, exhorreſce-

De Montaniſtarum erroribus.

Tertull. de fuga in perſeq. de Jejun. cap. 1.

Qua ratione Montanus Paracletus diceretur.

Tertull. de Jejun. cap. 1. Philaſtr. hær. 50. Theod. hær. fab. lib. 3.

JESU CHR. AN. 172. ſcebant: unde Tertullianus Paracletum una cum novis prophetiis averſatos fuiſſe Catholicos ajebat, non quod alium Deum prædicarent, ſed quod docerent, *ſæpius jejunare, quam nubere*; ter quippe in anno jejunium indicebant, cum ſemel in vita nubere permitterent. *In tantum putabant ſcelerata conjugia iterata*, ait Hieronymus, *ut quicumque hoc fecerit, adulter habeatur*. Nuptis etiam ſeceſſionem a maritis, contra Apoſtoli ſententiam, facere docebant, ut primæ Montani Prophetiſſæ, Priſcilla, & Maximilla, teſte Apollonio apud Euſebium, fecerant. Eadem auctoritate & nova jejunia præſcribebant: *Nos*, inquit Hieronymus, *unam quadrageſimam, ſecundum traditionem Apoſtolorum toto anni tempore nobis congruo jejunamus, illi tres in anno faciunt quadrageſimas, quaſi tres paſſi ſint Salvatores*. Cujus obſervantiæ & aliam prætexebant cauſam, ex inſtantibus ſcilicet Mundo calamitatibus: *Spiritus Sanctus, cum in quibus vellet terris, & per quos vellet, prædicaret, ex providentia imminentium, ſive Eccleſiaſticarum tentationum, ſive mundialium plagarum, qua Paracletus, ideſt advocatus, ad exorandum Judicem, hujuſmodi officiorum remedia mandabat, puta nunc ad exercendam ſobrietatis, & abſtinentiæ diſciplinam, hunc qui recipimus, neceſſario etiam, quæ tunc conſtituit, obſervamus*.

Hier. epiſt. 41.
Euſeb. lib. 5. 18.
Tertull. adver. Pſychicos cap. 3.

Quare Montaniſtarum jejunia reprobarentur.

6. Cur autem ea reprobarentur jejunia, hanc rationem idem reddit Hieronymus: *Non quod, & per totum annum, excepta Pentecoſte, jejunare non liceat, ſed quod aliud ſit neceſſitate, aliud voluntate munus offerre*. Quibus intelligi datur, repudiata ideo fuiſſe Montani jejunia, ne una cum eiſdem, & cetera ab ipſo inventa, novaſque prophetias probare videreuntur catholici. Hinc narrat Euſebius, quod cum in Galliis ob Montani hæreſim diffiderent Fideles, Alcibiades quidam, unus ſcilicet ex illorum Martyrum Lugdunenſium numero, qui durum, & ſquallidum vivendi genus ſectabatur, nullum omnino cibum admittens, ſolo pane, & aqua veſci conſueverat: quam victus conſuetudinem cum in carcere poſitus retinere vellet, Attalo poſt primam confeſſionem revelatum eſt, non recte facere Alcibiadem, qui & creaturis Dei minime uteretur, & aliis ſcandalo eſſet; quare acriter admonitus ab ea ciborum abſtinentia in poſterum ſe abſtinuit, ac promiſcue cibis uti cœpit. Hac itaque ceſſante cauſa, Fidelium cuilibet liberum fuit omni tempore jejunare; ſed *aliud*, inquit Hieronymus, *neceſ-*

Hier. ſupra.
Euſeb. lib. 5. 3.

Digitized by Google

neceſſitate, aliud voluntate munus offerre. Quæ vero catholicorum eſſet de jejuniis ſententia, vel ipſe Tertullianus Montaniſta docet: *Illos dies jejuniis determinatos putant, in quibus ablatus eſt Sponſus, & hoc eſſe jam ſolos legitimos jejuniorum Chriſtianorum... De cetero differenter jejunandum pro arbitrio, non ex imperio novæ diſciplinæ, pro temporibus, & cauſis uniuſcujuſque*.

JESU CHR. AN. 172.

Tertull. de jejun. cap. 2.

7. Ut auctoritatem ſchiſmati Montaniſtæ conciliarent, ad martyres ſuos confugere conati ſunt, *aſſerentes*, ait anonymus Scriptor apud Euſebium, *multos ſe martyres habere, idque potentiæ prophetici illius, qui apud ipſos eſt, ſpiritus certiſſimum eſſe documentum*. Sed ipſorum jactantiam refellens Apollonius, quinam eſſent hujuſmodi Martyres, ac Prophetæ, pluribus demonſtrat, noſque ſuperius expoſuimus. Quo autem in pretio eorumdem revelationes, vel chariſmatum dona habenda eſſent, ex ipſo Tertulliano, qui ea vel maxime admirabatur, totiſque viribus tuebatur, dignoſci poteſt: *Eſt hodie Soror apud nos*, inquit, *revelationum chariſmata ſortita, quas in Eccleſia inter Dominica ſolemnia per extaſim in ſpiritu patitur, converſatur cum Angelis, aliquando etiam cum Domino, & videt, & audit ſacramenta, & quorumdam corda dignoſcit, & medicinas deſiderantibus ſubmittit*. Et poſt aliqua: *Forte neſcio quid de anima diſſerueramus, cum ea ſoror in ſpiritu eſſet. Poſt tranſacta ſolemnia, dimiſſa plebe, quo uſu ſolet nobis renunciare, quæ viderit (nam & diligentiſſime digeruntur ut etiam probentur), inter cetera inquit, oſtenſa eſt mihi anima corporaliter, & ſpiritus videbatur, ſed non inanis, & vacuæ qualitatis; immo quæ etiam teneri repromitteret, tenera, & lucida, & aerii coloris, & forma per omnia humana, hæc eſt viſio. Deus teſtis, & Apoſtolus chariſmatum in Eccleſia futurorum idoneus ſponſor*. Hucuſque infelix Tertullianus, qui licet eruditiſſimus, ac prudentiſſimus videretur, hiſce tamen muliercularum commentis deliriiſque eo uſque ſeductus eſt, ut etiam contra Eccleſiæ fidem animam corpoream eſſe crederet.

Vana Montaniſtarum præſumptio.

Euſeb. lib. 5. 16., & c. 18.

Tertull. de anima cap. 9.

Quæ eſſent Montaniſtarum revelationes.

8. Eoſdem etiam Hierarchicum Eccleſiæ ordinem funditus evertiſſe, auctor eſt Hieronymus: *Apud nos Apoſtolorum locum Epiſcopi tenent, apud eos Epiſcopus tertius eſt. Habent enim primos de Pepuza Phrygiæ Patriarchas, ſecundo quos appellant Cenones; atque ita in tertium, id eſt, pene ultimum locum Epiſcopi devolvuntur: quaſi exinde ambitioſior religio fiat*,

Alii Montaniſtarum errores circa Hierarchiam.

Hier. epiſt. 41. ad Marcellam.

fiat, ſi quod apud nos primum eſt, apud illos noviſſimum ſit. Illi ad omne pene delictum Eccleſiæ obſerant fores: deinde: *rigidi autem ſunt, non quo & ipſi pejora non peccent: ſed hoc inter nos, & iſtos intereſt, quod illi erubeſcunt confiteri peccata quaſi juſti: nos dum pœnitentiam agimus, facilius veniam promeremus. Prætermitto ſcelerata myſteria, quæ dicuntur de lactente puero, & de victuro martyre confarrata. Malo, inquam, non credere, ſit falſum omne, quod ſanguinis eſt*: quod ſcilicet Quintiliani, ſeu Pepuziani, Montaniſtarum germina, Epiphanio teſte, infantem in feſtivitate quadam per totum corpus æreis aciculis compungentes, ipſius ſanguinem ad apparatum ſacrificii ſibi compararent. De eorum quoque myſteriis Paſchatis feſto fieri ſolitis eadem tradunt Philaſtrius, & Auguſtinus; verum Theodoretus ſubdit: *De myſteriis autem nonnulla quidam jactitant, ſed illi non fatentur, & ſui accuſationem calumniam appellant*. Nec dubitamus hæc Montaniſtis falſo fuiſſe attributa, cum antiquorum nemo ejuſmodi ſcelus iiſdem exprobraverit. Num vero, qui ex eo prodierunt hæretici, talia factitarint, in incerto relinquimus: quos quidem ea infamia laboraſſe indubium eſt; etſi quæ de ipſis ſcribuntur, diverſa ſint ab iis, quæ de Gnoſticis narrantur, de quibus S. Auguſtinus: *Poſt ſanguinem e puncturis infantis emunctum, ſi ille ex eo mortuus fuerit, apud illos celebrari pro Martyre: ſi autem vixerit, pro magno Sacerdote*.

Epiph. hæreſ. 48.

Nefanda eorum myſteria

Philaſt. de hæreſib. c. 50.

Auguſt. de hæreſ. cap. 24.

Theodor. hæret. fab. lib. 3.

Auguſt. de hæreſ. cap. 24.

In diverſas Sectas Montaniſtæ ſcinduntur.

9. Quod uſu hæreticis venire ſolet, & Montaniſtis accidit. Cum enim in incerto ambularent, nec in propoſito ullatenus conſiſtere poſſent, inconſtantia nutantes, in deterius prolapſi ſunt. Hinc etſi Montanus, Tertulliano teſte, Trinitatis myſterium incorruptum ſervaſſet, ejus poſtmodum diſcipuli violarunt; quare Hieronymus: *Nos Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum in ſua unumquemque Perſona ponimus, licet ſubſtantia copulemus: Illi Sabelli dogma ſectantes Trinitatem in unius perſonæ anguſtias cogunt*; quæ de Montani diſcipulis intelligenda eſſe pluribus proſequitur auctor Tertulliano additus ad librum de Præſcriptionibus, quo hæc habentur: *Acceſſerunt alii hæretici, qui dicuntur ſecundum Phrygas, ſed horum non una doctrina eſt, ſunt enim qui ſecundum Proclum dicuntur, ſunt qui ſecundum Eſchinem pronunciantur. Hi habent aliam communem blaſphemiam, aliam blaſphemiam non communem, ſed peculiarem, & ſuam; & communem quidem*

Hier. epiſt. 41.

illam, qua in Apoſtolis quidem dicunt Spiritum Sanctum fuiſſe, Paracletum non fuiſſe, & qua dicunt Paracletum plura in Montano dixiſſe, quam Chriſtum in Evangelio protuliſſe; nec tum plura, ſed etiam meliora, atque majora. Privatam autem blaſphemiam illi, qui ſunt ſecundum Eſchinem, hanc habent, qua adjiciunt etiam hoc, ut dicant Chriſtum ipſum eſſe Filium, & Patrem: hæc de differentia inter Montani diſcipulos Auctor anonymus. Quos etiam Taſcodrigitas, & Quintillianos a Quintilla, Priſcillianos a Priſcilla, Pepuzianos a Pepuza Phrygiæ vico, unde originem ea hœreſis habuit, dictos fuiſſe, pluribus innuit Epiphanius; qui & addit ad ſua uſque tempora in Phrygia, Cappadocia, Galatia, & Cilicia eos hæreticos perduraſſe. De Ancyra Galatiæ urbe hæc Hieronymus tradit: *Scit mecum qui vidit Ancyram Galatiæ civitatem, quod nunc uſque ſchiſmatibus dilacerata ſit, quod dogmatum varietatibus conſtuprata. Omitto Cataphrygas &c.* Quo tempore cum iiſdem inſanire cœperit Tertullianus, inferius ſuo loco dicturi ſumus.

Epiph. hær. 48. 49. 50.

Hier. præf. in epiſt. ad Galatas.

10. Ipſo autem Montaniſtarum hæreſis exordio, a ſanctis doctiſque viris confutatam fuiſſe, ex anonymo Scriptore refert Euſebius: *Sanctiſſimos Epiſcopos ſpiritum illum, qui in Maximilla reſidebat, confutare conatos quidem fuiſſe; ſed ab aliis, qui Spiritui favebant, prohibitos.* Atque ex Aſterii Urbani libro Maximillæ in Catholicos querelas recitat, quod tamquam lupus ab ovibus arceretur; ibique inter eos, qui ejuſdem impoſturis adverſati ſunt, viros non ſolum probos, ſed & epiſcopali dignitate præditos recenſet, *Zoticum* ſcilicet *Comanenſem, & Julianum Apamenum. Quibus Themiſon, aliique os obturantes, mendacem illum, & vulgi ſeductorem Spiritum ab illis coargui vetuerunt.* Tum ex eodem libro falſas eorum prophetias ex eo etiam manifeſte coarguit, quod bella & tumultus imminere Maximilla prædixiſſet, quæ minime acciderant: immo Chriſtiani, præcipua quadam Dei miſericordia, firma ſtabilique pace fruebantur. In tertio vero libro Montaniſtarum temeritatem caſtigat, qua vi & potentia prophetici ſpiritus, qui apud ipſos erat, plurimos ex ſuis martyrio coronatos fuiſſe jactabant; eoſque fruſtra in ipſis gloriari facile idem Auctor probat, quod & aliarum hæreſeon ſectatores, cujuſmodi erant Marcionitæ, plurimos ſe habere martyres prædicarent, quos Catholici adeo averſabantur, ut,

Sancti Viri Montani hæreſim impugnant.

Euſeb. lib. 5. cap. 16.

Jesu Chr. An. 172.

quoties Eccleſiæ Viri ad martyrium pro vera fide ſubeundum vocati, una cum quibuſdam de Phrygum hæreſi, qui Martyres dicebantur, caſu quodam convenerunt, ſemper ab illis diſſenſerint, eorumque communionem ſollicite vitantes, glorioſum martyrii exitum fuerint conſecuti; quippe qui Montani, & mulierculàrum Spiritui aſſenſum accommodare nefas ducerent. *Atque id verum eſſe conſtat ex iis, quæ noſtra ætate in urbe Apamea, quæ ad Mæandrum ſita eſt, geſta ſunt a Cajo, & Alexandro Martyribus, oriundis Eumenia*. Hactenus ex Anonymo ſcriptore Euſebius.

Concilia hæreſim Montani damnant. Euſeb. lib. 5. 19.

11. Non privato tantum clariſſimorum Virorum judicio Montaniſtarum hæreſim damnatam eſſe, ſed & Epiſcoporum auctoritate, ex eodem ſcriptore conſtat. Illi enim, qui in Aſia erant, cum ſæpius, & in plurima loca conveniſſent, novamque doctrinam examinaſſent, profanam prorſus, atque impiam judicarunt, eamque ſectantes, vel approbantes Eccleſiæ communione prohibuerunt. Anonymo conſonat Serapion Antiochenæ Eccleſiæ poſt Maximinum Epiſcopus in epiſtola ad Caricum, & Ponticum, qua habet: *Ut ſciatis qualiter univerſa quæ in terris eſt fraternitas, operationem illam ſimulatæ factionis, quæ nova prophetia nominatur, averſata, atque abominata eſt, Beatiſſimi Patris Claudii Apollinaris Hierapolitani Epiſcopi litteras ad vos miſi*: tum ſubdit Euſebius, in eadem Serapionis epiſtola additas fuiſſe variorum Epiſcoporum ſubſcriptiones, Aurelii ſcilicet, Ælii Publii Delveti Coloniæ Thraciæ Epiſcopi, aliorumque complurium idem cum illis ſentientium. Nec in Oriente ſolum, aut ab Aſiæ Epiſcopis eadem peſtis damnata fuit; ſed & per Græciam, habitis hac tempeſtate Synodis, ut teſtis eſt Tertullianus, cum jam ad Montaniſtas tranſiiſſet: *Aguntur per Græcias certis in locis concilia ex univerſis Eccleſiis; per quæ & altiora quædam in commune tractantur, & ipſa repræſentatio totius nominis Chriſtiani magna veneratione celebratur*. Inſuper in Galliarum Eccleſiis, cum eorum hominum cauſa, ideſt Montani Sociorumque, diſſenſio orta eſſet, *fratres, qui in Gallia erant*, ait Euſebius, *privatum de his judicium ſuum, religioſum in primis, & cum recta fide conſentiens, eidem epiſtolæ ſubjunxerunt* (epiſtolæ ſcilicet de Martyribus Viennenſis, & Lugdunenſis Eccleſiæ); nam addit: *prolatis interfectorum apud ſe Martyrum variis epiſtolis, quas illi, dum in vinculis eſſent,* par-

Eadem hæreſis in Græcia, & Galliis proſcripta. Tertull. de jejun. cap. 13.

Euſeb. lib. 5. 3.

partim ad fratres in Aſia, & Phrigia degentes, partim ad Eleutherium Romanæ Urbis Epiſcopum ſcripſerant pro pace Eccleſiarum, quaſi legatione fungentes. Hæc Euſebius de ſollicitudine Eccleſiarum Galliæ in Montaniſtarum ſchiſmate ſopiendo.

A Romanis Pontificibus damnati Montaniſtæ.

12. Quid autem contra Montaniſtas egerit Eleutherius Romanus Pontifex, quidve Soter ejus præceſſor, ſub quo exorti ſunt, in obſcuro eſt. Hoc tamen ſcimus, ipſos non ſolum a Victore Eleutherii ſucceſſore, ſed ab ejuſdem anteceſſoribus, Sotere ſcilicet, & Eleutherio, fuiſſe damnatos, ut Tertullianus ipſe jam Montaniſta teſtatur in libro adverſus Praxeam: *Iſte primus*, ideſt Praxeas, *ex Aſia hoc genus perverſitatis* (hæreſim nempe Patripaſſianorum) *intulit... Nam idem tunc Epiſcopum Romanum agnoſcentem jam prophetias Montani, Priſcæ, Maximillæ, & ex ea agnitione pacem Eccleſiis Aſiæ, & Phrygiæ inferentem, falſa de ipſis prophetis, & Eccleſiis eorum aſſeverando, & Prædeceſſorum ejus auctoritates defendendo, coegit, & litteras pacis revocare jam emiſſas, & a propoſito recipiendorum chariſmatum conceſſare. Ita duo negocia diaboli Praxeas Romæ procuravit, prophetiam expulit, & hæreſim intulit, Paracletum fugavit, & Patrem crucifixit.* Hæc Tertullianus, qui licet Pontificem, ſub quo hæc acciderunt, non nominet, ex tempore tamen, quo Praxeas Romam advenit, Victorem deſignat; cujus communionem ſurripere totis viribus cum Montaniſtæ conati eſſent, ac Victor communionis epiſtolas dediſſet, mox cognita ipſorum impietate, revocavit, a Praxea nempe tunc temporis catholico edoctus, quæ eſſent illius ſectæ, qui errores, quive mores, quos antea Soter, & Eleutherius Romani Pontifices, ac reliqui Aſiæ, & Phrygiæ, aliarumque Gentium Epiſcopi damnaverant. *Nec magnum quid eſt*, ait Baronius, *falſis aſſertionibus ſubreptum pacificis litteris communicationem dare Romanum Pontificem, quod & alias ſæpe accidit.* Cum itaque Victor, Tertulliano teſte, ne Prædeceſſoribus ſuis adverſaretur, Montaniſtas ab Eccleſiæ communione rejecerit, manifeſtum eſt, eoſdem a Sotere, & Eleutherio parem ſententiam ſubiiſſe: unde ab Apoſtolica Sede abſciſſi, ubique in poſterum abſtenti ſunt. Præterea ſi antiquo Scriptori, quem ſub Prædeſtinati nomine Sirmondus edidit, ſua ſtat fides, non ſolum Apoſtolica ſenteutia Soter

Tertull. adverſ. Prax. cap. 1.

Baron. an. 173. 4. 5.

An Soter Pontifex contra Montaniſtas ſcripſerit.

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 172. *Coutan. pag.* 70.

Soter Montaniſtas confixit, ſed & ſcripto confutavit; nam de Cataphrygibus agens cap. 26. inquit: *Scripſit contra eos librum Soter Papa Urbis, & Apollonius Epheſiorum Antiſtes, contra quos ſcripſit Tertullianus presbyter Carthaginenſis*; & iterum cap. 86. *Tertullianiſtas olim a Sotere Papa Romano damnatos*. At cum neque Euſebius, aut Hieronymus de opere a Sotere Papa contra Montaniſtas ſcripto mentionem habeant; quæ de Sotere ibidem narrat obſcurus auctor, ut dubia ſaltem ab Eruditis habentur.

M. Aurelii adverſus Barbaros victoriæ.

Dio lib. 71. Capitolin. in Marc. cap. 21. 22.

13. M. Aurelii adverſus Marcomannos geſta certo alligari anno non poſſunt. Eum primo impetu Marcomannos, Quados, Suevos, Sarmatas, aliaſque Gentes in ipſo Danubii tractu deleviſſe, prædamque, quam provincialibus abſtulerant, reſtituiſſe, narrant Dio, & Capitolinus. Jazigas deinde ad Rheni Ripas, ac in ipſo flumine, glacie concreto, fugaſſe, certum eſt: qua victoria relata, cum milites ſtipendium ſibi duplicari petiiſſent, ſe id facturum negavit, addens abſque Dei injuria id ſibi non licere, cum ex ſubditorum ſubſtantiis ſtipendia præſtarentur. In rebus autem agendis & ſagaciſſimus erat, & amicorum conſilia libentius ſequebatur, ſolitus dicere: *Æquius eſt, ut ego tot, & talium amicorum conſilium ſequar, quam, ut tot, & tales amici meam unius voluntatem ſequantur*. Nec militaribus ſolum vacabat negociis, ſed inter armorum ſtrepitus privatis jura reddebat. Cum Syrmii hoc tempore eſſet, patientiæ illuſtre edidit exemplum. Nam cum eum Herodes Atticus, vir conſulatu illuſtris, conveniſſet, ut cauſam ſuam cum Athenienſibus ageret; ubi etiam Athenienſium aderant legati, quibus favens Fauſtina Auguſta filiam trimulam docuerat, ut Patrem pro Athenienſibus deprecaretur; Atticus iracundia captus, Imperatorem palam arguit, quod mulierculæ, ejuſque trimulæ filiæ immodico raperetur amore. A Baſſea autem Ruſo Prætorii Præfecto admonitus, ne tanta temeritate vitam ſperneret; *Optime*, reſpondit Atticus, *Senex raro formidat*: quibus dictis a Prætorio ſe ſubduxit. Illatam tamen injuriam abſque animi perturbatione Imperator ſuſtinuit, & ad Demonſtratum Athenienſium Legatum converſus, *Cauſam*, inquit, *dicite Athenienſes, etſi Herodes non permittat*. Audita cauſa, ut vidit Athenienſes injuria ab Herode vexatos fuiſſe, in ejus potius libertos,

M. Aurelii in perferendis injuriis patientia.

Digitized by Google

tos, quam in ipſum noxam adſcripſit, quorum aliquos ſupplicio affecit. Cumque Herodes veniam precaturus poſtea Imperatori ſcripſiſſet, humaniſſimam M. Aurelius reſcripſit epiſtolam. Jesu Chr. an. 172.

JESU CHRISTI an. 173. Soteris Papæ 6.
M. Aurelii Imp. 13. Coss. M. Aurelio Severo II.,
Et Claudio Pompejano.
Olympiad. 238. an. 1. Urbis an. 926.

1. Nominis ſimilitudine Onuphrium, & Baronium hallucinatos eſſe, dum Pompejanum hujus anni Conſulem, cum altero Pompejano Marci Aurelii genero confuderunt, adnotavit Cardinalis Noriſius, & alii poſt eum; nam hic Pompejanus, M. Aurelii cognatus, anno 176. poſt Avidii Caſſii interitum Conſul fuit, ut ex Marci epiſtola ad Fauſtinam uxorem ſcimus: *Si ex mea ſententia de bello judicatum eſſet, nec Avidius eſſet occiſus*; deinde, *Pompejanum noſtrum in annum ſequentem Conſulem dixi*. Hæc Imperator anno 175. poſt devictum, occiſumque Caſſium, qui in Syria ab Imperatore defecerat. De Pompejano conſule. *Noriſ. epiſt. Coſſ. Pag., Baſnag. ad hunc annum. Apud Vulcat. in Caſſii vita cap. 11.*

2. Cum de rebus Eccleſiaſticis nil memoria dignum hoc anno occurrat, de Pauſania nobiliſſimo Græcæ linguæ Scriptore, qui imperante Marco Aurelio floruit, pauca dicamus, de quo Suidas: *Pauſanias Lacon hiſtoricus ſcripſit de Heleſponto, Laconica Chronica de Amphictionibus, de feſtis laconicis*. Celeberrimi ſcriptoris extant de veteris Græciæ regionibus libri decem. Eliacorum librum primum hoc anno edidiſſe, patet ex his, quæ libro quinto narrat: *Abhinc annos ferme ducentos decem, & ſeptem Colonia hæc ab Imperatore deducta eſt*, ſcilicet a Julio Cæſare; librum vero octavum, qui de Arcadica inſcripſit, poſt exhauſtum Marcomannicum bellum, & poſt annum 177, de quo habet: *Marcus ferociſſimos Germaniæ populos, & plurimas Barbarorum in Europa nationes, & in his Sauromatarum gentem, a quibus injuſto bello fuerat provocatus, armis domuit*. De Pauſania, ejuſque ſcriptis. *Suidas lexicon tom. 3. pag. 62.*

JESU

JESU CHR. AN. 174.

JESU CHRISTI AN. 174. SOTERIS PAPÆ 7.
M. AURELII IMP. 14.
COSS. GALLO, ET FLACCO.
OLYMPIAD. 238. AN. 2. URBIS AN. 927.

Marci Aurelii de Quadis victoria.

1. Cum quadriennium fere Marcomannico bello implicatus tranſegiſſet M. Aurelius, Barbaroſque ſæpe fugaſſet, hoc anno eorum numero, locique anguſtiis circumſeptus, æſtivis caloribus, aquæve inopia laborans, maximo in diſcrimine una cum exercitu fuit; præter ſpem tamen ereptus, Barbaros iterum vicit, Quadoſque profligavit. Celeberrimam, divinituſque adeptam victoriam ethnici, & chriſtiani Scriptores narrant, etſi, qua virtute eam M.Aurelius retulerit, inter ſe contendant. Gentiles enim Diis ſuis adſcribendam cenſent; Fidelium vero orationibus impetratam fuiſſe noſtri uno ore teſtantur. Res quidem, aut venia, aut miſeratione ſaltem digna erat, quod ethnici Deorum auxilio Barbaros devictos fuiſſe dicerent; at cum inter chriſtianos ſcriptores quæſtio agitur, cui ea adſcribenda ſit victoria, dubitari non poteſt. Compertum quippe eſt, Gentium Deos vana fuiſſe ſimulacra ex auro, argento, lapi-
Pſalm. 113. de, aut ligno, facta, quæ, ut in pſalmo legitur, *oculos habent, & non videbunt*: quare neceſſario fatendum, unico ac vero Deo eam eſſe tribuendam, de quo cecinit Pſaltes:
Pſalm. 17. & 134. *Miſit ſagittas ſuas, & diſſipavit eos, fulgura multiplicavit, & conturbavit eos*; & iterum: *fulgura in pluviam fe-
Dio in M.Aurel. lib.71. cit*. Rem his verbis narrat Dio: *Poſt hæc* (ſubactis ſcilicet Marcomannis, & Jazigis) *acie vicit eos, qui Quadi vocantur; quo ex bello victoria, præter ſpem, vel potius Dei beneficio conſecuta eſt: propterea quod Romani cum eſſent in prælio, atque in maximum periculum veniſſent, mirabiliter ſane, ac divinitus conſervati ſunt*. Sperantes enim Quadi Romanos ſiti, & calore perituros, eos ſic concluſerant, ut nec pugnare, nec evadere, ullove pacto aquam habere poſſent: quare in eas anguſtias inciderant, ut morbo, vulneribus, ardore ſolis, ac ſiti pereundum eſſet. Repente tamen ita coactæ ſunt nubes, *ut maximus imber aquæ ceciderit, non ſine Dei beneficio. Fama eſt Arnuphin magum Ægyptium, qui una cum Marco erat, Mercurium illum, qui eſt in aere, alioſque Dæmones, quibuſdam magicis artibus invocaſſe*,

ſe, *at per eos pluviam extorſiſſe*. Hæc de Mercurio per magum invocato Dio, quod ejuſmodi Deus princeps magiæ eſſet, ac doctor: de quo Prudentius:

JESU CHR. AN. 174. *Prudent. adv. Symmach. lib. 1.*

Nec non Theſſalicæ doctiſſimus ille magiæ.

Quamobrem artis magicæ profeſſores Mercurii fuerunt ſtudioſiſſimi.

Fulgura cum pluvia cœlitus miſſa.

2. Majora adhuc & mirabiliora ſequuntur. Cum enim Romani, urgente ſiti, in cœlum ſuſpicientes, pluviam in ora reciperent, ac ſcutis, galeiſque ſubjectis, inde largiter biberent, unaque ſimul bibentes, & pugnantes, vix hoſtium vim repellere poſſent; vehemens grando, complnraque fulmina ceciderunt, ac dum in eodem loco aqua Romani reficiebantur, igne exurebantur Barbari. Hic enim Romanos non attingebat, neque imber juvabat Barbaros; ſed non ſecus ac oleum inflammabat: ita ut aquam requirerent pluvia perfuſi, infligerentque ſibi vulnera, ut ſanguine ſaltem ignem reſtinguerent. Plerique autem Confugiebant ad Romanos, quorum quum Marcus Aurelius miſertus eſſet, a militibus ſeptimum Imperator fuit appellatus. *Quod etſi admittere non conſuevit, priuſquam eſſet decretum a Senatu; tamen non repudiavit, quaſi id divinitus acciperet*. Hucuſque de his Dio. At illius Epitomator Xiphilinus adnotat: *Hæc quidem de mago Ægyptio a Dione dicuntur, ſed is mihi mentiri videtur (volens, an invitus, neſcio, volentem magis arbitror) cum non ignoret legionem militum, quæ fulminatrix appellatur proprio nomine (ejus enim mentionem facit in catalogo cæterorum militum) nulla alia cauſa (neque enim alia circumfertur) quam ex ea, quæ eo bello accidit, id nomen accepiſſe: quæ cauſa etiam tum Romanis ſaluti, Barbaris exitio fuit. Non enim Arnuphis magus erat, cum nuſquam memoriæ proditum ſit, Marcum magorum ſocietate, aut præſtigiis fuiſſe delectatum*. Rem itaque aliter omnino eveniſſe obſervat, nempe cum M. Aurelius quid conſilii caperet ignoraret, ad eum Præfectus prætorii dixit, nihil eſſe, quod ii, qui Chriſtiani nominantur, precibus impetrare non poſſint; eſſeque legionem unam in exercitu hominum hujus generis, Melitenam ſcilicet. Qua re cognita, ut Deo ſuo Chriſtiani ſupplicarent, hortati ſunt; quorum preces ita exauditæ fuerunt, ut

Barbarorum miſeranda ſtrages.

Dionis hiſtoria a Xiphilino emendata.

 ſubi-

JESU CHR. AN. 174.

ſubito Deus hoſtes fulmine percuſſerit, Romanos vero pluvia recreaverit. Miro itaque eventu vehementer obſtupefactus Marcus, edicto ſuo Chriſtianos honore affecit, ipſamque legionem Fulminatricem appellavit. *Atque de iis rebus epiſtola Marci extare dicitur. Græci autem ſciunt eam legionem fulminatricem appellari, ejuſque rei teſtes ſunt: cauſam vero cur ita appellata ſit, non dicunt*. Ait Xiphilinus Dionem arguens, quod Arnuphio Mago ea portenta tribuerit, quæ Chriſtianorum precibus adſcribenda erant.

Legio Fulminatrix unde dicta. *Capitolin. cap. 24.*

3. Rem paucis expedit Capitolinus, de M. Aurelio ſcribens: *Fulmen de Cælo precibus ſuis contra hoſtis machinamentum extorſit, ſuis pluvia impetrata, cum ſiti laborarent*. Claudianus etiam in carmine de ſexto Honorii Conſulatu, M. Aurelium precibus, & Magorum ope eam de Barbaris retuliſſe victoriam, verſibus cecinit:

Laus ibi nulla ducum, nam flammeus imber in hoſtem
Decidit: hunc dorſo trepidum flammante ferebat
Ambuſtus ſonipes: hic tabeſcente ſolutus
Subſedit galea, liquefactaque fulgure cuſpis
Conduit, & ſubitis fluxere vaporibus enſes.
Tunc contenta polo, mortalis neſcia teli,
Pugna fuit. Chaldæa mago ſeu carmina ritu
Armavere Deos: ſeu (quod reor) omne Tonantis
Obſequium Marci mores potuere mereri.

Themiſt. cap. 190. edit. Harduin.

Sed & Themiſtius in Oratione 15. ad Theodoſium Imperatorem, Antonini, ſeu Marci Aurelii ſupplicationibus pluviam militibus impetratam fuiſſe narrat, quod & pictura repræſentatum ſe vidiſſe addit, Imperatorem ſcilicet orantem, Milites vero galeis imbrem excipientes, *& liquore divinitus conceſſo, ſeſe implentes*. Quid plura? vel ipſe M. Aurelius, ſe divina virtute eam obtinuiſſe victoriam, ad Senatum ſcribens, teſtatus eſt: id etiam innuit nummus argenteus hoc anno inſcriptus, quo hæc leguntur:

Apud Pag. an. 174. Baſnag. ibidem.

M. ANTONINUS AUG. POT. XXVIII.
In poſtica: *RELIG. AUG. IMP. VI. COSS. III.*,,

Stanſque Mercurius exhibetur, qui dextera pateram, ſiniſtra Caduceum tenet. Tribunitia vero Poteſtas 28. labentem an-

num

num deſignat. Ut autem illuſtrem victoriam æternitati commendaret, in Columna, quæ adhuc Romæ extat, quæque Antonini dicitur, rem geſtam opere ſcalptorio incidendam juſſit M. Aurelius, ubi inter cetera Jovis Pluvii imago cernitur, Romanis pluviam emittens, in Hoſtes fulmina vibrans; quam erudita diſſertatione Caſtallius, aliique illuſtrarunt. Jesu Chr. an. 174.

4. Quod de Dione refert Xiphilinus, eum ſcilicet ſive volentem, ſive invitum, in hujus hiſtoriæ enarratione mentitum fuiſſe, ceteris quoque gentilibus ſcriptoribus convenire non dubitamus, cum eam victoriam M. Aurelii precibus, aut Ægyptii magi incantationibus, vel Mercurio, aut Jovi pluvio tribuunt magis, quam chriſtianorum orationibus. Tertullianus etenim non ſemel, ſed iterum idem teſtatus eſt; nec clam, aut inter domeſticos parietes, ſed palam, & publice, in Apologia ſcilicet, & ad Scapulam Aſiæ Proconſulem ſcribens; ejuſque rei confirmandæ cauſa Imperatoris epiſtolas citat tunc ad Senatum datas: unde fingi vix poteſt, graviſſimum Scriptorem ea de re hallucinatum eſſe, aut fallere voluiſſe: *Ceterum*, inquit citatus Auctor, *de tot exinde Principibus uſque ad hodiernum divinum humanumque ſapientibus, edite aliquem debellatorem Chriſtianorum. At nos contrario edimus protectorem: Si litteræ M. Aurelii graviſſimi Imperatoris requirantur, quibus illam Germanicam ſitim, Chriſtianorum forte Militum precationibus, impetrato imbri, diſcuſſam conteſtatur. Qui ſicut palam ab ejuſmodi hominibus pœnam dimovit, ita alio modo palam diſperſit, adjecta etiam accuſatoribus damnatione, & quidem tetriore.* Hæc Tertullianus in Apologetico; ad Scapulam vero: *Marcus quoque Aurelius in Germanica expeditione Chriſtianorum militum orationibus ad Deum factis, imbres in ſiti ſua impetravit.* Eo etiam reſpiciunt hæc ibidem dicta: *Quando non geniculationibus, & jejunationibus noſtris etiam ſiccitates ſunt depulſæ.* Eadem Apollinaris Hierapolitani Epiſcopi, & Tertulliani auctoritate confirmat Euſebius in Chronico: *Imperator Antoninus cum in Quadorum regione pugnaret, ſiti oppreſſo pluvia divinitus miſſa eſt, cum e contrario Germanos, & Sarmatas fulmina perſequerentur, & plurimos eorum interficerent. Extant litteræ Marci, quibus illam Germanicam ſitim, Chriſtianorum forte militum precationibus impetrato imbri, diſcuſſam conteſtatur.* Hæc in Chronico; in hiſtoria autem: *Cum adverſus Germanos,*

Precibus Chriſtianorum victoria conceſſa.

Tertull. Apol. cap. 5.

Tertull. ad Scapul. cap. 4. Euſeb. Chr. hiſt. lib. 5. 5.

P 2

JESU CHR. AN. 174.

nos, & Sarmatas pugnaturus aciem inſtrueret M. Aurelius; *& exercitus ipſius ſiti premeretur, pene ad inopiam conſilii redactum eſſe memorant. Tum vero milites legionis Melitenæ, quæ fidei merito etiam nunc manet, dum acies adverſus hoſtes ordinatur, flexis in terram genibus, ut noſtris orantibus mos eſt, preces ad Deum fudiſſe perhibentur*: exindeque hoſtium copias vi fulminum in fugam verſas, atque deletas fuiſſe. Nec mirum, ſubdit, Gentiles ſcriptores portentum ejuſmodi commemorantes, Chriſtianorum tamen precibus id factum præteriiſſe, cum *noſtri utpote veritatis cultores ſimpliciter, atque ingenue rem ipſam litteris tradiderunt*. Eadem ſere tradit Gregorius Niſſenus in oratione panegyrica in ſanctos quadraginta Martyres, qui ex legione Melitena erant, non quod iidem ſub M. Aurelio, & ſub Licinio militaverint, quod ſane abſurdum eſſet; ſed quod ex ipſamet legione, & avita quodammodo Religione animati, eorum fidem æmulati fuerint: quare immerito a Chriſtiano Lupo ea de cauſa Niſſenus vapulat, quod ducentorum fere annorum prochronyſmum admiſerit; nam ea in legionis laudem Niſſenus commemorat, ut ejus præconia in ſanctos ipſius Legionis Martyres cederent, qui eadem fide armati martyrium ſubeuntes, hoſtem difficiliori pugna, ac illuſtriori triumpho vicerant.

Gregor. Niſſen. orat. in 40. Martyr.

Lupus in Notis ad Tertull. cap. 43.

Quædam in eam hiſtoriam adnotanda.

5. Ceterum etſi Apollinari, Tertulliano, Euſebio, aliiſque teſtantibus, Chriſtianorum precibus pluviam impetratam fuiſſe, fides negari non poſſit; epiſtola tamen M. Aurelio inſcripta, quam Baronius, aut Caſtillius ex Vaticana Bibliotheca operi ſuo de Antonini Columna inſeruit, ſuppoſititiam eſſe, atque ab imperito græculo confictam cum eruditiſſimis viris adfirmandum eſt, qui cum apud Dionem, aut Tertullianum legiſſet, ea de re a M. Aurelio epiſtolas ad Senatum ſcriptas fuiſſe, nec genuinas inveniſſet, alteras pro ingenio ſuo confixit: ita etiam an epiſtolis ad Senatum datis eam Victoriam Chriſtianorum precibus M. Aurelius adſcripſerit, ut narrat Tertullianus, an vero Diis ſuis, ut teſtatur Dio, incertum eſt. Hoc unum ſcimus ex Antonini Columna, Jovi Pluvio eam victoriam Romanos acceptam habuiſſe, aut Mercurio, uti M. Aurelii nuſmiſmata teſtantur. De edicto tunc temporis a M. Aurelio vulgato, quo pœnam capitis, ut refert Tertullianus, comminatus fuerat accuſatoribus chriſtiano-

Witius Diatriba de legion.
Fulmin. Valeſ. ad lib. 5. c. 5. Euſeb. Huet. demonſt. evangel. prop. 3. num. 19.
Pag. Baſnag. Cleric. &c.
Baron. ann. 176. num. 21.

norum, dubitari poteſt, cum ex Athenagoræ apologia conſtet, non multos poſt annos ſoeviſſima eos perſecutione exagitaſſe. Ne tamen in graviſſima cauſa Tertullianum hallucinatum, aut mentitum fuiſſe dicamus, cum Vitzio, & Tillemontio adnotari poteſt, accidiſſe facile, ut M. Aurelius tum beneficii accepti, cum edicti ſui immemor fuiſſet, aut illud propter Proconſulum, & concitatæ plebis immanitatem Chriſtianis inutile evaſiſſet.

Num Legio Fulminatrix ex eo portento ſit dicta.

6. Graviora adhuc objiciuntur; nonnullis enim creditu admodum difficile viſum eſt, integram legionem ex Chriſtianis militibus conſtitiſſe, aut ex eo portento Fulminatricem fuiſſe apellatam, ut ab Apollinari Hierapolitano apud Euſebium, & Xiphilino traditur. Scimus equidem, Chriſtianorum aliquot hac etiam ætate militaſſe, ita ut de Chriſtiano milite dixerit Tertullianus: *libero capite coronamento in manu otioſo Tribuno reſpondit, Chriſtianus ſum; ea de cauſa reus apud Præfectos Ruſſatus ſanguine ſuo, donativum Chriſti in carcere expectabat*: Marinum quoque Centurionem martyrium ſubiiſſe. Tam faciles vero, ac ſponte ad militiam tranſiiſſe Chriſtianos, ut & tota Legio ex iis conſtaret, a fide quidem abhorret. Id enim ſi eiſdem non vetitum, periculoſum tamen erat: quare Tertullianus, *puto prius, inquirendum*, inquit, *an in totum Chriſtianis militia conveniat*, ac ut Fideles ab ea revocaret, inter alia hæc habet: *Excubabit pro Templis, quibus renunciavit? & quos interdiu exorciſmis fugavit, noctibus defenſabit... Vexillum quoque portabit aemulum Chriſti*. Lactantius vero non ſolum periculoſam Chriſtianis militiam fuiſſe ſcribit, ſed & omnino illicitam. Nec prætereundum, longe ante M. Aurelii tempora duodecimam Legionem fulminatricem fuiſſe dictam, ut inſcriptiones a Baronio editæ manifeſte indicant. Qua itaque ratione, ex admirabili fulminum immiſſione hæc altera fulminatrix etiam fuerit appellata, non tam facile explicari poteſt, cum unam tantum poſthæc ejuſmodi titulo inſignitam reperiamus. Nodum tamen mirifice Baronius extricat, adnotans, non ſemel accidiſſe, ut, exhauſtis bello militibus, attritiſque legionibus, ex duabus una fieret, ita ut Chriſtiani milites, quos ob tam egregium, ac mirandum facinus fulminantium nomine Marcus Aurelius nobilitaverat, ejuſdem nominis Legioni, ideſt duodecimæ, fuiſſent aggregati. Cæterum quæcumque in eam rem objici ſoleant,

Tertull. de corona Militis cap. 6.

Apud Ruinart. pag. 274.

Tertull. ut ſupra cap. 11.

Lactan. lib. 6. 20. divin. inſtit. pag. 491.

Bar. an. 176. 18. 19.

JESU CHR. AN. 174. leant, tanti eſſe non poſſunt, ut fidem tot, tantiſque Viris elevent; cumque in eo cum Chriſtianis conveniant Ethnici ſcriptores, divinitus nempe partam fuiſſe victoriam, quis non magis Chriſtianorum precibus, Deique virtuti, qui *facit mirabilia magna ſolus*, quam Diis Gentium adtribuendam cenſeat? plura pro utraque parte ex Vitzio peti poſſunt, aut Mouſemio Hiſt. eccleſ. ſecul. 2. pag. 65.

JESU CHRISTI AN. 175. SOTERIS PAPÆ 8.
M. AURELII IMPERATORIS 15.
COSS. DISONE, ET JULIANO.
OLYMPIAD. 238. AN. 3. URBIS AN. 918.

Avidius Caſſius in M. Aurelium rebellat.

1. Quadis inopinato, & miro modo devictis, ut anno proximo diximus, ob Caſſii rebellionem, quem totus fere Oriens Imperatorem ſalutaverat, in gravius periculum M. Aurelius incidit: quare cum Quadis, Marcomannis, Jazigibus pacem continuo firmavit, ut adverſus Caſſium exercitum educeret. *Poſt eam Victoriam*, ait Capitolinus, *voluit Marcomannicam provinciam facere, voluit etiam Sarmatiam facere, & feciſſet, rejectis hactenus quibuſcumque pacis conditionibus, niſi Avidius Caſſius rebellaſſet in Oriente*; tum ſubdit: *Relicto Sarmatico, & Marcomannico bello, contra Caſſium profectus eſt*. Antequam vero in Orientem profecturus, ex Germania in Italiam perveniret, Milites Caſſii defectione turbatos eleganti oratione in fide confirmavit, oſtendens, ſe nullam civili bello dediſſe cauſam, ſeque promptum, ſi id Reipublicæ expediret, Imperio cedere, ac Caſſio tradere: ſimulque ad Senatum ea de re ſcribens, ne levi quidem verbo, aut injuria Caſſium notavit; quem tamen Senatus, ut Reipublicæ hoſtem declaravit, ejuſque bona Ærario publico adjicienda juſſit, cum in privatum ſuum redigi Imperator prohibuiſſet. Interea, ut ſibi hæredem, ac ſucceſſorem deſtinaret, Commodum, e Germania revocatum, virilique toga donatum, cum annum decimumquartum vix attigiſſet, Conſulem deſignavit; quibus peractis, Italiam ingreſſus, per Campaniam in Orientem navigaturus, maturabat iter, ut ex Fauſtinæ epiſtola diſcimus: *ipſa iter tuum mox conſequor, ſi te Formis invenire non potero, aſſequar Capuam*.

Capitol. in Marc.

Vulcat. in Caſſio cap. 10.

Caſſii interitus, & M. Aurelii in rebellionis participes clementia.

2. Dum iter ageret, ob Caſſii interitum, periculo, & timo-

timore liberatus eſt: unde ad Senatum ſcribens, ut Caſſianæ conjurationis conſortibus daretur venia, *obſecro*, ait, *P. C.*, *ut cenſura veſtra depoſita, meam pietatem, clementiamque ſervetis, immo veſtram, neque quemquam ullum Senatus occidat. Nemo Senatorum puniatur, nullius fundatur viri nobilis ſanguis, deportati redeant, proſcripti bona recipiant. Utinam poſſem mortuos ab inferis revocare!* Fauſtiſſimis hæc acclamationibus Senatus excepit: *Antonine Pie Dii te ſervent. Dii te ſervent Antonine Clemens. Commodo Imperium juſtum rogamus, progeniem tuam robora, fac, ſecuri ſint liberi tui, bonum imperium nulla vis lædit. Commodo Antonino Tribunitiam poteſtatem rogamus, præſentiam tuam rogamus.* Præſentiam quidem abnuit, cum in animo haberet iter in Orientem proſequi; Tribunitiam vero poteſtatem, & Proconſulare Imperium, juxta Senatus vota, Commodo communicavit, & quidem auguſto menſe hujus anni, ut ex nummis demonſtrant eruditiſſimi Viri, Noriſius, & Pagius. Anno tamen ſequenti eam dignitatem Commodo collatam fuiſſe Capitolinus tradit, quem Baronius, aliique ſequuntur. Interea Caſſius, qui Imperium per tres menſes, dies ſex obtinuerat, cum adverſus Marcum proficiſceretur, in itinere ab Antonio centurione vulneratus, a decurione abſciſſo capite interfectus eſt; eumdemque exitum Mecianus filius ejus paulo poſt ſubiit: quorum audita cæde, M. Aurelius nullum lætitiæ ſignum edidit, immo Avidii caput, antequam ad ſe perlatum eſſet, humari juſſit, vehementer condolens occaſionem exercendæ clementiæ ſibi fuiſſe ereptam. Cumque per litteras Fauſtina eum ad vindictam hortata eſſet his verbis: *noli parcere hominibus, qui tibi non pepercerunt, & nec mihi, nec filiis noſtris parcerent, ſi vixiſſent*; reſpondit Marcus: *Tu quidem mea Fauſtina religioſe pro marito, & pro liberis noſtris agis; nam relegi epiſtolam tuam in Formiano, qua me hortaris, ut in Avidii conſcios vindicem. Ego vero & ejus liberis parcam, & genero, & uxori, & ad Senatum ſcribam, ne aut proſcriptio gravior ſit, aut pœna crudelior.* Hæc aliaque ad Fauſtinam Marcus, cujus clementia non verbis tantum, aut ſcriptis enituit, ſed & factis, dum epiſtolas ad Caſſium ſcriptas, quibus rebellionis ſocii detegi poterant, clauſas igni tradidit. Caſſii vero filios ſuperſtites, filiaſque, & generum cum maxima bonorum parte liberos dimitti juſſit, ut quocumque vellent

Jesu Chr. A. 175.

Vul. [illegible]

Vulcat. c. 11.

Marci epiſtola ad Fauſtinam.

JESU CHR. AN. 175.

lent extra Urbem ſecuri viverent; de quibus plura apud Dionem, Vulcatium, Capitolinum videri poſſunt.

Chriſtianorum in Principes obedientia.

Petri epiſt. 1. 2. Pauli epiſt. ad Hebr. 13. 17.

3. Ad rem noſtram quod attinet, dicendum ſupereſt, Chriſtianos, quorum infinitus in Orbe Romano erat numerus, hujuſce ſeditionis participes non fuiſſe, ſicuti nec præcedentium, aut earum, quæ ſubſecutæ ſunt; cum ab Apoſtolo Petro ſcirent, obediendum eſſe *Dominis non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis, & omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive Regibus .... ſive Ducibus*; Pauluſque doceret: *obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis*; adeo ut ipſorum fidelitatem in Principes, etſi ſœviſsimos, crudeleſque Perſecutores, Tertullianus his verbis laudet: *Unde Caſſii, Nigri, & Albini? unde qui inter duas lauros obſident Cæſarem? Unde qui faucibus ejus exprimendis paleſtricam exercent? Unde qui armati Palatium irrumpunt, omnibus Stephanis, atque Partheniis audaciores? de Romanis, ni fallor, id eſt, non de Chriſtianis*; & alibi in eamdem rem: *Sic & circa majeſtatem Imperatoris infamamur, tamen nunquam Albiniani, nunquam Nigriani, vel Caſſiani inveniri potuerunt Chriſtiani*: & poſt aliqua; *Chriſtianus nullius eſt hoſtis, nedum Imperatoris; quem ſciens a Deo ſuo conſtitui, neceſſe eſt, & ipſum diligat, & revereatur, & honoret, & ſalvum velit cum toto Romano Imperio, quamdiu ſæculum ſtabit; tamdiu enim ſtabit: colimus ergo Imperatorem ſic quemadmodum & nobis licet, & ipſi expediat*. Hæc Tertullianus de Chriſtianorum in Principes obſervantia; quam omni tempore iiſdem præſtandam eſſe Catholica docuit Eccleſia.

Tertull. apol. cap. 35.

JESU CHRISTI AN. 176. ELEUTHERII PAPÆ 1.
M. AURELII IMP. 16. COMMODI IMP. 1.
COSS. T. VITRASIO POLLIONE II., ET M. FLAVIO APRO II.
OLYMPIAD. 238. AN. 4. URBIS AN. 929.

Soteris Papæ obitus, cui Eleutherius ſuccedit.

Euſeb. lib. 4. cap. ult. & lib. 5. in pro. Bolland. die 22. April.

1. Tunc temporis Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus Soter vivendi finem fecit, ait Euſebius libro quarto cap. ultimo, deinde libri quinti proœmio: *Igitur Sotere Romanæ Urbis Epiſcopo, poſt octavum Epiſcopatus annum vita functo, duodecimus ab Apoſtolis Eleutherius in ejus locum ſucceſſit*. *Annus hinc agebatur ſeptimus decimus Imperii Antonini Veri*, ideſt M. Aurelii. Soteris memoriam die 21., aut 22. Aprilis Martyro-

tyrologia recolunt, eique præter epiſtolam ad Corinthios, de qua egimus ſupra, apocryphæ duæ ad Campaniæ, & Italiæ Epiſcopos inſcriptæ ſunt: alia ejuſdem furfuris decreta apud Gratianum leguntur, quæ Coutantius ſuppoſititia demonſtrat.

JESU CHR. AN. 176. *Coutan. p. 83.*

2. Poſt Soterem Eleutherius Romanæ Eccleſiæ Pontifex eſt ordinatus. Is Aniceti Diaconus fuerat eo tempore, quo Hegeſippus Romam venerat, ut ex eodem refert Euſebius. Periculoſis temporibus Romanæ Eccleſiæ multis annis præfuit, eamque a ſchiſmaticorum, hæreticorum, ac gentilium furore, & fraudibus, paſtorali ſollicitudine illæſam ſervavit, ut ſuo loco infra videbimus. Annos quindecim, menſes aliquot ſediſſe Eleutherium, tradit Auctor Pontificalis, aliique catalogi, quibus conſentit Euſebius in Chronico. In hiſtoria vero annos tredecim tantum ei aſſignat, ab anno ſcilicet 17. M. Aurelii, Chriſti vero 176., aut 177., uſque ad annum Commodi decimum, ideſt 189. Veroſimilius tamen eſt, eum annos quindecim, aut ſexdecim, ut in Chronico idem Euſebius, ceterique Catalogi tradunt, ad annum uſque 192., aut 193. Pontificatum, vitamque tenuiſſe.

Eleutherius Pontifex quandiu ſederit. *Euſeb. lib. 4. 22.*

Tillem. to. 3. not. 4. in Eleuth. pag. 616. Coutan. p. 86. Euſeb. Chron. pag. Hiſt. lib. 5. 22.

3. Ut in Orientem cum filio Commodo pervenit Marcus, uti anno ſuperiori diximus, nationes Caſſianæ rebellionis participes clementia magis, quam armis devicit, atque in amicitiam recepit; de cujus geſtis, aliiſque ibidem peractis ad triumphum uſque, quem Romæ labenti anno una cum filio, decimo Kal. Amazonias, ideſt 23. Decembris, celebravit, hæc narrat Capitolinus: *Cum Syriam peteret, Antiochiam noluit videre, nec Cyprum, ex quo erat Caſſius. Fuit Alexandriæ clementer cum iis agens, poſtea tamen Antiochiam vidit. Multa egit cum Regibus, & pacem confirmavit, ſibi occurrentibus cunctis Regibus, & Legatis Perſarum. Omnibus Orientalibus provinciis cariſſimus fuit.* Nec ſilentio prætereundum eſt, quod, cum Alexandrini fauſtis acclamationibus Caſſium excepiſſent, ipſis M. Aurelius æquo animo etiam pepercit, quinimo & filiam apud eos reliquit. Interea cum Fauſtinam uxorem ſubito morbo correptam in vico Halalæ ad radices montis Tauri amiſiſſet; ut ei divini tribuerentur honores, a Senatu poſtulavit, Fauſtinianaſque in ejus honorem inſtituit puellas: vicum vero, in quo obiit Fauſtina, fecit Coloniam, ædemque illi extruxit, quæ dein in Heliogabali memoriam dicata fuit. Rebus tandem Orientalibus compoſitis, Athenas petiit:

Marci acta: in Oriente Fauſtinæ obitus: Imperatoris triumphus.

Capitol. in Marc. 26.

JESU CHR. AN. 176.

tiit: indeque in Italiam revertens, ut Romam venit, triumphavit, atque Lavinium poſtea profectus, Commodum ſibi Collegam in Tribunitia poteſtate adjunxit. Hæc aliaque plura de M. Aurelii geſtis Capitolinus. Ad hanc peregrinationem ea quoque ſpectant, quæ Marcellinus in Judæos eum dixiſſe ſcribit: *Cum Palæſtinam tranſiret, Ægyptum petens, fætentium Judæorum, & tumultuantium ſæpe tædio percitus, dolenter, dicitur, exclamaſſe: O Marcomanni, o Quadi, o Sarmatæ, tandem alios vobis deteriores inveni*. Eodem tempore vates, qui futura prædicebant, legibus coercendos cenſuit, ne ipſorum fraudibus ad ſeditionem incauta plebs facile induceretur, ut in Caſſiana rebellione evenerat. Hujuſce legis meminit Ulpianus: *Denique D. Marcus eum, qui de motu Caſſiani vaticinatus erat, & multa quaſi inſtinctu Deorum dixerat, in inſulam Syrum relegavit. Et ſane non debent impune ferri hujuſmodi homines, qui ſub obtentu, & monitu Deorum, quædam vel renunciant, vel jactant, vel ſcientes affingunt*. Quo etiam reſpicit altera a Modeſto citata: *Si quis aliquid fecerit, quo leves hominum animi ſuperſtitione Numinis terreantur, Marcus hujuſmodi homines in Inſulam relegari ſcripſit*. Quam legem, tradit Baronius, &. adverſus Chriſtianos latam fuiſſe; quoniam graviſsima, æternaque ſupplicia Gentilibus ſæpe minitabantur.

Marcellin. lib. 22.

Ulp. Dig. de offic. Procon. lib. 7.

Leg. ſi quis aliquid dig. de pœnis. Baro 178.

JESU CHRITSI AN. 177. ELEUTHERII PAPÆ 2.
M. AURELII IMP. 17., ET COMMODI IMP. 2.
COSS. L. AURELIO COMMODO AUG., ET QUINTILLIO.
OLYMPIAD. 230. AN. 1. URBIS AN. 930.

Perſecutio in Chriſtianos iterum excitata.

Euſeb. in proœm. lib. 5. hiſtor.

1. Præteritis annis elanguerat quodammodo Gentilium in Chriſtianos rabies; currenti vero, ait Euſebius, cum in nonnullis terrarum partibus violentior in eoſdem perſecutio commota eſſet, ex incurſione popularium innumerabiles prope Martyres per univerſum Orbem enituiſſe, ex iis, quæ in Galliis contigerunt, conjicere eſt. Quæ quidem utpote immortali memoria digniſsima litterarum monumentis commendata, ad poſteros tranſmiſſa ſunt; horumque acta in libro ſuo de Martyribus, ut idem tradit, intexuerat. Deinde capite primo Lugdunenſium, ac Viennenſium Martyrum certamina enarrat, de quibus infra, poſtquam aliqua de ejuſdem perſecutio-

Euſeb. lib. 5. cap. 1.

cutio-

JESU CHR. AN. 177.

Perſecutionis acerbitas, & tempus.

cutionis tempore, & acerbitate adnotaverimus. Cum Marci Aurelii edicto vetitum eſſet, fidei cauſa Chriſtianos in judicium adducere, ut id impune Gentiles facerent, eos uti graviſsimorum criminum reos incuſabant, ſicuti ex Lugdunenſis Eccleſiæ epiſtola, & Athenagoræ Apologia patet; quorum etiam teſtimonio ſcimus, eam perſecutionem & ſæviſsimam, & univerſalem fuiſſe: unde Euſebius: *innumerabiles per univerſum Orbem Martyres facti ſunt, & ex iis, quæ in unica provincia contigerunt, conjicere eſt*. Hanc a M. Aurelio, ſeu potius *popularium incurſione*, ut ait Euſebius, excitatam adverſus Chriſtianos perſecutionem cum altera anno ſeptimo ejuſdem Imperatoris, qua Juſtinus, aliique Martyres coronati ſunt, nonnulli confundunt, atque unam eamdemque fuiſſe aſſerunt; idque Euſebiani Chronici auctoritate, quo ad annum Marci ſeptimum motam fuiſſe adverſus Chriſtianos quartam perſecutionem legitur, quibus conſentit Oroſius, dum ait: *In diebus Parthici belli perſecutiones Chriſtianorum quarta jam poſt Neronem vice in Aſia, & in Gallia graves præcepto ejus, ideſt M. Aurelii, extiterunt*, ſimulque Polycarpi in Aſia, & Lugdunenſium, ac Viennenſium martyria conjungit. Id inſuper evincere conantur ex Lugdunenſibus Ludis tunc celebratis, cum in Chriſtianos ſævitum eſt, ut ex Lugdunenſium epiſtola conſtat: *Ineunte ſolemni apud nos mercatu, qui maxima hominum frequentia celebratur .... Præſes beatiſſimos Martyres ad tribunal adduci juſſit, tanquam in theatrali pompa eos populo oſtentans*; quibus ex verbis Loydius, atque Dodwellus anno 167. Lugdunenſes Martyres ſanguinem fudiſſe contendunt; cum eo anno Lugdunenſes Ludi inciderint, quos *Pentactericos* fuiſſe tradunt, ideſt, quarto abſoluto anno redeuntes. Vix tamen ullius momenti hæc ſunt, cum nullo teſte, nullaque ratione probentur: quinimmo ut a Pagio, aliiſque obſervatum eſt, Lugdunenſes Ludi, qui Nundinarum tempore peragebantur, non *Pentactericos*, ideſt, ſingulo quinquennio redeuntes, ſed annuales fuerunt. Nec pluris faciendum eſt argumentum alterum ex Euſebii Chronico, aut Oroſii hiſtoria petitum; nam familiare eſt Chronici, aut Epitomes Scriptoribus, res diverſis temporibus geſtas uno loco adnotare. Cumque M. Aurelio imperante continuo fere adverſus Chriſtianos viguerint perſecutiones, ut Apologiæ eidem oblatæ, & Martyrum Acta teſtantur; eo tempore, quo præcipue perſecutio ſæ-

Euſeb. in proœm. lib. 5. Athenag. Apol. in princip.

Blondell. apol. pro Hieron. ſentent. cap. 8. Dodwel. diſſert. XI. de paucit. Martyr. n. 36. ſeqq. Loydius apud Pag. not. 3. Oroſ. lib. 7.

Pag. not. 5. 6. Baſnag. ann. 177. Tillem. td. 3. pag. 597.

JESU CHR. AN. 177.

fœviit, ea adnotavit Euſebius in Chronico, & Oroſius in ſua hiſtoria, ne ſæpius id repetere cogeretur: diverſo tamen tempore Juſtinum, Polycarpum, & Lugdunenſes Martyres martyrium ſubiiſſe in hiſtoria indicavit Euſebius, cui magis fides habenda eſt, quam Chronico, cum fortaſſe etiam in hiſtoria retractaverit, quæ in Chronico de Galliarum Martyribus ſcripſerat. His adde Dodwelli, Loydiique ſententiam cum Martyrum Lugdunenſium epiſtolis conciliari non poſſe, quas per Irenæum tunc Presbyterum ad Eleutherium Romanum Pontificem miſerunt: nullus autem Romanorum Pontificum Catalogus Eleutherii initia anno 167. alligavit: unde tota Pontificum Chronologia ſubvertenda eſſet, quod Dodwello ſatis familiare fuit. Quamobrem hoc anno in Galliis excitatam in Chriſtianos fuiſſe perſecutionem, multo probabilius cum eruditis viris cenſemus.

Euſeb. lib. 5. cap. 3. Pag. not. ad an. 177. Tillem. to. 2. pag. 230. to. 3. pag. 1. & ſeqq., & in Notis p. 596. Ruinart. pag. 46. Baſnag. ann. 177.

Epiſtolà Lugdun. & Vienn. Eccleſiæ.

2. Perſecutionis epocha firmata, quæ Euſebius ex epiſtola Viennenſis, & Lugdunenſis Eccleſiæ ad Aſiæ, & Phrygiæ Eccleſias narrat, ſubdimus: nec ingratum Lectoribus futurum, aut inutile judicamus, ſi in his exponendis aliquantulum immoremur. Pietatem etenim mirifice accendunt hæc pretioſiſſima Eccleſiæ monumenta, ut Scaligeri utamur verbis; & ſicuti ex Laurentii actis oſtendit Auguſtinus: *Quis nolit ad horam uri Laurentii igne, ut æternum gehennæ non ſentiatur incendium. Cujus exemplo provocamur ad martyrium, accendimur ad fidem, incaleſcimus ad devotionem*; ita quoque in horum Martyrum paſſione relegenda, qui ferrum, ignem, beſtias experti ſunt, fieri vix poteſt, ut quis ad fidem non accendatur, ad devotionem non incaleſcat. Narrationem itaque his verbis exordiuntur: *Gravitatem ærumnarum, & Gentilium adverſus Sanctos furorem, ac rabiem, quæque ac quanta beati Martyres perpeſſi ſunt, nec nos exprimere dicendo, nec quiſquam ſcribendo complecti accurate poſſit. Omnium ſiquidem virium impetu in nos irruit adverſarius, adventus ſui, in quo cum omni licentia graſſaturus eſt, jam tum nobis initia ac primordia exhibens. Nihil quippe intentatum reliquit, dum Miniſtros ſuos aſſuefacit, & quibuſdam quaſi præludiis exercet adverſus Servos Dei: adeo ut non ſolum ab ædibus, a balneis, a foro arceremur, verum etiam interdictum fuerit, ne quis noſtrum quocumque demum in loco appareret; ſed gratia Dei pro nobis adverſus diabolum depugnavit, & infirmiores qui-*

Scalig. ad Euſeb. Chron. [illegible]

Euſeb. lib. 5. 1. Ruinart. p. 48.

quidem ſervavit . Gratia quidem Dei ea fuit , quæ Martyres ita corroboravit , ut Dæmonis impetum , omneque genus opprobriorum , durioreſque cruciatus pro nihilo habentes , ad Chriſtum pervenire contenderent . Nullatenus eos moverunt publicæ acclamationes , plagæ , raptationes , bonorum ſpoliationes , aliaque hujuſce generis , quæ a vulgo furibundo in hoſtes excogitari ſolent . Jesu Chr. an. 177.

3. Præterea cum ad Præſidem deducti eſſent , atque ille omni genere ſævitiæ in eoſdem inveheretur ; Vethius Apagathus unus ex fratrum numero , immenſa caritatis copia erga Deum ſimul , & proximum exuberans , atque ad omne genus obſequii , ac miniſterii proximo exibendum promptiſſimus , quum adeo injuſtum judicium ferre non poſſet , indignatione commotus poſtulavit , ut ſibi quoque liceret pro fratribus cauſam dicere , palamque oſtendere , nihil apud eos impium , aut irreligioſum reperiri . At Præſes hanc petitionem licet juſtiſſimam ægreferens , quæſivit ex eo , eſſet ne Chriſtianus ; quumque ille conſtantiſſime ſe talem profeſſus eſſet , extemplo in Martyrum numerum relatus eſt , Judicisque elogio Chriſtianorum etiam Patronus appellatus . Vir erat Apagathus in Gallia clarus , cujus poſteri & pietate & honoribus claruerunt , teſte Gregorio Turonenſi , ubi de Bituricenſibus ad Chriſtum converſis agit : *Hi vero non obtenta a quo petierant domo , Leocadium quemdam primum Galliarum Senatorem , qui de ſtirpe Vethii Apagathi fuit , quem Lugduni paſſum pro Chriſti nomine ſuperius memoravimus , repererunt* . Siquidem poſt tam illuſtre Apagathi exemplum reliqui etiam dignoſci , ac diſtingui cœperunt ; quandoquidem qui parati erant , ſumma animi alacritate ſolemnem Confeſſionem ediderunt : qui vero fuerint imparati , clariſſime ex eo patuit , quod decem circiter ex iis collapſi ſunt , cæteroſque maxima affecerunt ægritudine . Comprehendebantur quotidie , qui digni erant , ut illorum numerum ſupplerent , inſuperque ex utraque Eccleſia præſtantiſſimi .

Vethius Apagathus pro Chriſtianis cauſam dicens , inter Martyres adſcribitur.

Greg. hiſt. lib. 1

4. Quidam etiam Chriſtianorum ſervi , qui Gentiles erant , ante Præſidem ducti , cum tormenta , quæ Martyres perpetiebantur , formidarent ; Dæmonis impulſu , militibuſque ad hoc ipſum eos incitantibus , quæ nec geſta , nec audita apud homines unquam fuerant , adverſus Chriſtianos ementiti ſunt . Quibus in vulgus ſparſis , omnes adeo efferati ſunt , ut ſi qui

Crimina Chriſtianis objecta .

Jesu Chr. an. 177.

ſi qui forte cognationis cauſa moderati erga ſanctos hactenus extiterant, tunc acerbiſſima indignatione commoti in eoſdem inveherentur, ut adimpleretur, quod a Domino prædictum fuerat: *Veniet tempus cum quicumque vos occiderit cultum offerre videbitur Deo*. Omnia tamen præſtantiſſimi Martyres ſuſtinentes, devicto Satana, æterna cumulati gloria diſceſſere.

Sancti Attali, aliorumque certamina.

Præcipue vero Præſidis, ac militum furor enituit in ſanctum Diaconum Viennenſem, & in Maturum neophytum quidem illum, ſed generoſiſsimum pugilem Chriſti: in Attalum quoque Patria Pergamenum, cui veluti columnæ Eccleſia innitebatur, ac in Blandinam, per quam noſcere datum eſt, quæ vilia, contemptaque hominibus videntur, divina operante gratia, fortia quæque confundere poſſe. Nam cum trepidarent omnes, atque temporalis Blandinæ domina, quæ & ipſa una cum reliquis ſtrenue pugnabat, formidaret, ne illa ob tenuitatem corporis liberam confeſsionem edere non valeret; tanto animi robore firmata eſt, ut vel ipſi tortores, qui invicem ſibi ſuccedentes, uſque ad nervorum reſolutionem eam excruciaverant, tandem ſe victos confeſsi ſint, cum nullum tormenti genus, quod ipſi inferri poſſet, reliquum haberent, ſimulque illam ſpiritum adhuc ducere mirati fuerint. Verum Beata illa, inſtar generoſi cujuſdam Athletæ, in ipſa confeſsione vires, atque animos reſumebat. Eratque ei refectio, & quies, ſenſumque omnem præſentis doloris adimebat Chriſtianitatis confeſſio: quare, *Chriſtiana ſum*, ajebat, *& nihil apud nos mali geritur*. Sanctus vero, cum & ipſe ſupra humanum modum cuncta, quæ ab hominibus excogitari poterant, tormenta fortiter ſuſtineret, ſperantibus jam impiis, ob nimiam cruciatuum magnitudinem, aliquid ſe indecorum, atque illicitum ex eo audituros, tanta firmitate eis reſtitit, ut nec ſuum, nec gentis, aut civitatis, ex qua eſſet oriundus, nomen, nec utrum ſervus eſſet, an ingenuus, fuerit prolocutus; ſed ad omnes interrogationes Romana lingua reſpondens: *Chriſtianus ſum*, ſibi nomen, patria, genus, omnia denique eſſe ſubinde profitebatur, neque aliam vocem ab eo Gentiles extorquere valuerunt. Quapropter maxima adverſus illum, & Præſidis, & tortorum pertinacia furoris exarſit: adeo, ut cum nihil amplius ipſis ſupereſſet, quo illum torquerent, candentes æris laminas mollioribus ejus membris affixiſſent. Ipſe vero inconcuſſus firmis veſtigiis in Confeſsione per-

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 177.

perſtitit, in eoque clarius divina virtus enituit; nam licet externam hominis ſpeciem vix retineret, iterumque impii paucis poſt diebus eum torquere cœpiſſent, & crederent, ſi turgeſcentibus adhuc, & inflammatis vulneribus eoſdem cruciatus de integro adhiberent, fore ut illo ſuperiores evaderent, vel mortuus terrorem reliquis injiceret; nil tamen ejuſmodi contigit, ſed, præter omnium opinionem, corpus ejus ſubito relevatum, erectumque conſtitit, ac priſtinam ſpeciem, uſumque membrorum recuperavit, ut ſecunda illa excarnificatio medelam potius, quam pœnam ei attuliſſe videretur.

Bibliades poſt lapſum fidem confeſſa, martyr occubuit.

5. Sed & Bibliadem quamdam ex eorum numero, qui Chriſti fidem negaverant, cum jam diabolus a ſe abſorptam crederet, velletque inſuper damnationem illius cumulare blaſphemia, ad ſupplicium duxerunt, cumque impia de Chriſtianis proloqui eam cogerent Gentiles, ſubito, ac veluti ex altiſsimo ſomno excitata reſipuit, & contradicens impiis: *Qui fieri poteſt*, inquit, *ut infantes comederent, quibus ne ſanguinem quidem animantium deguſtare licet?* Abhinc, Chriſtianam ſe eſſe confeſſa, in conſortium Martyrum relata eſt. Porro cum horum conſtantiam miraretur Præſes, nova tormentorum genera excogitavit, ut ſcilicet in obſcuriſsimum, ac moleſtiſsimum carcerem confeſſores conjicerentur, ubi eorum pedibus in nervo ad quintum uſque foramen diſtentis, reliqua hujuſmodi cruciatuum genera perferrent; at martyrum plurimi, etſi acerbiſsime excruciati, penituſque hominum auxilio deſtituti eſſent, a Deo tamen roborati, vegetiores, firmioreſque in cuſtodia permanſerunt. Alii vero, qui cruciatibus perferendis nondum aſſueverant, cum gravitatem carceris pati non poſſent, in ipſa cuſtodia expirarunt.

Martyres carcerali cuſtodia ve[illegible]r.

Photini Lugdunenſis Epiſcopi confeſſio, & martyrium.

6. Beatiſsimus tunc Photinus, qui Epiſcopatum Lugdunenſis Eccleſiæ adminiſtrabat, nonagenario major, valdeque infirmus, ſed mirabili alacritate animi firmatus, ad tribunal & ipſe deductus, proſequentibus ipſum Magiſtratibus civitatis, & univerſa plebe variis cum acclamationibus impetente, tamquam ipſe Chriſtus eſſet, egregium edidit teſtimonium; a Præſide namque interrogatus, quiſnam eſſet Chriſtianorum Deus, reſpondit: *Si dignus fueris, cognoſces*. Quare, non aliter ac ſi blaſphemiam protuliſſet, nedum inhumaniter raptatus, atque innumeris plagis affectus eſt, ſed qui propius adſtabant, calcibus, & pugnis illum contumelioſe appetie-

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 177.

petierunt; qui vero longius, quidquid ad manum erat, in ipſum conjecere, omnes graviſsimi delicti, ac piaculi reos ſe exiſtimantes, niſi pro ſua quiſquis parte ei petulanter inſultare ſtuduiſſent. Poſt hæc vix adhuc ſpirans in carcerem projectus eſt, ubi poſt biduum animam exalavit.

Confeſſorum & lapſorum differentia.

7. Miſerandum præ ceteris ſpectaculum ii ediderunt, qui fidem negaverant; nam & ipſi in carcerem conjecti, detentique eadem cum confeſſoribus patiebantur; quin duplo gravius vexabantur. Confeſſores enim & teſtimonium bonæ conſcientiæ, & ſpes imminentis futuræ beatitudinis, martyrio obtinendæ, mirifice recreabat; eos econtra ſceleris conſcientia torquebat, ita ut vultu ipſo, aſpectuque facile dignoſcerentur a ceteris. *Illi quippe hilares incedebant, majeſtatem quamdam venuſtati intermixtam vultibus præferentes; adeo ut vincula ipſa ipſis ornatum addidiſſe viderentur: hi vero demiſſo vultu, abjecti, & ſquallidi, ac ſordidi omnique deformitatis genere cooperti: ab ipſis quin etiam Gentilibus probro affecti utpote ignavi, atque imbelles, qui homicidarum quidem ſibi ipſis crimen impoſuiſſent; Chriſtianorum autem venerandum, & glorioſum nomen amiſiſſent. Quæ cum ceteri viderent, magnopere confirmabantur. Et ſi quidam poſtea comprehendi contigerat, is ſtatim abſque ulla cunctatione confitebatur, ne cogitatione quidem tenus conſilium, ac ſuggeſtionem Dæmonis admittens.*

Martyres per Irenæum epiſtolam mittunt ad Eleutherium.
Euſeb. lib. 5. 3. 4.

8. Interea dum ſancti Martyres in carcere detinerentur, beſtiis, aut igni in amphitheatro tradendi, epiſtolam ad Eleutherium Romanum Pontificem Irenæo Lugdunenſis Eccleſiæ presbytero perferendam dederunt: qua rogabant, ut pacem Eccleſiis, Montaniſtarum ſchiſmate turbatam, redderet, ſimulque multis Irenæum laudibus celebrarunt: *Dum in vinculis adhuc eſſent*, ait Euſebius, qui ejuſmodi epiſtolam præ oculis habuit, eamque, ut in proœmio libri quinti, & capite quarto ejuſdem libri teſtatur, integram ſuæ inſeruerat collectioni de Martyrum paſſionibus: *dum in vinculis adhuc eſſent, ad fratres in Aſia, & Phrygia degentes, partim ad Eleutherium Romanæ Urbis Epiſcopum ſcripſerant*; & iterum: *Iidem Martyres Irenæum, qui tunc temporis adhuc Presbyter Lugdunenſis Eccleſiæ erat, ſupradicto Eleutherio per litteras commendarunt .... ſicut ipſorum verba declarant: Te per omnia, ac perpetuo optamus in Deo valere, Pater Eleuthere. Has litte-*

Jesu Chr. an. 177.

litteras ut ad te perferret, fratrem & collegam noſtrum Irenæum hortati ſumus. Quem quidem ut commendatum habeas, rogamus, utpote æmulatorem teſtamenti Chriſti. Quod ſi nobis compertum eſſet locum cuiquam conferre juſtitiam, eum tamquam presbyterum Eccleſiæ (hunc enim gradum obtinet) tibi inprimis commendaſſemus. Hactenus ex Confeſſorum epiſtola Euſebius, quam & Cleri Lugdunenſis nomine inſcriptam fuiſſe, illis verbis ſignificat: *Has litteras ut ad te perferret, fratrem, ac collegam noſtrum Irenæum hortati ſumus.* Hæc tamen epiſtola, ſi Blondello credimus, neque ad Eleutherium Pontificem data eſt, neque eam Irenæus presbyter detulit; ſed cum ad Aſiæ Eccleſias tantum ſcripta eſſet longum poſt tempus, cum ſcilicet Photino in Epiſcopatu Irenæus ſucceſſiſſet, *aliquot annis poſt Martyrum exceſſum*, idem a Fraternitate univerſa deſtinatus, eam epiſtolam in carcere ſcriptam Martyrum nomine Romam detulit. Hæc Blondelli commenta ex confuſa rerum geſtarum chronologia neceſſario profluunt; nam cum perſecutionem, & Photini Epiſcopi Lugdunenſis martyrium anno 167. alligaverit, Irenæi legationem decennio diferre omnino debuit, ut ad Eleutherii tempora perveniret. His tamen adverſari Euſebium, nulli dubium eſt, dum Martyrum litteras per Irenæum presbyterum ad Eleuterium Pontificem delatas tradit. Neque etiam Valeſio aſſentiri poſſumus adnotanti, eum quidem a Martyribus, & ab omni Clero Lugdunenſi ad id delegatum fuiſſe; ob ſecutam vero Photini Epiſcopi mortem illud præſtare non potuiſſe, niſi poſtquam ſedata demum perſecutione, pax Eccleſiæ reſtituta fuit: quod Euſebii auctoritate confirmare ſatagit, dum narrat, poſt Photini martyrium Irenæum in ejus locum ſubrogatum fuiſſe; quæ ſane, etſi vera ſint, nequaquam tamen ejuſdem favent opinioni. Quis etenim erudito viro dixit, Photini morte tunc interveniente, impeditum fuiſſe Irenæum, quin mandata a Clero, & Martyribus Lugdunenſibus perficeret, & legationem ſibi creditam obiret? Nonne epiſtolam perferre potuit, dum adhuc Photinus viveret, aut etiam poſt Photini martyrium brevi reverſurus, ut in ejuſdem locum ſuccederet? His adde, quod ſi Irenæus epiſtolam ad Eleutherium non detulit, ſed alius quiſpiam; qui fieri poteſt, ut Irenæi commendationem eadem retineret, quam tamen Euſebius legerat? Nec defuit cauſa, cur vigente adhuc ſævi-

Blondell. Apol. pro Hier. cap. 8.

Valeſ. Euſeb. 4.

Vide Maſſuet. diſſert. 2. in Iren. pag. 81.

JESU CHR. AN. 177

Hier. de Vir. illuſtr. in Irenæo. Euſeb. lib. 5. 3.

viſſima perſecutione Romam mitteretur. Ob quaſdam quæſtiones deſtinatum fuiſſe, tradit Hieronymus, ideſt ob Montaniſtarum pſeudo-prophetias, quæ eo tunc Galliarum Eccleſias turbaverant: *Cumque illorum hominum cauſa* (ideſt Montaniſtarum) *diſſenſio orta eſſet, qui in Gallia erant fratres, privatum de his judicium ſuum, religioſum in primis, & cum recta fide conſentiens eidem epiſtolæ ſubjunxerunt*: deinde *pro pace Eccleſiarum quaſi legatione fungentes, ad Eleutherium Romanæ Urbis Epiſcopum ſcripſerant*; in tantis enim anguſtiis conſtituti, pro difficillimis quæſtionibus tollendis Romani Pontificis auctoritatem, ac ſolertiam ſibi non defuturam ſperabant. Inſuper ſi conjecturis definienda res eſſet, Irenæum, perſecutionis tempore, Lugduno abſuiſſe, a veritate quidem non alienum videtur. Nam quo tempore Lugdunenſes cujuſcumque ſexus, ætatis, & conditionis extremis afficiebantur ſuppliciis, ſolus fere Irenæus, in tanta Chriſtianorum ſtrage, Gentilium odia vitavit, incolumiſque evaſit: ergo non alia de cauſa, niſi quia impoſitam ſibi tunc temporis legationem ſuſceperat. Idque divino factum conſilio cenſendum eſt, ut afflictas Galliarum Eccleſias, Lugdunenſem præcipue, ſua poſtea cura, & ſolicitudine Epiſcopus erigeret.

Martyres ad beſt[illegible] damna[illegible] [illegible]ty-ri[illegible] [illegible]an-[illegible]

9. Ad Martyrum certamina redeundum eſt. Maturus igitur, & Sanctus in Amphitheatrum ad beſtias ducti, omnia rurſus tormentorum genera ſubierunt, quin flagrorum verbera, beſtiarum ipſos trahentium morſus, aut ferrea poſtremo cathedra, cui ſuperpoſiti torrebantur, vel ſævientium animum explerent, vel illorum conſtantiam inflecterent. Hi ergo duriſſima perfuncti pugna, ſpectaculumque facti Mundo, cum vitalem ſpiritum diu protraxiſſent, tandem jugulati ſunt. Blandinam vero ad palum ſuſpenſam, beſtiiſque objectam, cum nulla tunc illius corpus attigiſſet, ex ſtipite depoſuerunt, ac rurſus in carcerem conjecere, in aliud certamen reſervatam. Attalus demum vehementer a populo poſtulatus ad ſupplicium, utpote vir valde celebris, per Amphitheatrum circumductus eſt, præcedente ipſum tabella, in qua latino ſermone inſcriptum erat: *Hic eſt Attalus Chriſtianus*: quem Præſes, cum civem Romanum eſſe comperiſſet, in carcerem reduci juſſit. In more quippe erat, quin & Lege cautum, ne Præſides in cives Romanos jus gladii exercerent; crimine tamen cum eſſent accuſati, aut Romam mittebantur, aut Imperatoris ſententia expectabatur. 10. In-

Jesu Chr. an. 177.

10. Interea dum de Imperatore conſulendo agebatur, Attalo revelatum eſt, non recte agere ex Confeſſoribus unum, Alcibiadem nomine, *qui & creaturis Dei minime uteretur, & aliis exemplum ſcandali fieret*; nullum quippe cibum, præter panem, & aquam admittebat. Admonitus tamen, ne fucatam Montaniſtarum abſtinentiam ſequi videretur, *cunctis deinceps cibis promiſcue uti cœpit*. Nec prætereundum hoc loco, Attali aliorumque Martyrum induſtria, lapſos, qui veluti mortua jam Eccleſiæ membra plorabantur, ad vitam fuiſſe revocatos, iterumque interrogatos, confeſſionem fidei conſtantiſſime emiſiſſe. Tanta vero Martyrum modeſtia, & humilitas erat, ut quamvis in eum gloriæ culmen evecti eſſent, ut non ſemel, atque iterum, ſed ſæpius martyrium ſubiiſſent; tamen nec ſe ipſos Martyres prædicarent, nec ab aliis appellari paterentur: ſi quis autem per litteras, aut in familiari colloquio hujuſmodi titulo eos compellaſſet, objurgabant graviter, atque increpabant. *Martyris enim appellationem libentiſſime concedebant Chriſto, utpote fido, veroque teſti, & Primogenito mortuorum, vitæque cœleſtis Principi, & auctori.*

De Alcibiadis abſtinentia. *Euſeb. lib. 5. 2.*

Apoſtatæ ad fidem revocati, Martyrium obtinent.

Martyrum modeſtia, & humilitas.

11. Ut M. Aurelii reſcriptum Præſes accepit, quo juſſum eſt, ut *confitentes gladio cæderentur, hi vero qui negarent, incolumes dimitterentur*; beatiſſimos Martyres ad Tribunal adductos denuo interrogavit. Cumque omnes una voce, ii etiam, qui prius negaverant, præter Ethnicorum expectationem, Chriſti fidem profiterentur; alios beſtis, alios, & præcipue qui Romani cives erant, capite damnavit. At vulgus moleſte ferens eorum, qui defecerant, reſipiſcentiam, adverſus Alexandrum quemdam medicum, natione Phrygem, ſed ob eximiam in prædicanda fide libertatem notiſſimum, conclamare cœpit; hic enim Tribunali adſiſtens, viſus erat imbecilliores ad confeſſionem nutibus concitare: qui a Præſide interrogatus, cum Chriſtianum ſe eſſe dixiſſet, ad beſtias & ipſe damnatus eſt. Poſtridie igitur una cum Attalo (nam & hunc Præſes, gratificari populo ſtudens, beſtiis rurſum tradiderat) in amphitheatrum ductus eſt, maximoque perfuncti certamine, gladio tandem percuſſi ſunt.

Martyres iterum interrogati martyrio afficiuntur.

Alexandri Medici martyrium.

12. Hos demum ſubſequens Blandina, ultimo ſpectaculorum die una cum Pontico adoleſcente, qui annum vix quintum decimum attigerat, rurſus in arenam deſcendit; & licet

Blandinæ, & Pontici martyrium.

JESU CHR. AN. 177.

cet antea uterque ſimul in reliquorum conſpectum quotidie fuiſſent introducti, ut vel totidem cruciatibus augerentur, vel præ ipſorum feritate a propoſito deterrerentur; adacti denuo per Gentilium ſimulacra jurare, cum eorum Deos aſpernarentur, adeo multitudinem ad odium incitarunt, ut nec ullam ætati, nec muliebri ſexui habuerint rationem. Ponticus igitur expertus omnia pœnarum genera, ſororis tamen exhortationibus confirmatus, cunctaque generoſe perpeſſus, animam exhalavit. Beata vero Blandina omnium poſtrema, tanquam nobilis mater, quæ filios ad fortiter pugnandum accenderat, & victores ad Regem præmiſerat, eoſdem certaminum curſus, quos filii confecerant, remetiens, ad eos ire properabat, de exitu ſuo læta, atque exultans, quaſi non ad beſtias, ſed ad nuptiale convivium eſſet invitata. Denique poſt flagra, poſt ferarum vellicationes, poſt ſartaginem, reticulo incluſa, tauro objecta eſt, a quo diu in altum jactata, ac tandem victimæ inſtar jugulata, Martyr occubuit: ipſis etiam Gentilibus ingenue fatentibus, nullam unquam apud ſe fœminam, quæ tot, ac tanta pertulerit, extitiſſe. Sed ne ſic quidem illorum furor, & immanitas conquievit. Quippe feræ, & barbaræ gentes ab humani generis hoſte concitatæ, pacari facile non poterant.

Sanctorum Corpora canibus objecta, & igne conſumpta in Rhodanum projecta.

13. Quin potius aliud quoddam ſæviendi initium in Sanctorum corpora inimicorum protervia invenit. Neque enim ex eo quod a Martyribus victi fuiſſent, pudore, ac verecundia ſuffundebantur; quippe qui humano ſenſu, ac ratione penitus eſſent deſtituti. Sed contra Præſidis ſimul, ac populi magis inde accendebatur furor. Eorum igitur corpora, qui in carcere ſuffocati perierant, canibus objecerunt, ſollicite obſervantes noctu, atque interdiu, ne quis ea ſepulturæ mandaret. Poſt hæc quidquid aut a beſtiis, aut ab igne reliquum fuerat, exponentes, reliquorum denique capita cum ipſis corporum truncis, ſimiliter inſepulta, per ſex dies, additis Militum excubiis, cuſtodierunt, quaſi ingens lucrum facturi, ſi eadem ſepultura caruiſſent. Et alii quidem infremebant, ac dentibus ſtridebant in mortuos, adhuc exquiſitiore quodam ſupplicio eos afficere cupientes. Alii vero irridebant, inſultabantque, ſimulacra ſua laudibus extollentes, ac pœnas de Martyribus ſumptas eis adſcribentes. Tandem cremata, atque in cineres redacta corpora, in profluentis Rhodani alveum

Digitized by Google

veum ſparſa ſunt, ne ullæ deinceps eorum Reliquiæ in terris ſupereſſent. Atque id ea prorſus ratione Gentiles agebant, ne ſpes ulla reſurgendi eis relinqueretur.

Inutili conatu in Martyrum Reliquias ſævitur.
Aug. de cura pro mortuis agenda cap. 6.

14. Sed dignus quidem Auguſtinus, qui de hujuſmodi contumeliis in Sanctorum cadavera illatis audiatur: *Legimus in Eccleſiaſtica hiſtoria, quam græce ſcripſit Euſebius, & in latinam linguam vertit Ruffinus, Martyrum corpora in Gallia canibus expoſita, canumque reliquias, atque oſſa mortuorum, uſque ad extremam conſumptionem ignibus concremata, eoſdemque cineres fluvio Rhodano, ne quid ad memoriam qualemcumque relinqueretur, inſperſos. Quod non ob aliud credendum eſt divinitus fuiſſe permiſſum, niſi ut diſcerent Chriſtiani, in confitendo Chriſtum, dum contemnunt hanc vitam, multo magis contemnere ſepulturam. Hoc enim quod ingenti ſævitia de corporibus Martyrum factum eſt, ſi eis quicquam noceret, quominus beate requieſcerent eorum victorioſiſſimi ſpiritus, non utique fieri ſineretur. Re ipſa ergo declaratum eſt, non ideo dixiſſe Dominum: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, & poſtea non habent quid faciant, quod non eſſet permiſſurus aliquid eos facere de ſuorum corporibus mortuorum; ſed quoniam quicquid facere permiſſi eſſent, nihil, quo diminueretur chriſtiana defunctorum felicitas, fieret, nihil inde ad ſenſum poſt mortem viventium perveniret, nihil ad detrimentum ſaltem ipſorum corporum, quo minus integra reſurgerent, pertineret.* Hucuſque Auguſtinus. Quibus ea addi poſſunt, quæ de iiſdem Martyrum cineribus narrat Gregorius Turonenſis, his verbis: *Cum Chriſtiani mœrorem maximum haberent, quaſi deperiiſſent beatæ Reliquiæ, nocte apparuerunt viris fidelibus in eo loco, quo igni traditi ſunt, ſtantes integri, ac illæſi; & converſi ad viros, dixerunt eis: Reliquiæ noſtræ ab hoc colligantur loco, quia nullus periit a nobis. Hæc renunciantes viri illi cæteris Chriſtianis, gratias egerunt Deo, & confortati ſunt in fide, colligenteſque ſacros cineres, ædificaverunt Baſilicam miræ magnitudinis in eorum honorem* (reddita poſtmodum Eccleſiis pace): *Locus autem ille, in quo paſſi ſunt, Athanaco vocatur; ideoque & ipſi Martyres a quibuſdam vocantur Athanacenſes*: qui licet diverſo die, ac tempore, ut ex Actis conſtat, Martyrii palmam obtinuerint; omnium tamen die ſecunda Junii memoria celebratur.

Eædem miraculo ſe[…]tæ a Chriſti[…]is colliguntur.
Greg. Tur. de glor. Martyr. cap. 49.

Martyr. Rom. die 22. Junii. Bolland. ibid.

Martyrum numerus incertus.

15. Quot vero iidem fuerint, difficile eſt invenire, cum epi-

JESU CHR. AN. 177.

Greg. Tur. de glor. Martyr. cap. 49. & 64. Ado Martyr. die 2. Junii 4. & 15. Septembris, & die 22. 24. April. Ruinart. pag. 62.

Sulpic. Sev. hiſt. lib. 2. c. 1.

epiſtola ad Eleutherium, cujus meminit Euſebius, deperdita ſit, aut adhuc deliteſcat. Eos octo & quadraginta fuiſſe nonnulli tradunt, quorum etiam nomina commemorantur. His addendi ſunt Epipodius, & Alexander, quorum Acta etſi originalia non ſint, antiqua tamen, & fide digna habentur; ita ut ea Ruinartius collectioni ſuæ inſeruerit. Cum Sulpicio id adnotabimus, tunc primum martyria in Galliis fuiſſe celebrata, eo quod aliquanto tardius chriſtiana Religio trans Alpes fuerit diſſeminata. At, ut obſervat Tillemontius, etſi tunc primum Gallicana Eccleſia Martyres Chriſto peperit, temporis tarditatem Lugdunenſium, ac Viennenſium Martyrum numero, & gloria compenſavit.

Athenagoras Apologiam Imperatori offert: quo anno obtulerit.

Præf. in Juſtin. Oper. p. 113.

Tillem. to. 2. p. 631

[illegible] *an.*

[illegible] *an.* [illegible]

[illegible] *tom. 1.* [illegible] *pag. 141.*

[illegible] *not. ad an. 179.*

[illegible] *Dodwell. diſ.* [illegible] *Cyprian.* [illegible] *11.*

16. In Oriente etiam Marci Aurelii perſecutionem ſæviiſſe, ex Athenagoræ pro Chriſtianis legatione, ſeu Apologia hoc anno vel elapſo Imperatori oblata, conſtat, cujus hæc eſt inſcriptio: *Imperatoribus M. Aurelio Antonino, & L. Aurelio Commodo Armeniacis, Sarmaticis, &, quod maximum eſt, Philoſophis*. Eam tamen Pagius & Dodwellus M. Aurelio, & Lucio Vero fratribus anno 166., aut 168. delatam fuiſſe putant, binis adducti argumentis: primo, quod in fine Apologiæ precetur Athenagoras, ut filius patri ſuccedat: *Nos enim*, ait, *pro Imperio veſtro preces ad Deum fundimus, & ut filius, quod juſtiſſimum eſt, in Regno olim Parenti ſuccedat*: quæ de M. Aurelio, & Commodo ejus filio, Imperii conſorte, intelligi vix poſſe, ſcribunt; cum filios, quos ſucceſſores relinqueret, Commodus non haberet. Addunt deinde Athenagoram in inſcriptione utroſque Imperatores Philoſophi titulo exornare, quo ſane & a Juſtino in ſecunda Apologia M. Aurelius, & L. Verus donati ſunt; cum econtra etſi M. Aurelius vita, & moribus Philoſophiam affectaverit, Commodus tamen, utpote turpiſſimis fœdatus moribus, &, teſte Lampridio, *a prima pueritia turpis, improbus, crudelis, libidinoſus, ore quoque pollutus, & conſtupratus fuerit*, Philoſophi titulo indignus erat. At levia hæc ſunt, & ad rem minus apta; nam Athenagoræ votum, ut filius patri in Imperio ſuccederet, Commodo quidem Proconſularis Imperii participi aptari facile poſſe, nemo non videt; optabat enim, ut non ſolum cum patre imperaret, ſed & ut eidem ſuccederet: hinc rogamus, inquit, *ut filius in Regno Parenti ſuccedat*. Quæ profecto verba ad annos 166., aut

168.

Jesu Chr. An. 177.

168. minus commode M. Aurelio convenire poſſunt; cum duos eo tempore filios haberet, Commodum ſcilicet, & Verum: quare non unius tantum, ſed amborum Athenagoras meminiſſet, cum Cæſares utrique, & ad Imperium deſtinati eſſent. Nec majoris ponderis eſt alterum, cui innituntur, argumentum, Commodo nempe Philoſophi titulum aptari non poſſe; nam eadem de cauſa neque Lucius a Juſtino Philoſophus dici potuiſſet, cum & ipſe moribus æque ac vita a Philoſophorum inſtitutis, non aliter ac Commodus longiſſime abeſſet. Philoſophum tamen & Commodum dixit Athenagoras; quia eum optimis inſtituendum diſciplinis, exemplisque pater curaverat: cumque ea oratione captandæ benevolentiæ cauſa in utriusque laudem nonnulla adnotaverit; nil mirum, quod etiam Commodum, Philoſophi filium, ejuſmodi titulo exornaſſet. His adde, ipſum Apologiæ exordium, quo Sarmatici dicuntur Imperatores, Marcum & Commodum deſignare; nam Lucius ſemel tantum ab uno Hieronymo Commodus dictus eſt, nec Sarmatici anno 166., aut 165. dici poterant Marcus, & Commodus, cum nondum Sarmatas viciſſent. Præterea ſi Marco, & Lucio ejuſdem fratri eam detuliſſet Apologiam Athenagoras, non utique, ut filius Patri ſuccederet, ſed ut frater fratri, expetiiſſet. Denique, cum oblatæ Apologiæ tempore *univerſus Terrarum Orbis altiſſima pace perfrueretur*, animadvertendum ſupereſt, eam ſuperiori, aut labenti anno in lucem prodiſſe; nam hiſce tantum annis, M. Aurelio imperante, Romanum Imperium in pace fuit.

Hier. de Vir. illuſtr. in Juſtin.

Athena. apol. cap. 1.

Quis fuerit Athenagoras.

17. His de tempore, quo Apologiam ſuam Athenagoras M. Aurelio obtulit, prænotatis, aliqua de eodem Apologiſta adnotabimus. Hujus omnium primus meminit Epiphanius, ſed jejune nimis, atque obiter: Photius quoque pauca de eodem tradidit, cujus tamen locus Tillemontium, & Dupinium fugit, dum Athenagoram Photio ignotum æque ac Euſebio, & Hieronymo fuiſſe ſcribunt: unde fit, ut vix quidquam de eo apud antiquos occurrat. Alexandrinæ Scholæ ante Clementem præfuiſſe, ex Philippo Sidete ſcribit Dodwellus. Cum vero ejuſmodi teſtis ignotæ ſit ætatis Scriptor, nulliuſque auctoritatis, ut Socratis ac Photii utamur verbis, nullam propterea fidem promeretur: quinimo ſi Euſebio, vel ipſimet Clementi adſentiendum erit, quemadmodum in Inſtitutionum libris a ſe conſcriptis manifeſte innuit, hic non Athanago-

Dodwell. diſſert. in Iren.

Socrat. lib. 7. 27. Phot. Cod. 35.

JESU CHR. AN. 177.
Caron. Martyr. Rom. die 8. Januar.
Tillem. to. 2. pag. 323.
Baſil. de Spir. San. cap. 29.

goram, ſed Pantenum in Cathechetica Schola prædeceſſorem habuit. Inſignem nihilominus ſuæ ætatis philoſophum non ſolum, ac de chriſtiana Religione benemeritum, ſilentibus etiam eccleſiaſticis Scriptoribus, ipſius Athenagoræ opuſcula teſtantur: quem etiam Athenogenem martyrem fuiſſe, cujus meminit S. Baſilius, quique & litteris, & pietate floruit, eruditi viri ſuſpicantur. Neque obſtat, quod veterum nemo Athenagoram martyrem dixerit; nam cum illius opera ignoraverint, mirum non eſt martyrium quoque ignoraſſe. Cæterum pro Chriſto ſanguinem fudiſſe, probabile quidem eſt, cum ea ætate vixerit, qua ex M. Aurelii reſcripto, (de quo in epiſtola Martyrum Lugdunenſium) delati Chriſtiani, ac fidem confitentes, ſupplicio afficiebantur: probabilius vero, cum de eodem conſtet, non modo Chriſtianum Imperatori ſe ipſum prodidiſſe, ſed & Chriſtianorum mores, inſtitutaque vindicaſſe.

An Martyr fuerit.

De Athanagoræ Apologia.

18. Apologiæ ſuæ initio Imperatores, ut erga Chriſtianos æquiores eſſent, his verbis compellat: *Veſter Orbis maximi Reges, alii aliis moribus utitur, & legibus; nec quiſquam lege, aut judicii metu patria inſtituta, etiamſi ridicula fuerint, diligere prohibetur:* quod & pluribus exemplis demonſtrat. Quare quod Chriſtianorum nomen odio haberetur conqueritur, cum non nomina odio digna & pœna ſiut, ſed malefacta: deinde dum univerſus orbis illorum beneficio ſumma pace perfruitur, Chriſtianos tantum *nihil agentes mali, vel potius omnium, ut progreſſu orationis patebit, ſanctiſſime, & æquiſſime de Deo, ac de Imperio veſtro ſentientes, exagitari, rapi, & vexari ſinitis, pleriſque bellum nobis, ob ſolum nomen, inferentibus &c.* obſecramus itaque, ſubdit, *ut & de nobis aliquid cogitetis, quo tandem aliquando a Sycophantis mactari deſinamus. Neque enim ad pecunias ſpectat inimicorum injuria, neque ad multam ignominiam, nec ad aliud quidpiam rei majoris illata damna, hæc enim contemnimus, quamvis ſtudio digna multis videantur; ſed corporibus, ac vitæ noſtræ inſidiantur, criminum acervum in nos effundentes, quæ nos nec cogitatione quidem attingunt.* Poſt aliqua: *Quod igitur commune jus eſt omnium, nos quoque poſtulamus, ut nequaquam odio habeamur, & puniamur, quia dicimur Chriſtiani (quid enim nobis hoc nomen ad nequitiam affert?) ſed judicemur de quocumque quis vocaverit, ac vel abſolvatur refutato crimine, vel convicta improbitate puniamur, non propter* no-

nomen, ſed propter crimen; & paulo poſt: *Nobis quoque ſervetur hæc juris æquabilitas, inquiratur in vitam reorum, nomen crimine omni exſolvatur*.

Calumniæ Chriſtianis affictæ.

19. Crimina autem Chriſtianis afficta, Atheiſmus erant, Thiaſteæ cænæ, & Œdipodei concubitus: quæ omnia per calumniam inventa, & ab eorum moribus alieniſſima pluribus oſtendit. Quæ a Gentilibus Poetis de Deorum numero, natura, officiis traduntur, abſurda omnino eſſe ac ridicula demonſtrat: Chriſtianos deinde unum Deum colentes, nec Atheos, nec damnandos eſſe probat. De caſtis etiam Chriſtianorum moribus diſſerens, inter plurima, eos a promiſcuis flagitiis longe abeſſe, inde facile ſuadet, utpote queis ne aſpicere quidem ad concupiſcendum liceret. Tum addit, Chriſtianorum quidem plurimos uxorem ducere; ſed ſecundum leges, & ut liberos procrearent. Multos tamen reperiri, tum viros, cum mulieres, qui cælibes conſeneſcerent, arctius ſe cum Deo conjunctum iri ſperantes. Tandem de humanarum carnium eſu adverſariorum calumniam retundens: *Tales*, inquit, *cum ſimus, quis, niſi inſulſiſſimus, nos homicidas eſſe dixerit? Neque enim carnes humanas deguſtare poſſumus, niſi prius aliquem occiderimus*. Idque quam impudenter Chriſtianis affingeretur, pluribus evincit argumentis, quæ proſequi longum eſſet.

Chriſtianorum caſtimonia.

Peroratio Athenagoræ.

20. His itaque, aliiſque ad Chriſtianorum innocentiam declarandam prænotatis, orationem ſuam ſic claudit: *Vos autem tum natura, tum doctrina rebus omnino in omnibus boni, ac moderati, & humani, & Imperio digni Imperatores, jam mihi, poſtquam criminationes diſſolvi, ac noſtram in Deum pietatem, & manſuetudinem & animi temperantiam demonſtravi, regio capite annuite. Quinam enim digniores, qui ea, quæ petunt impetrent, quam qui pro Imperio veſtro precamur, ut filius a Patre, prout æquiſſimum eſt, Regnum accipiat, & acceſſionibus ac incrementis Imperium veſtrum, omnibus ditioni veſtræ ſubjectis, augeatur. Atque id quidem noſtra etiam intereſt, quo tranquillam vitam agamus, & impetrata omnia alacres miniſtremus*. Hucuſque in ſua Apologia Athenagoras, cujus etiam adhuc egregius de mortuorum reſurrectione commentarius ſupereſt: quem ſane cum Maurino editore affirmare non dubitamus, expolito dicendi genere, ordinis venuſtate, præacutiſque ad captandam benevolentiam circuitioni- *Præf. p. 113.*

JESU CHR. AN. 177.

bus, jure meritoque Juſtinum ſuperaſſe. At etſi, quinam hujuſmodi Apologiæ fuerit exitus, nobis non innoteſcat; poſt biennium tamen, morte M. Aurelii ſecuta, Chriſtianos ſub Commodi Imperio aliquatenus reſpiraſſe compertum eſt. De noevis autem in Athenagoræ ſcriptis occurrentibus, & an Montaniſtis faverit, ut eruditiſſimus Tillemontius ſuſpicatur, videri plura poſſunt in præfatione ad ejuſdem Opera, ubi doctiſſimus editor tanti viri famam a ſuſpicionibus liberare curavit.

Tillem. to. 3. pag. 250.
Præf. p. 114.

Smyrna terræmotu concuſſa.
Philoſt. p. 579.

21. Labenti anno Smyrnæorum Urbs, horrendo terræmotu concuſſa, maximam accepit cladem, quam lugubri adeo oratione deflevit Ariſtides Philoſophus, ut ipſum M. Aurelium ad lacrymas, Urbiſque inſtaurationem compulerit. Hac itaque de cauſa decennali tributorum immunitate, ut Euſebius ac Dio tradunt, conceſſa, urbem reficiendam curavit Imperator, cui propterea, tamquam Reparatori, ærea ſtatua in foro Smyrnenſi erecta fuit.

Euſeb. Chr. pag. 728.
Dio lib. 71.
Philoſt. ubi ſup.

JESU CHRISTI AN. 178. ELEUTHERII PAPÆ 3.
M. AURELII IMP. 18., ET COMMODI IMP. 3.
COSS. JULIANO RUFO, ET CAVIO ORPHITO.
OLYMPIAD. 239. AN. 2. URBIS AN. 931.

Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus creatus quis fuerit.
Euſeb. lib. 5. 5.

1. Photino Lugdunenſi Epiſcopo vita functo, ut anno ſuperiori diximus, Irenæus ejuſdem Eccleſiæ presbyter, poſt eum Epiſcopus ordinatus eſt: *Cum Photinus*, ait Euſebius, *anno ætatis nonageſimo una cum Gallicanis martyribus cæſus eſſet, Epiſcopatum Lugdunenſis Eccleſiæ poſt illum ſuſcepit Irenæus, quem quidem in adoleſcentia Polycarpi auditorem fuiſſe comperimus*. Eadem Hieronymus, qui non tantum Polycarpi, ſed & Papiæ eum diſcipulum fuiſſe addit. Irenæi patria, genus, ætas, ob veterum ſilentium ignoratur; Aſianum tamen fuiſſe, ac forte Smyrneuſem, non levi conjectura ex ejuſdem ad Florinum epiſtola ſcimus, qua ſe eum, cum puer eſſet, in Aſia apud Polycarpum ſplendide agentem in palatio vidiſſe narrat. Dodwellus quidem vigeſimum quintum annum tunc egiſſe Irenæum tradit, cum inter Polycarpi auditores puer conſederet; viri tamen docti inter Dodwelli figmenta hæc recenſent, atque Irenæum circa annum 140. in lucem veniſſe autumant: unde quadragenarius fere Lugdunenſis Eccleſiæ Epiſcopus hoc anno ordinatus fuit.

Hier. de Vir. illuſtr. c. 35. epiſt. 29.
Euſeb. lib. 5. 20.
Dodvvel. diſſert. 3. in Iren.
Maſſuet. diſſert. 2. in Irenæum p. 78.
Tillem. to. 3. pag. 79.
Dupin. to. 1. pag. 178.
Baſnag. ann. 178.

2. Lug-

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 178.

Irenæi Elogium.

2. Lugdunenſem Epiſcopum, totiuſque Galliæ ſplendidiſſimum lumen maxime commendavit antiquitas. *Vir propterea Apoſtolicus, aut vicinus Apoſtolorum temporibus, omnium doctrinarum curioſiſſimus explorator* a Tertulliano dictus, ac, juxta Epiphanium, *Spiritus ſancti donis, ac cœleſtibus ornamentis inſtructus*, Catholicæ ſemper Eccleſiæ ſtrenuus extitit propugnator, atque in Gallias a Polycarpo miſſus, a Photino Epiſcopo primum diaconus, deinde Lugdunenſis Eccleſiæ presbyter ordinatus, dignus tandem, ut eidem ſuccederet, ac Lugdunenſem Eccleſiam perſecutione vexatam, doctrina & Sanctitate erigeret, diſperſam colligeret, ac fidelium numero eouſque augeret, ut ſi vera narrat Gregorius Turonenſis, non multo poſt, ingruente Severi Imperatoris perſecutione, *per plateas flumina currerent de ſanguine Chriſtianorum, quorum nec nomina, nec numerum colligere potuimus*.

Hier. in c. 64. Iſaj. Baſil. de Spirit. San. c. 29. Tertull. contra Valentin. cap. 5. Euſeb. lib. 3. 23. Epiph. hær. 31. cap. 33. Greg. Tur. hiſt. Franc. lib. 1. cap. 29.

An Irenæus ab Eleutherio Romano Pontifice ordinatus fuerit.

3. Quis Irenæum ordinaverit, manuſque eidem impoſuerit, nobis non conſtat. Nam a Photino Epiſcopo ordinatum fuiſſe, ut ſibi ſuccederet, Haloixius tradit. Alii econtra poſt Photini martyrium id factum narrant, quod & Lugdunenſium Martyrum epiſtola confirmat, quam, perſecutione vigente, ab Irenæo tunc presbytero ad Eleutherium Pontificem delatam fuiſſe ſcimus: quare a Photino, qui perſecutione eadem martyrio occubuit, ordinari non potuit. Cum vero univerſæ Galliarum Eccleſiæ, vel ipſo Tillemontio fatente, aliiſque eruditis viris, ea ætate ſolum Lugdunenſem haberent Epiſcopum; merito quidem cum eiſdem conjicimus, Irenæum Romam eo tempore miſſum, atque Eleutherio commendatum, ab eodem Epiſcopum conſecratum fuiſſe, ne, Photino mortuo, viduatæ Paſtore diu remanerent. Etenim ſi Epiſcopus alicubi in Galliis tunc fuiſſet, Viennæ certe celeberrimi Galliarum Oppidi fuiſſet. Verum ne ullum quidem veſtigium in ſæpius laudata Lugdunenſi epiſtola de Viennenſi Epiſcopo reperitur, etſi Sancti ejuſdem Eccleſiæ Diaconi memoria fiat: quapropter nullum ibidem tunc fuiſſe Epiſcopum inferri poteſt. Præterea non tantum Lugdunenſi, ſed & omnibus Galliarum Eccleſiis Irenæum præfuiſſe Euſebius teſtatur.

Haloixius vita Iren. Euſeb. lib. 5. Tillem. not. 3. in Iren. to. 3. pag. 620. Maſſuet. diſſert. in Iren. pag. 81. Queſnell. in S. Leon. pag. 477. diſſert. 5. pro S. Hilar. c. 13. Euſeb. lib. 5. 23. Maſſuet. diſſer. 2. in Iren.

M. Aurelius in Scythas, alioſque populos iterum proficiſcitur.

4. Rebellantibus, ac tumultuantibus Scythis, aliiſque Germaniæ populis, adverſus eos Marcus una cum filio expeditionem ſuſcepit: *Iterum profectus*, ait Lampridius, *tertio nonas Commodias* (ideſt Auguſti) *Orphito, & Rufo Conſulibus*,

Lamprid. in Commod. c. 12.

JESU CHR. AN. 178.

Capitol. in Marc. c. 27. Dio lib. 71.

bus, ideſt hoc anno. Antequam vero proficiſceretur, Criſpinam, Brutii Præſentis viri Conſularis filiam, Commodo in matrimonium junxit, ait Capitolinus: *Nuptiis celebratis exemplo privatorum, quare etiam congiarium populo dedit; deinde ad conficiendum bellum converſus, in adminiſtratione ejus belli obiit. Triennio bellum poſtea cum Marcomannis, Hermenduris, Sarmatis, Quadis etiam egit ad annum uſque 180., quo obiit*: unde illud triennium incompletum fuit. Pecuniam bello neceſſariam, antequam ex aerario extraheret, a Senatu petiit: *Nos enim*, Patres alloquens, dixit, *uſque adeo nil proprium habemus, ut etiam veſtras ædes habitemus*.

JESU CHRISTI AN. 179. ELEUTHERII PAPÆ 4.
M. AURELII IMP. 19., ET COMMODI IMP. 4.
COSS. AURELIO COMMODO AUG. II., ET T. ANNIO AUR. VERO.
OLYMPIAD. 230. AN. 3. URBIS AN. 932.

Agrippini Epiſcopi Alexandrini obitus, cui Julianus ſucceſſit.

Euſeb. in Chr., & hiſt. lib. 5. cap. 9. Renaudot. hiſt. Patriarch. Alex. pag. 18. Tillem. to. 3. pag. 62.

Agrippino Alexandriæ Epiſcopo e vivis erepto, *Julianus decimus Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopatum ſortitur annis decem*, ait Euſebius in Chronico; in hiſtoria vero ad annum M. Aurelii 19., & ultimum, ideſt ad labentem: *Cum Antoninus novemdecim annis Imperium tenuiſſet, Commodus Principatum accepit, cujus anno primo Julianus Alexandrinæ Eccleſiæ ſuſcepit Sacerdotium, cum Agrippinus duodecim annos Epiſcopalis adminiſtrationis expleſſet*. De Juliano tradit Severus, in divinis litteris erudititiſſimum fuiſſe, modeſtum, religioſum, morumque gravitate inſignem, ac homilias, & ſermones multos ſcripſiſſe. His addit, ejus ſucceſſores extra Urbem latitaſſe, atque furtim Sacerdotum ordinationes feciſſe: quæ quidem, ſi vera is auctor narrat, perſecutionis tantum tempore accidiſſe, arbitramur.

M. Aurelii victoria de Barbaris.

Dio lib. 71. Capitol. in Marc. 27.

2. Paterni Legati induſtria, illuſtrem hoc anno victoriam de Scythis, & Marcomannis M. Aurelius reportavit: *Reſtitere Barbari totam diem*, ait Dio, *tandem victi omnes a Romanis cæſi ſunt. Marcus decimum Imperator dictus eſt*. Cujus Victoriam numiſmata, quæ extant, teſtantur.

JESU

Jesu Chr. an. 180.

JESU CHRISTI an. 180. Eleutherii Papæ 5.
Commodi Imp. 5. Coss. Bruttio Aræsenne II.,
Et Sex. Quintillio Condiano.
Olympiad. 239. an. 4. Urbis an. 933.

Marci Aurelii obitus, cui Commodus ſuccedit.

1. Cum adhuc in Pannonia eſſet Marcus, arma adverſus Marcomannos, Scythaſque illaturus, trophæaque erecturus, XVI. Kalendas Aprilis, ſeu XVII. Martii obiit, cum imperaſſet annos XIX. dies II., annos natus octo & quinquaginta, menſes decem, dies viginti. Vindobone eum obiiſſe, Victor tradit; Syrmii vero Tertullianus. *Vindobone interiit*, ait primus, *maximo gemitu omnium mortalium*. Tertullianus autem: *Majeſtatis ſuæ*, inquit, *in Urbem collatæ grande documentum noſtræ etiam ætati propoſuit, cum M. Aurelio apud Syrmium Reipublicæ exempto die decimo ſexto Kal. Aprilium*. Poſt mortem maximis honoribus, præconiiſque ornatus eſt, atque Deorum numero juxta impium Gentilium ritum nedum adſcriptus, ſed & ſtatuis, columnis, Sacerdotibus decoratus: *Omnes*, ut habet Herodotus, *eum una voce alii parentem probum, alii Imperatorem bonum, quidam fortiſſimum Ducem, nonnulli etiam continentem, moderatumque Principem vocabant*.

Tertull. Apol. cap. 24. Dio lib. 71. Capitolin. in Marc. cap. 8. Victor de Cæſar.

Herod. lib. 1.

De Marci filiis, & libris.

2. Plures ex Fauſtina filios, filiaſque ſuſceperat Marcus, ut ex inſcriptionibus a Mabillonio vulgatis conſtat. Commodum tamen ex maſculis ſuperſtitem tantum, Imperiique ſucceſſorem reliquit; nam Antoninus Commodo frater geminus anno 170. obierat. Ex fœminis vero tres Commodo fratri ſuperſtites vixerunt, ait Lampridius in Commodo. Libros etiam poſteritati M. Aurelius reliquit, duodecim nempe præclaris quidem ſententiis refertos, a Caſaubono editos, quibus & pro acceptis beneficiis Diis ſuis gratias agit, ob id præcipue, quod a vitiis, impuriſque amoribus alienus fuerit. Multaque alia philoſopho non indigna congerit ibidem Ethnicus Imperator de recta vivendi ratione, hominumque vera felicitate, quam fruſtra in honoribus, divitiis, aut voluptatibus quæri, pluribus proſequitur.

Mabill. to. 4. Analect. Lamprid. cap. 18.

Commodi mores impuriſſimi.

3. Marco Aurelio ſucceſſit Commodus, cujus impuriſſimos mores his verbis deſcribit Victor in epitome. *Sævior omnibus, libidine, atque avaritia, crudelitate, nulli fidus,*

ma-

Digitized by Google

JESU CHR. AN.180.

magiſque in eos atrox, quos ampliſſimis honoribus, doniſque ingentibus extulerat. Non illico tamen peſſimus evaſit, ſed paulatim; nam, ſubmotis vitæ ſuæ cuſtodibus, ac præceptoribus a Patre deſtinatis, improbos, ſceleratoſque admiſit; quorum conſilio eouſque in vitia prolapſus eſt, ut crudelitate, & impudicitia nemini cederet, omneſque ſuperaret: Domitiano proinde, Cajo, Neroni ſimillimus. Unde poſt ejuſdem interitum, acclamatum eſſe *Patriæ hoſtem, parricidam, occiſorem Senatus, carnificem ejuſdem, Civium necatorem, impurum gladiatorem, ſæviorem Domitiano, Nerone impuriorem*, teſtatur Lampridius.

Commodus Ultor ſanguinis Chriſtianorum.

4. Ulciſcente Numine, ob innoxium Chriſtianorum ſanguinem injuria effuſum, Urbem, & Orbem immani belluæ, ideſt Commodo, traditum fuiſſe, dubitari vix poteſt, ut Gentiles, qui imperante M. Aurelio in Chriſtianos hucuſque ſævierant, injuſtæ perſecutionis pœnas darent. Hinc factum, ut quo tempore Commodus Romanum vaſtabat Orbem, nullam Chriſtianis moleſtiam inferret, nullaque in eos perſecutio vigeret. Immo cum Eccleſiæ res in tranquilliore ſtatu verſarentur, tum maxime ſalutaris Evangelii prædicatio quampluirimos ad verum Dei cultum undique pertrahebat; *adeo ut multi, qui genere, atque opibus eminebant, ſimul cum univerſa domo, ac familia ſalutem conſecuturi accurrerent*. Ad res Chriſtianas amplificandas Martia quædam fortaſſe opem contulit, quam, Herodiano teſte, utpote Commodo cariſſimam, ſummis honoribus enituiſſe ſcimus; quam & Chriſtianis impenſe faviſſe, auctor eſt Dio: *Hanc*, inquit, *Chriſtianorum ſtudioſam fuiſſe, & quod eſſet apud Commodum magna auctoritate, multa in eos beneficia contuliſſe memoriæ proditum eſt*.

Chriſtiani Commodo imperante, libertate fruuntur.

Herod. lib. 1.

Dio lib. 72.

Commodus Romam redit.

5. Interea Commodus Romanarum deliciarum amore captus, poſt patris funus, pace cum Marcomannis inita, Romam rediit, fauſtis exceptus acclamationibus a Senatu, Populoque Romano, ut pluribus narrant Auguſtæ Hiſtoriæ Scriptores.

Dio lib. 72. Herod. lib. 1. Lamprid. in Commodo a cap. 5. ad 15.

JESU

JESU CHRISTI AN. 181. ELEUTHERII PAPÆ 6.
COMMODI IMPERATORIS 6. ET 2.
COSS. L. AURELIO COMMODI III., ET ANTISTIO BURRHO II.
OLYMPIAD. 240. AN. 1. URBIS AN. 934.

1. De Germanis triumphaſſe Commodum, tradit Euſebius in Chronico: quod & numiſmata tunc edita teſtantur. Lampridius vero de magnificentiſſimo triumpho agens, inter cætera, laſcivis oſculis illum fœdaſſe refert: *Antero poſt ſe locato in curru ita triumphavit, ut eum ſæpius cervice reflexa publice oſcularetur, etiam in Orcheſtra hoc idem fecit.*

Commodi triumphus de Germanis. *Euſeb. in Chron. p. 720. Lamprid. in Comm. cap. 3.*

2. Hoc tempore Chriſti fides ultra Romanum orbem eſt propagata; nam, ut auctor eſt Beda, Britanniæ Rex Lucius, perhonorifica ad Eleutherium Pontificem miſſa Legatione, Evangelii Prædicatores eo deducendos curavit: *Anno ab Incarnatione Domini 156. M. Aurelius, & Antoninus Verus quartus decimus ab Auguſto Regnum cum Aurelio Commodo fratre ſuſcepit, quorum temporibus, cum Eleutherius vir ſanctus Pontificatui Romanæ Eccleſiæ præeſſet, miſit ad eum Lucius Britanniæ Rex epiſtolam, obſecrans, ut per ejus mandatum Chriſtianus efficeretur; & mox effectum piæ poſtulationis conſecutus eſt.* Hæc Beda. Eadem fuſiori ſtylo narrat Baronius. Uſſerius tamen rerum Britannicarum peritiſſimus, ejuſcemodi acta a Centuriatoribus primum, deinde a Baronio Annalibus inſerta, fabuloſa ac nullius auctoritatis eſſe, omninoque rejicienda contendit: quod licet certiſſimum ſit, negari tamen non poteſt, hoc definente ſæculo Britanniæ populos Evangelico lumine illuſtratos fuiſſe, cum id paulo poſt diſerte teſtetur Tertullianus: *Britannorum Romanis inacceſſa loca, Chriſto vero ſubdita*: idemque confirmet Origenes Tertulliano coævus. At quonam tempore Chriſtiana fides Britanniæ Inſulis diſſeminata fuerit, quive Satores, libentius ignorare, quam incerta proferre ſeligimus: quare Lucii Regis legatio ad Eleutherium Pontificem uti res dubia habetur; iſtius vero ad Lucium epiſtolam inter apocrypha monumenta adſcribendam eſſe exploratiſſimum eſt.

De fidei propagatione in Britannia per Lucium Regem. *Beda lib. 1. cap. 40. hiſt. Angl.*

Bar. an. 183. 4. Uſſer. Antiq. Britan. cap. 2. pag. 46.

Tertull. adv. Judæos cap. 7. Orig. hom. 6. in Lucam.

Cautan. in append. p. 23.

3. Multa ſiquidem adverſus hanc Lucii ad Eleutherium legationem objici poſſunt, & ut Euſebii, Hieronymique ſilentium prætereamus, Gilda Britannus, qui & Sapiens dictus eſt,

Lucii legatio ad Eleutherium Pontificem dubiæ fidei habetur.

Jesu Chr. an. 181.

eſt, in ſuo de excidio Britanniæ commentario, ſæculo ſexto ineunte, edito, Chriſtianam fidem ſæculo primo, & Tiberii temporibus illuc illatam fuiſſe, aperte tradit: quæ ſane cum Bedæ hiſtoria convenire non poſſunt. Quapropter ſi Gildæ utpote antiquiori fides eſt adhibenda, corruunt omnino, quæ ab eodem de memorata Lucii legatione traduntur. Nec ex veterum tantum ſilentio ea hiſtoria ſuſpecta redditur, ſed & ex Britannicarum Eccleſiarum diſciplina, quam a Romanæ Eccleſiæ ritibus plurimum diſcrepaſſe ſcimus. Et ne in plura abeamus, adnotare ſufficiet, quod de Britannis narrat Beda, eos ſcilicet, Gregorii Magni temporibus, & Auguſtini Anglorum Apoſtoli, ſexto deſinente ſæculo, Paſchatis feſtum luna decima quarta adhuc celebraſſe; cumque ab Auguſtino, & ſociis urgerentur, ut in celebratione Paſchatis cum Romana, & univerſali Eccleſia conſentire vellent, reſponderunt Britanniæ Sacerdotes: *veram eſſe viam juſtitiæ, quam prædicaret Auguſtinus, ſed non ſe poſſe abſque ſuorum conſenſu, ac licentia priſcis abdicare moribus*, ideſt a moribus olim per fidei ſatores inductis. Quam fidem ſi ab Eleutherii Legatis ſuſcepiſſent, cum eadem ſimul & Romanæ Eccleſiæ diſciplinam circa Paſchatis celebrationem didiciſſent; jam enim ex eo præcipue tempore cum Aſianis hac de cauſa diſputatum fuerat. In eamdem rem obſervandum occurrit, Lucium Regem, qui auctore Beda, ad Eleutherium Pontificem legatos deſtinavit, Eccleſiaſticis non ſolum ſcriptoribus, ſed & profanis ignotum eſſe: ita ut eum nullus ante citatum Hiſtoricum in Britannia regnaſſe dixerit. Cumque, adnotante Uſſerio, nobilior tunc Britanniæ pars Romanis Imperatoribus pareret, qualem Lucius teneret, nemo hactenus dicere potuit. Uſſerius vero, qui antiquitates Britannicas ſcrutatus eſt, etſi ut probabilem Bedæ hiſtoriam admittat, cætera tamen in eamdem rem a Magdeburgenſibus, Baronio, aliiſque tradita, ut inſulſa, ac apocrypha, penitus rejicit, atque ea, quæ de fidei propagatione in Galliis adnotaverat Boſquetius, & ad Britannicas aptari poſſe fatetur; *incertam*, ſcilicet, *longa antiquitate, & poſterorum commentis eſſe originem*: de quibus plura ibidem videri poſſunt.

Beda Hiſt. Anglican. lib. 2. cap. 19.

Uſſer. antiq. Britan. cap. 3. & 4.

Præf. in antiq. Britann. cap. 1. ad 5.

JESU

Jesu Chr. an. 182.

JESU CHRISTI an. 182. Eleutherii Papæ 7.
Commodi Imperatoris 7. et 3.
Coss. Petronio Mamertino, et Trebellio Rufo.
Olympiad. 240. an. 2. Urbis an. 935.

De Blaſti, & Florini ſchiſmate, & hæreſi, *Euſeb. lib. 5. cap. 20.*

1. Vix a Gentilium perſecutionibus Romana Eccleſia reſpiraverat, cum domeſtico ſchiſmate Blaſti, & Florini presbyterorum iterum turbata eſt, quos utpote non recte incedentes, gradu ſuo privatos, ab Eccleſia Eleutherius ejecerat. Florinus Polycarpi diſcipulus, quemadmodum ex Irenæo ſuperius indicavimus, inter Romanæ Eccleſiæ presbyteros adſcriptus, plurima rerum principia ſomniavit, Deumque mali conditorem atque auctorem cum Valentino delirans aſſerebat: illum propterea duobus libris de Monarchia, & de Octonario confutavit Irenæus, edito etiam altero de ſchiſmate adverſus Blaſtum, in quibus cum plurima adverſus Florinum congerat, inde tamen ejus doctrinam uti hæreticam arguit, quod Apoſtolicæ traditioni adverſatur: *Hæc dogmata hi, qui ante nos vixere presbyteri, qui etiam Apoſtolorum diſcipuli extiterant, nequaquam tradiderunt*. Et poſt aliqua: *in conſpectu Dei affirmare poſſum, beatum illum, & Apoſtolicum presbyterum*, (Polycarpum ſcilicet, cujus Florinus auditor fuerat) *ſi quid ejuſmodi unquam audiſſet, exclamaturum continuo, & obturatis auribus ſuis, dicturum fuiſſe, prout ipſi moris erat: Deus bone, quæ me in tempora reſervaſti, ut hæc ſuſtinerem! atque ex loco ipſo aufugiturum, in quo, ſeu ſtans, ſeu ſedens, ejuſmodi ſermones audiſſet*. Hunc memorans Auctor appendicis ad libros Tertulliani de præſcriptionibus, Judaiſmum latenter in Eccleſiam introducere voluiſſe narrat, præcipue in Paſchate, ſecundum legem Moyſis, quarta decima menſis celebrando. Sed & Theodoretus utrumque Valentini hæreſim adoptaſſe ait: *Jam vero Florinus quoque, & Blaſtus, qui in Presbyterorum catalogum Romæ erant cooptati, in Valentini pernicioſam ſectam declinaverunt. Ferunt, beatiſſimum Irenæum eorum morbum deplorantem ſcripſiſſe adverſus Valentinianos*. Auguſtinus vero eum tantum errorem Florino adſcribit, Deum ſcilicet malorum cauſam eſſe. Suos & ipſe diſcipulos habuit, quos magiſtri deliramentis Carpocratianorum obſcœnitates adjunxiſſe, teſtis eſt Philaſtrius.

Euſeb. lib. 5. cap. 20.

Tertull. de præſcrip. cap. 53.

Theodoret. hær. fab. lib. 1.

Aug. de hæreſ. 66.

Philaſtr. de hær. 58.

JESU CHRISTI AN. 183. ELEUTHERII PAPÆ 8.
COMMODI IMPERATORIS 8., ET 4.
COSS. AURELIO COMMODO AUG IV., ET VICTORINO II.
OLYMPIAD. 240. AN. 3. URBIS AN. 936.

Bellum Britannicum exoritur.

Dio lib. 72. Pag. not. an. 183. Baſnag. ibid.

1. De Commodi Imperatoris geſtis plurima narrant Hiſtorici, quæ certa deſcribi chronologia vix poſſunt, cum ea ſingulis annis non diſtribuerint. Bellum vero Britannicum, quod, teſte Dione, longe maximum fuit, hiſque temporibus alligatur, exinde initium habuit, dum Britanniæ incolæ murum tranſgreſſi, qui eos a Romanis dividebat, horum plurimos cum Duce occidiſſent: ad quorum feritatem coercendam Ulpium Marcellum virum fortiſſimum, ac diſciplinæ militaris peritiſſimum Commodus miſit, eiſque gravi affectis clade, Britannici nomen aſſumpſit, ut & Auctores, & numiſmata teſtantur.

Conjuratio Lucillæ in Commodum. Dio lib. 72. Lamprid. in Comm. cap. 3. Ammian. lib. 29. Herod. lib. 29.

2. Per id etiam temporis adverſus Commodum conjuratio inita eſt, cujus auctor Lucilla ejus ſoror, quæ Pompejano viro clariſſimo nupta, annuente Commodo, Auguſtæ honoribus, & Imperatoria ſella in theatro hactenus uſa fuerat. Ut autem Commodus Criſpinam duxit uxorem, cum iis Lucilla abſtinere coacta eſſet, muliebri ſuperbia, & invidia incenſa, Quadratum nobiliſſimum, ac ditiſſimum juvenem, quocum adulterii conſuetudinem habere putabatur, ad fratricidium impulit. Sceleri patrando Pompejanus quidam eligitur, a Pompejano Lucillæ marito diverſus, qui licet pugione nudato in Commodum irrueret, facinus tamen perficere non valuit: ac propterea conjuratione detecta, atque diligenti quæſtione habita, quotquot illius conſcii, aut participes fuerant, abſque diſcrimine interfecti ſunt, Lucilla quoque in exilium primo Capreas miſſa, ac paulo poſt cum aliis plurimis interfecta.

JESU CHRISTI AN. 184. ELEUTHERII PAPÆ 9.
COMMODI IMP. 9. ET 5. COSS. M. EGGIO MARULLO,
ET CN. PAPRIO ÆLIANO.
OLYMPIAD. 240. AN. 4. URBIS AN. 937.

Commodi Imp. crudelitas, & libido.

1. Ut conjuratorum inſidias evaſit Commodus, non ſolum a fontibus pænas ſumpſit; ſed crudelior exinde factus, vel levi ſuſpicione motus, clariſsimos viros ſupplicio affecit: ad

Jasu Chr. an. 184.

Lamprid. in Commod. c. 5. Hered. lib. 1.

ad id etiam Perennis Præfecti Prætorii conſiliis impulſus, qui, teſte Lampridio, Imperatori ſuaſerat, *ut ipſe deliciis vacaret, idem vero curis incumberet*. Hinc factum, ut Commodus a Reipublicæ adminiſtratione in poſterum abſtineret, libidinique deditus cum tercentis concubinis, quas ex Matronarum, & meretricum delectu conciliaverat, tercentiſque aliis puberibus exoletis, quos æque ex plebe, & nobilitate collegerat, in Palatio per convivia, & balnea debaccharetur. Perennis vero, qui Imperii clavum tenebat, conceſſa ſibi facultate abutens, Paternum in dignitate ſocium conſlata calumnia perdidit, &, ut ingentem pecuniam ſibi compararet, dignitatibus, aut divitiis præſtantiores, confictis paſsim criminibus, ſuſtulit.

De verſione ſacræ ſcripturæ a Theodotione facta.

2. Hoc anno, ſi ſua auctori Chronici Alexandrini ſtat fides, Theodotion quidam Judæus, ex Marcionis ſecta, Teſtamentum vetus ex hebraico in græcum tranſtulit. His Conſulibus, *Murullo* ſcilicet, quem perperam Marcellum dicit, & *Æliano*, *Theodotio quiſpiam in Ponto natus, Marcionis Hæreſiarchæ, qui & ipſe Sinope in Ponto oriundus erat*... *qui poſtea a Marcione in Judaiſmum inclinavit*. Epiphanius vero: *Theodotio quidam genere Ponticus, ex Marcionis Sinopenſis factione, ſuis partibus offenſus, ad Judæos defecit, & circumciſus eſt. Dehinc hebraica lingua, & eorum litteris inſtitutus privatam editionem exorſus eſt. Qui quidem in pleriſque cum ſeptuaginta conſentit*. Theodotianæ verſionis meminit Irenæus in ſuo de hæreſibus commentario, vivente Eleutherio Pontifice, circa hæc tempora edito, ubi hæc leguntur: *Non ergo vera eſt quorumdam interpretatio, qui ita audent interpretari Scripturam. Ecce adoleſcentula in ventre habebit, & pariet filium, quemadmodum Theodotion Epheſius eſt interpretatus, & Aquila Ponticus, utrique Judæi proſelyti, quos ſectati Ebionei ex Joſeph generatum eum dicunt*, ideſt Chriſtum. Theodotionis tamen verſionem non omnino repudiavit Eccleſia, ut auctor eſt Hieronymus: *Illud quoque lectorem admoneo, Danielem non juxta 70. Interpretes, ſed juxta Theodotionem Eccleſias legere*. Septuagintaviralem Danielis verſionem, quæ vel ipſo Hieronymi ſeculo deperdita putabatur, ex præſtantiſsimo Ghigiano Codice paucis ab hinc menſibus cum latina verſione vulgavit, Præfatione, notis, eruditiſsimiſque diſſertationibus illuſtratam, clariſsimus vir Si-

Epiph. de menſuris, & pond. num. 17.

Iren. lib. 3. 21.

Theodotionis verſio non omnino exploſa.

Hieron. præf. in Daniel.

Jesu Chr. an. 184. mon de Magiſtris Congregationis noſtræ alumnus, ac opus a doctiſsimo Joſepho Blanchinio Veronenſi, ejuſdem Rom. Congregationis presbytero, inceptum abſolvit; apud quem tum de libro Danielis, cum de Theodotionis verſione plura, eaque ſcitu digna videri poſſunt.

JESU CHRISTI AN. 185. ELEUTHERII PAPÆ 10.
COMMODI IMPERATORIS 10. ET 6.
COSS. TRIARIO MATERNO, ET ATILIO BRADUA.
OLYMPIAD. 241. AN. 1. URBIS AN. 938.

Apollonii Senatoris Martyrium.

1. Quo in ſtatu res Imperii hoc tempore eſſent, ea, quæ de Commodi crudelitate, ac libidine, deque Perennis avaritia nuper adnotavimus, maniſeſte indicant. Inter eos, qui hujus perfidia perierunt, peculiari memoria dignus eſt Apollonius, qui nobilitate, & philoſophiæ ſtudio illuſtris Senatoria dignitate fungebatur, ſed Chriſtianæ fidei confeſsione illuſtrior, martyrii palmam adeptus eſt. Hic in judicium adductus, cum Præſes ab eo inſtanter petiiſſet, ut coram Senatu fidei ſuæ rationem redderet, elegantiſsima oratione pro Chriſtianorum defenſione publice pronuntiata, capitali ſupplicio a Senatu damnatus eſt. *Quippe veteri apud eos lege ſancitum erat, ut Chriſtiani, qui ſemel in jus vocati fuerant, niſi a propoſito ſuo diſcederent, nequaquam dimitterentur. Porro cuncta ab illo in judicio dicta*, ſubdit Euſebius, *& quæcumque Perenni interroganti reſpondit, & orationem illam, quam pro fidei noſtræ defenſione in Senatu habuit, quiſquis noſſe voluerit, ex antiquorum Martyrum paſſionibus a nobis collectis poterit percipere*. Si Euſebiana Martyrum Collectio extaret, plura quidem de eodem addi poſſent. Ejus acta Hieronymum legiſſe, probabile eſt; nam ex eiſdem adnotat, Apollonium piiſsimum Senatorem a ſervo accuſatum fuiſſe: alibi vero eum litteris adeo excelluiſſe, ut inter eos accenſeri debeat, *de quibus in tantum Philoſophorum doctrinis, atque ſententiis ſuos referciunt libros, ut neſcias quid in illis primum admirari debeas, eruditionem ſeculi, an Scripturarum ſcientiam*: diſtinguendum tamen ab altero Apollonio, qui contra Montaniſtas *inſigne, & longum volumen* ſcripſit, Euſebius, & Hieronymus teſtantur.

Euſeb. lib. 5. 21.

Valeſii not. in Euſeb. loc. ſupra citat.

Euſeb. lib. 5. 18. Hier. de Vir. Ill. 40.

JESU

Jesu Chr. an. 186.

JESU CHRISTI an. 186. Eleutherii Papæ 11.
Commodi Imp. 11. et 7. Coss. Commodo Aug. V.,
Et Acilio Glabrione II.
Olympiad. 241. an. 2. Urbis an. 939.

1. Cum hactenus pro libito in civium bona, & vitas debacchatus eſſet Perennis; tandem hoc anno ſcelerum pœnas dedit, miſerrimeque cum uxore, & filiis periit. Rem ſic pandit Herodiadus. Cum ſcenicis operam daret Commodus, pleno ſpectatoribus theatro, repente quidam Philoſophi habitum geſtans cum media in ſcena conſtitiſſet, manu ſilentio indicto, tempus non eſt vacandi ludis aut ſpectaculis, ad Commodum dixit; Perennis enim gladius cervicibus tuis inſtat, atque ad perficiendum facinus pecuniæ, & copiæ præſto ſunt. Quæ ſane verba Imperatorem magna affecerunt admiratione; Perennis vero iram adeo concitarunt, ut hominem comprehendi, ac pro furioſo, & vaniloquo igne comburi juſſerit. Ceterum qui ſe Commodi ſtudioſos videri volebant, peroſi etiam intollerandam Perennis ſuperbiam flagitiaque, calumniis eum premere aggreſsi ſunt. Sed & milites tumultuoſis clamoribus concitati, ipſum, Dione teſte, perduellionis accuſarunt, quorum quingenti ex Italia improviſo accurrentes, atque Commodo obviam facti, cum ab eo de adventu fuiſſent interrogati, reſponderunt: *Propterea quod Perennis tibi inſidias parat, ut filium ſuum Imperatorem deſignet*. Quibus cum Commodus faciles præbuiſſet aures, inſtante potiſsimum Cleandro, qui eum oderat, Prætorianorum militum poteſtati Perennem tradidit, qui eum contumeliis affectum obtruncarunt, quod & Lampridius confirmat.

Perennis interitus. *Herod. lib. 1.* *Dio lib. 72.* *Lamprid. in Comm. cap. 6.*

2. In defuncti locum Cleander ſucceſsit, Perenne ſceleſtior, qui ex ſervili conditione, & cubiculi cura, repente Militum Præfectus creatus, tantæ apud Commodum auctoritatis fuit, ut & Byrrum Imperatoris cognatum, ſceleribus ſuis obnitentem, affectati Imperii accuſatum, una cum multis aliis interficiendum juſſerit, ut pluribus narrant Lampridius, & Dio.

Cleander Perennis ſucceſſor. *Dio lib. 72.* *Lamprid. in Comm. cap. 6.* *Dio lib. 72.*

3. Hoc etiam anno cum Legiones in Britannia rebellaſſent, Pertinacem illuc Commodus miſit, ut eas in officio contineret. Ut autem rem perfecit, legatione ſe abdicavit, cum

Pertinax ſeditiones in Britannia compeſcit.

Jesu Chr. an. 186.

cum ob reſtitutam militarem diſciplinam infeſtos ſibi milites reddidiſſet.

JESU CHRISTI AN. 187. ELEUTHERII PAPÆ 12.
COMMODI IMPERATORIS 12. ET 8.
COSS. CRISPINO, ET ÆLIANO.
OLYMPIAD. 241. AN. 3. URBIS AN. 240.

De Irenæi ſcriptis. Euſeb. lib. 5. cap. 5. ad 8. & 26. Hier. de Vir. ill. cap. 35.

1. Pietate, & eruditione claruiſſe Irenæum, ex Euſebio, & Hieronymo ſcimus, qui ejuſdem Opera recenſentes, quinque libros adverſus hæreſes eum ſcripſiſſe tradunt; ſed & epiſtolas ad Victorem Papam, ad Blaſtum, ac Florinum de Schiſmate, & Monarchia, adverſus Gentes librum unum de Scientia inſcriptum, alterum vero Marciano datum; denique libellum variarum diſputationum. Ex tot tamen Irenæi elucubrationibus libri tantum quinque adverſus hæreſes, tanquam reliquæ poſt naufragium tabulæ, ſuperſunt, quos diu ardentique animo conquiſitos Gregorius M. invenire non potuit, ut ex ejuſdem epiſtola ad Æterium Viennenſem conſtat: *Geſta vero, vel ſcripta B. Irenæi jam diu eſt, quod ſolliciti perquiſivimus, ſed hactenus ex iis inveniri aliquid non valuit.* Hoc autem tempore eos Irenæum conſcripſiſſe, ex eo patet, quod, Romanorum Pontificum Catalogum texens, in Eleutherio deſierit: *Cum autem ſucceſſiſſet Aniceto Soter, nunc duodecimo loco Epiſcopatum ab Apoſtolis habet Eleutherius.* Duabus vero de cauſis in id operis incubuerat Irenæus: prima, ut amico cuidam ſatisfaceret, a quo rogatus fuerat, ut abſtruſa Valentinianorum myſteria, atque portenta, manifeſta redderet: altera, ut Marcoſiorum hæreſim ex Valentinianis progenitam, quæ in *Rhodanenſes regiones* irrepſerat, quæque mulieres nonnullas corruperat, confutaret. Difficilem ſane provinciam eo, quo potuit, ſtyli candore, & ſententiarum perſpicuitate executus eſt, etſi materiæ obſcuritate obrutus, parum perſpicuus aliquando videatur, quod imperitiæ ſuæ Irenæus adſcribit: *Neque conſcribere aſſueti*, ait, *neque qui ſermonum arti ſtuduerimus*: poſt pauca: *Non autem exquires a nobis, qui apud Celtas commoramur, & in barbarum ſermonem plerumque vacamus, orationis artem, quam non didicimus, neque vim conſcriptoris, quam non affectavimus, neque ornamentum verborum, neque ſuadelam, quam neſcimus. ſed*

Greg. epiſt. 56. lib. 11.

Iren. lib. 3. 3. pag. 176.

ſed ſimpliciter, & vere idiotice ea, quæ tibi cum dilectione ſcripta ſunt, cum dilectione percipies.

JESU CHR. AN. 187.

2. Inter plurima notatu digna, quæ ibidem Irenæus memorat, illud non eſt prætereundum, quod ſecundo libro habet, in Catholica ſcilicet Eccleſia chariſmatum & miraculorum dona ſua ætate perſeveraſſe, quibus Fideles illuſtrati dæmones ejiciebant, aliqui futura prædicebant, infirmos alii curabant, aut mortuos ſæpenumero ſuſcitabant: idque tanta evidentia, ut omnem fallendi ſuſpicionem, aut avaritiæ excluderent, gratis cuncta, prout acceperant, elargientes. Ex eodem Irenæo divinarum Scripturarum catalogum recenſet Euſebius, multaque alia de earumdem Scripturarum verſionibus ex eodem refert, ac primum de ea, quæ a ſeptuaginta interpretibus facta dicitur, deinde de ceteris poſt Chriſtum natum, ab Aquila ſcilicet, & Theodotione, tum de ejuſdem ſacræ Scripturæ reſtauratione, quæ ſub Eſdra, poſt reditum e captivitate, contigit. De quibus, ni nos brevitatis propoſitum revocaret, multa quidem dicenda forent, cum nonnulla ibidem adnotentur, quæ ab eruditis in dubium vocantur: cujuſmodi ſunt, quæ de ſeptuagintavirali Scripturarum editione narrantur, quam uti puram putamque fabulam plerique putant, Dupinius nempe, Hodius, Vandalius. Alii econtra Ariſteæ hiſtoriam de ſacræ Scripturæ verſione ex Hebræo in Græcum a ſeptuaginta viris facta, uti veriſſimam tuentur, ac pro ea, tanquam pro aris & focis decertant: quo in argumento, ut ceteros prætcream, verſatus eſt Anonymus editor, ſeu Simon de Magiſtris Congregationis Oratorii Rom. Presbyter, qui, ut ſuperius innuimus, nuperrime Danielis librum ex ſeptuagintavirali verſione Romæ edidit, ac quantum in obſcura difficilique quæſtione ingenio polleat, ſatis oſtendit. Ab iis itaque ſcriptoribus, quæ in utramque partem afferri poſſunt, lector curioſus habebit, dum nos hiſtoriæ curſum proſequimur.

Chariſmatum dona in Eccleſia Catholica Irenæi ætate perſeverant.

De Scripturarum catalogo, & verſione 70. Interpretum Irenæi ſententia. *Euſeb. lib. 5. 7.*

JESU CHRISTI AN. 188. ELEUTHERII PAPÆ 13.
COMMODI IMPERATORIS 13. ET 9.
COSS. ÆLIO FUSCIANO II., ET DULLIO SILANO II.
OLYMPIAD. 241. AN. 4. URBIS AN. 941.

1. Ex Septimio Severo, qui poſt Commodum imperavit, Caracalla, qui & Antoninus dictus eſt, Lugduni hoc na-

Caracallæ ortus.

Jesu Chr. an. 188.

Tillem. to. 3. pag. 592. hiſt. Imp. Pag. ad ann. 189. 196. 197. Baſnag. ann. 188. Spart. in Sever. cap. 3. Dio lib. 74. Herod. lib. 4.

natus eſt anno, die quarta Aprilis. Qua matre, variant Auctores: nonnulli cum Spartiano ex Martia Severi prima uxore natum: alii ex Julia ſecunda uxore tradunt. Hinc primi Juliam Getæ matrem, Caracallæ novercam dicunt: ſecundi vero tam Caracallæ, quam Getæ matrem eam fuiſſe ſcribunt, quorum præferenda opinio eſt; nam quo tempore de diviſione Imperii inter ſe certarent Caracalla, & Geta, eos Julia mater ſic alloquitur: *Terram quidem & Mare, o filii jam inveniſtis, quomodo dividatis: Matrem vero quonam modo dividetis? Me primam igitur occidite, dimidiamque uterque apud ſe partem ſepeliat*. Quæ verba non novercæ, ſed matris ſunt, quæ ambos filios tenero amore complectitur. Sequenti anno natus eſt Geta, Caracallæ frater: *natus eſt Geta*, ait Spartianus, *Severo, & Vitellio Coſſ. ex Julia ſexto Kal. Junias*, cui Chronologiæ Dio favet, dum tradit: *Geta natus erat viginti duos annos, menſes novem, cum a fratre interfectus eſt*. Cum igitur Getæ interitus anno 212. contigerit, ejus nativitas ſequenti anno eſt alliganda. Sed de Severo, ejuſque filiis Caracalla, & Geta Imperatoribus ſuo loco infra.

Dio lib. 77.

JESU CHRISTI AN. 189. ELEUTHERII PAPÆ 14. COMMODI IMPERATORIS 14., ET 10. COSS. SERVILIO SILANO, ET DULLIO SILANO. OLYMPIAD. 242. AN. I. URBIS AN. 942.

Juliani Alexandrini Epiſcopi obitus, cui Demetrius ſuccedit.

Euſeb. hiſt. lib. 5. 9. & 22.

I. Poſt Julianum, Alexandrinæ Eccleſiæ Cathedram Jabenti anno aſcendiſſe Demetrium, non obſcure innuit Euſebius, qui Juliani initia cum anno primo Commodi alligat, eamque Sedem decennio tenuiſſe tradit: *Commodo decimum annum Imperii agente .... cum Julianus decimum annum expleſſet, Eccleſiarum Alexandriæ adminiſtrationem ſuſcepit Demetrius*. Is inter Alexandrinos Antiſtites undecimus recenſetur, ceteriſque celebrior, cum ea tempora attigerit, e quibus certiora extant Eccleſiaſticæ hiſtoriæ monumenta; tum etiam ob ejuſdem in Origenem geſta. Sanctitate & doctrina illuſtrem fuiſſe, ac divina revelatione, etſi uxoratum, ab agrorum cultura ad Epiſcopale munus electum narrant Orientales hiſtorici, Severus, Eutychius, aliique. De illius autem geſtis, præſertim contra Origenem, inferius ſuo loco agemus, non quidem ex iis auctoribus, qui una cum omnibus

Renaudot. hiſt. Patriarch. Alex. pag. 46.

fere

Jesu Chr. an. 189.

fere Orientalibus, Jacobitis, Eutychianis, Neſtorianis, multa de Origene fabulantur, innumeriſque onerant probris, ſed ex antiquioribus, ſincerioribuſque Eccleſiæ monumentis. Id tantum nunc adnotamus, Demetrium primo Origeni multum faviſſe, etiam poſt audax mutilationis facinus; poſtmodum vero ſive invidia, ſive alia de cauſa in ipſum accenſum, litteris uſquequaque datis, illuſtrem virum Alexandria ejeciſſe, ac Presbyterali munere & honore abdicaſſe.

De Serapione Antioch. Epiſcopo, ejuſque operibus. *Euſeb. lib. 5. 22.* *Lib. 6. 12.*

2. *Per id tempus*, ait Euſebius, ideſt anno decimo Commodi Imperatoris, *Serapio, de quo paulo ante diximus, Antiochenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſucceſſionis ordine octavus ab Apoſtolis etiam tum florebat*. De ejuſdem eruditione, & operibus hæc alibi adnotat: *Serapionis quidem multa alia doctrinæ monumenta penes alios extare credibile eſt*. Deinde quæ ſua ætate ſupererant, recenſens, primo epiſtolam, ſeu librum numerat ad Domninum quemdam, qui perſecutionis tempore a fide Chriſti ad Judæorum ſuperſtitionem deſciverat: tum aliam ad Ponticum, & Caricum Eccleſiaſticos viros adverſus Cataphrygarum hæreſim: his demum addendus eſt liber de Evangelio Petri; cum enim ex Roſſonenſi Parœcia nonnullos inveniſſet, qui ſub ementito Evangelio Petri nomine vulgato a recta fide deflexerant, ut cautiores redderentur, venenaque vitarent, admonendos cenſuit, atque inter cetera: *Nos*, ait, *fratres, Petrum, & reliquos Apoſtolos, perinde ac ipſum Chriſtum, ſuſcipimus*: quæ tamen illorum nomine falſo inſcripta ſunt, repudianda eſſe admonet. Eadem de Serapionis opuſculis cum Euſebio Hieronymus prodit in ſuo de Scriptoribus catalogo.

Hieron. de Vir. Ill. c. 41.

De aliis Epiſcopis pietate aut doctrina illuſtribus. *Euſeb. lib. 5. 22.*

3. Eadem ætate, qua Alexandriæ Demetrius, Serapio Antiochiæ florebat, alios etiam doctrina, aut pietate illuſtres Epiſcopos vixiſſe commemorat Euſebius, Cæſareæ nempe in Palæſtina Theophylum, Corinthi Bacchylum, Polycratem Epheſi, Narciſum quoque, qui Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Epiſcopatum tenuit. *Sed & alii*, ſubdit, *præter hos innumerabiles iiſdem, ut credibile eſt, temporibus enituerunt, ſed nos eorum dumtaxat nomina recenſuimus, qui rectæ fidei doctrinam ſcriptis ſuis proditam nobis reliquerunt*. De Narciſo Hieroſolymorum Epiſcopo, *multorum ſermonibus claro*, decimumquintum ex eorum numero fuiſſe ait; cum enim poſt Judæorum obſeſſionem, quæ Hadriano regnante facta eſt, ex gentilibus eadem præcipue Eccleſia coaluiſſet, ex gentibus quo-

De Narciſo Epiſcopo Hieroſolym. *Euſeb. lib. 5. 12.*

Jesu Chr. an. 189. que Epiſcopi eſſe cœperunt , cujuſmodi fuerunt Marcus , & Narciſus , quorum catalogum ibidem texit : ſed cum tempus , quo quiſque ſedit , invenire non potuerit , nec nos ea de re ſolliciti ſumus .

JESU CHRISTI AN. 190. ELEUTHERII PAPÆ 15.
COMMODI IMPERATORIS 15. , ET 11.
COSS. AURELIO COMMODO VI. , ET PETRONIO SEPTIMIANO.
OLYMPIAD. 242. AN. 2. URBIS AN. 943.

Pantenus Alexandriæ docet , ad Indos proficiſcitur. *Euſeb. lib. 5. 10.* *Hier. de Vir. Ill. 36.*

1. Imperante Commodo , ac ſub Alexandrinis Epiſcopis Iuliano , & Demetrio , ſacris litteris edocendis , ſeu Scholæ Catechiſticæ , quæ a priſcis temporibus Alexandriæ conſtituta erat , vir doctrina celeberrimus præerat Pantenus , qui paulo poſt , dilatandi evangelii zelo flagrans , ad Indiam uſque progreſſus , Evangelium Matthæi apud quoſdam Chriſti notitia imbutos reperiſſe perhibetur , quibus Bartholomæus , ut fama erat , Hebraicis conſcriptum litteris reliquerat . A Demetrio *Hier. ut ſup.* illuc miſſum fuiſſe , tradit Hieronymus : *Tantæ eruditionis & prudentiæ , tam in Scripturis divinis , quam in ſeculari litteratura fuit , ut in Indiam quoque rogatus ab illius gentis legatis , a Demetrio Alexandrino Epiſcopo mitteretur* ; & in epi- *Hieron. epiſt. 70.* ſtola ad Magnum : *Pantenus a Demetrio Alexandrino Epiſcopo miſſus eſt in Indiam , ut Chriſtum apud Brachmanas , & illius gentis Philoſophos prædicaret* . An in Orientalem Indiam , ab Indo flumine ſic dictam , revera perrexerit Pantenus , ut innuit Hieronymus , vel potius in Æthiopiam Ægypto conterminam , ab antiquis Indiam etiam dictam , ob veterum ſilentium non conſtat . Probabilius tamen , ad viciniores Indos , ideſt Æthiopes tranſiiſſe videtur , ad quos deinde ab Atha- *Socrat. lib. 1. 19.* naſio miſſus fuit Frumentius : *Frumentius ergo Epiſcopali apice decoratus ad regionem Indorum revertitur* , ideſt Auxumam *Phil. lib. 3.* Æthiopiæ Metropolim . Philoſtorgius etiam Æthiopiam Indiæ nomine deſignat , ac Theophilum Æthiopum legatum Indum appellat : *Hujus legationis princeps erat Theophilus* . Quanto tempore in India fuerit Pantenus , quove progreſſu Evangelium prædicaverit , ignoramus . Evangelium Matthæi , a Bartholomæo in Indiam delatum , Alexandriam reportaſſe Pan- *Dupin. diſſert. in to. 3. p. 88. ſac. ſcript.* tenum , improbabile Dupinio videtur : nobis tamen , Euſebio , & Hieronymo idem teſtantibus , inficiari non licet ; nil quippe

pe obſtat , Indos Matthæi Evangelium ad Panteni uſque ætatem illæſum ſervaſſe . Pantenum in Sicilia lucem vidiſſe veroſimile eſt , ut adnotavit Valeſius , quod & Clemens Alexandrinus ejuſdem diſcipulus indicat , dum eum *Apim Siculam , prophetici , & apoſtolici prati flores decerpentem , appellat* . Panteni ſcripta penitus exciderunt , vixque ſupereſt expoſitio in ea Davidis verba , *in ſole poſuit tabernaculum ſuum* , quam Clemens in eglogis exhibet ; ejuſque memoria die ſeptima Julii martyrologio Romano recolitur .

JESU CHR. AN. 190.
Clemens Strom lib. 1.

De Clemente Alexandrino.

2. Ad informandos Chriſtiana fide Indos Panteno profecto , Demetrius inſtruendis catechumenis Clementem Alexandrinum præfecit , qui inter Panteni diſcipulos , pietate , & doctrina cæteris præſtabat . Plurimos quidem præceptores Clemens audierat , Pantenum tamen ceteris excelluiſſe teſtatur . Qui autem , quotve iidem fuerint , ne in re obſcura immoremur , curioſos lectores ad Dupinium , Baſnagium , Poterum , remittimus . De Clementis patria nil certi proferri poteſt . Atticum eum fuiſſe cum Sancto Epiphanio nonnulli tradunt ; Alexandrinum ideo dictum , quod illius Eccleſiæ presbyter eſſet , & Catechiſticæ ſcholæ præfectus : alii vero origine Alexandrinum fuiſſe contendunt . Eccleſiaſtica , & ſæculari litteratura exornatum fuiſſe , non ſolum Euſebius , ſed & ejuſdem Opuſcula teſtantur : Alexander etiam in Cappadocia Epiſcopus in ſua ad Antiochenos epiſtola eum præclaris laudibus celebrat : *Has litteras Domini fratres , per beatum presbyterum Clementem ad vos miſi , virum virtute præditum , & probatum , quem vos , & noſtis jam , & amplius cognoſcetis . Qui quidem Dei nutu , ac providentia , dum hic apud nos præſens eſſet , Eccleſiam Chriſti , & confirmavit , & magnopere auxit* ; in alia autem ad Origenem epiſtola , Pantenum , ac Clementem , Patres , & ſui amiciſſimos dicit : *Patres quippe agnoſcimus beatos illos , qui viam nobis præiverunt , & quos brevi ſequuturi ſumus . Pantenum ſcilicet , vere beatum , ac Dominum meum Clementem , qui me plurimum adjuvit* . Sed de Clementis geſtis , & operibus infra .

Clem. Alex. ſtrom. lib. 1. *tom.* 1. *p.* 322.
Euſeb. lib. 5. 11.
Dupin. tom. 1. *pag.* 187.
Baſnag. ann. 194. 10.
Valeſ. in Euſeb. loc.
Joan. Poter. Oxonien. notæ in dictum Clementis locum.
Euſeb. præp. Evang. lib. 2. 3
Euſeb. lib. 6. 11. & 14.

JESU CHRISTI AN. 191. VICTORIS PAPÆ I.
COMMODI IMPERATORIS 16., ET 12.
COSS. CASSIO APRONIANO, ET VALERIO BRADUA.
OLYMPIAD. 242. AN. 3. URBIS AN. 944.

Eleutherii Papæ obitus. *Dodvvell. diſſert. de primorum Pontiſ. Rom. ſucceſſ. inter Pearſ. opera.* *Pag. Paarſonius.* *Coutan. Tillem. in Eleutherum.* *Euſeb. chron. pag. 725. hiſt. lib. 5. in proœmio & c. 22. 28.*

1. De anno Eleutherii ultimo diſſident eruditi, quem alii anno 177., aut 185., alii 193. obiiſſe tradunt. Euſebius annos quindecim Romanam Sedem eum tenuiſſe ſcribit in Chronico; in hiſtoria vero annos tredecim, ab anno ſcilicet Marci Aurelii 17., Chriſti 177., ad annum Commodi decimum, ideſt 189.: *Interea Commodo decimum annum Imperii agente, cum Eleutherius tredecim annis Epiſcopatum adminiſtraſſet, Victor in ejus locum ſucceſſit*: deinde ſucceſſoris annos computans, addit: *Cum decem annis Sacerdotium adminiſtraſſet, Zephyrinus ei ſucceſſor ſubſtitutus eſt, anno Principatus Severi circiter nono*, ideſt anno 202. Ab anno tamen Commodi decimo, Chriſti 189., ad Severi nonum, Chriſti vero 202., non ſolum decem excurrunt anni, quot Victorem ſediſſe tradit, ſed duodecim, aut tredecim: hinc ſequeretur Eleutherium quindecim annos ſediſſe, aut Victorem duodecim, & in alterutro erraſſe Euſebium, vel in ejuſdem textu mendum irrepſiſſe; quod & probabilius eſt, atque annos quindecim Eleutherio eſſe attribuendos uſque ad labentem, quo obiit. Ejus memoria martyrologio Romano VII. Kal. Junii celebratur; Hieronymiano autem Septembris die ſexta. An martyrio occubuerit, ignoratur: attamen cum certum ſit, Martyris titulo eos etiam fuiſſe inſignitos, qui etſi pro Chriſti fide ſanguinem non fudiſſent, pro ea perſecutiones paſſi fuerant, hinc Eleutherium inter Martyres recenſendum eſſe, merito Baronius cenſuit.

Martyr. Rom. 26. Mai. *Bol. ibidem.* *Baron. ann. 194.* *Bar. not. in Martyr. Rom.*

De epiſtola Eleutherio adſcripta. *Labb. Concil. to. 1. pag. 589.* *Bar. an. 187.* *Blondell. Iſid. Vapul. p. 213.* *Coutan. epiſt. Rom. Pontiſ. pag. 90.*

2. Unica Eleutherio Epiſtola inſcribitur ad Galliarum Epiſcopos data, qua ſi fides Binnio, atque Baronio habenda, ad epiſtolam Viennenſium, & Lugdunenſium Martyrum reſpondit: eam tamen interpolatam fuiſſe, vel ipſe Baronius fatetur; ſed adulterinam potius, & ab Iſidoro confictam, non eſt dubitandum. Nec pluris facienda ſunt alia decreta, quæ Eleutherii nomine circumferuntur, ut apud Coutantium videre eſt.

Victor Eleutherio ſuccedit.

3. Poſt Eleutherium Victor eſt ordinatus, qui annis de-

decem Romanum tenuit Pontificatum. Is natione Afer Felicis filius ab auctore Pontificalis dicitur, ac fidei zelo, diſciplinæque Eccleſiaſticæ tuendæ celeberrimus, ut ex ejuſdem geſtis infra conſtabit. In eo tamen præcipue Victoris pietas enituit, quod ſerpentes clanculum Romæ hæreſes apoſtolico gladio una cum earum auctoribus profligavit, Theodotum ſcilicet, Praxeam, ac Montaniſtas, de quibus nunc ſingillatim agendum, quum incertum ſit, quo Victoris anno hæc acciderint.

De Theodoto Coriario, ejuſque hæreſi. *Epiph. hær. 25. 1.*

4. Theodotus itaque, ut narrat Epiphanius, Byzantio oriundus, Coriarius arte, litteriſque apprime eruditus, quum perſecutionis tempore cum aliis pleriſque comprehenſus eſſet, a veritatis ſcopo dilapſus, Chriſtum negavit; quod cum ei exprobratum fuiſſet, patria ſua aufugiens, Romam profectus eſt. Ubi ab aliquibus, qui eum propter eruditionem noverant, interrogatus, quomodo excidiſſet a fide, malam ſui defenſionem excogitavit, dicens: *Deum ego non negavi, ſed hominem*: indeque prædicandi occaſionem accepit, Chriſtum hominem tantummodo eſſe, non Deum, ex Spiritu quidem Sancto conceptum, & ex Virgine natum, ſed hominem ſolitarium atque nudum, ſola juſtitiæ ſanctitatiſque præ ceteris prærogativa exornatum: quibus diſcipuli turpius adhuc errantes addiderunt, nudum hominem Chriſtum, & humano ſemine genitum fuiſſe. Quapropter *Theodotum*, ait Theodoretus, *Beatiſſimus Victor Romanorum Epiſcopus abdicavit, & excommunicavit, ut qui decreta Eccleſiæ conatus eſſet adulterare*. Hunc Theodotum, Theodotionem appellat Auguſtinus: ex quo Theodotiani, *qui Chriſtum hominem tantummodo aſſeverant*.

Apud Tertul. de præſcript. cap. 53. *Epiph. hær. 54. 1.* *Theodoret. hæret. fab. l. 2.* *Auguſt. de hær. 33.*

Qui Theodoti hæreſim confutaverint. *Theod. ut ſup.*

5. Theodoti hæreſim præ cæteris impugnavit ignotus auctor libri, qui labyrinthus inſcribitur, quique a nonnullis Origeni adtribuitur: ejus tamen non eſſe, ex ipſo ſtylo Theodoretus conjecit. Alii vero ejuſdem opuſculi auctorem Cajum Romanæ Eccleſiæ presbyterum exiſtimant, quorum Photius premens veſtigia, *comperi*, inquit, *annotatum fuiſſe, non eſſe Joſephi hoc opus de Univerſo inſcriptum, ſed Caji cujuſdam Presbyteri Romæ agentis, quem & auctorem faciunt labyrinthi*. Ex eo igitur fragmentum recitat Euſebius, ubi ignotus Auctor Theodotum, ejuſque diſcipulum Artemonem confutans, inter cætera eorum temeritatem arguit, qua jactabant,

Phot. Cod. 48. *Dupin. tom. 1. pag. 290.* *Tillem. to. 3. pag. 176.* *Pearſ. optat. poſth. p. 148.* *Euſeb. lib. 5, 28.*

Jesu Chr. an. 191.

bant, falſam illam de Chriſto opinionem antiquiſſimam eſſe, ita ut ab ipſa Apoſtolorum ætate uſque ad Zephyrini Pontificatum eadem dogmata cum ipſis Eccleſia docuerit; Zephyrini vero temporibus veritatem hujuſmodi adulteratam fuiſſe: quod fortaſſe credibile videretur, niſi eis refragarentur, tum divinæ ſcripturæ, cum Juſtini, Miltiadis, Tatiani, ac Clementis, aliorumque ſcripta, Victoris & Zephyrini ætate antiquiora, in quibus Chriſti divinitas apertiſſime adſtruitur. Quare, ut idem apud Euſebium ſubdit Anonymus, *qui fieri poteſt, ut omnes uſque ad Victoris tempora, quod iſti dicunt, doctrinam promulgaverint? Quomodo eos non pudet hujuſmodi calumniam adverſus Victorem concinnare, cum certo ſciant Theodotum Coriarium, qui defectionis illius Deum abnegantis parens, & auctor fuit, primuſque Chriſtum nudum eſſe hominem aſſeruit, per Victorem a Communione Eccleſiæ ejectum fuiſſe? Nam ſi, ut ajunt, Victor eadem ſentiebat, quæ illorum docet impietas, cur Theodotum opinionis illius auctorem ab Eccleſia removit?*

De Theodoto Argentario, Coriarii diſcipulo.

Apud Tertul. de præſcript. cap. 53. Theod. hæret. fab. lib. 2.

Quid de Melchiſedech veteres ſenſerint.

Ad Heb. 7. Hier. epiſt. 73.

6. Inter Theodoti Coriarii diſcipulos, Theodotus alter, ex arte, quam exercebat, Argentarius dictus, primo recenſetur, qui, ut ait auctor appendicis apud Tertullianum, & alteram introduxit ſectam, ipſum hominem Chriſtum tantummodo dicens de Spiritu Sancto ex Virgine Maria conceptum, & natum, ſed hunc inferiorem eſſe, quam Melchiſedech, eo quod dictum ſit de Chriſto: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*. Adnotandum quippe eſt, veterum nonnullos, cum patre, & matre, ac genealogia caruiſſe Melchiſedech Paulus prædicaverit, eum Angelum, non hominem fuiſſe exiſtimaſſe: de quibus interrogatus Hieronymus ab Evangelo, hæc reſcripſit: *Revolvi veterum libros, ut viderem, quid ſinguli dicerent, & tibi quaſi de multorum conſilio reſponderem, ſtatimque in fronte Geneſeos in prima Homiliarum Origenis reperi ſcriptum de Melchiſedech: in qua multiplici ſermone diſputans, illuc devolutus eſt, ut eum Angelum diceret iiſdem pene argumentis, quibus Scriptor tuus de Spiritu Sancto, ille de ſupernis virtutibus eſt locutus. Tranſivi ad Didymum ſectatorem ejus, & vidi hominem pedibus in Magiſtri iviſſe ſententiam*. Quid vero ea de re antiquorum cæteri communiter ſentirent, his verbis ſignificat: *Verſi me ad Hippolytum, Irenæum, Euſebium Cæſarienſem, & Emiſſenum, Apol-*

Apollinarium quoque noſtrum, & Euſtachium, qui primus Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus contra Arium clariſſima tuba bellicum cecinit: deprehendi horum omnium opiniones diverſis argumentationibus, & diverticulis ad unum compitum perveniſſe, ut dicerent Melchiſedech hominem fuiſſe Chananæum, Regem urbis Hieroſolimæ, quæ primum Salem, poſtea Iebus, ad extremum Hieruſalem appellata eſt. Nec mirum, ſubdit, ſi Sacerdos Dei Altiſſimi deſcribatur abſque circumciſione & legalibus cæremoniis, nec de genere Aaron, cum Abel quoque, Enoch, & Noe victimas obtulerint, & in Job volumine legatur, quod ipſe & oblator munerum fuerit, & Sacerdos, & quotidie pro filiis ſuis hoſtias immolaret. Cur autem Melchiſedech Rex Hieruſalem dicatur, his verbis exponit: *Salem autem, non ut Joſephus, & noſtri omnes arbitrantur, eſſe Hieruſalem nomen ex Græco, Hebraicoque compoſitum, quod abſurdum eſſe peregrinæ linguæ mixtura demonſtrat; ſed oppidum juxta Scitopolim, quod uſque hodie appellatur Salem, & oſtenditur ibi Palatium Melchiſedech ex magnitudine ruinarum veteris operis oſtendens magnificentiam, de quo in poſteriore quoque parte Geneſeos ſcriptum eſt: Venit Jacob in Sichem, & tranſivit in Salem, quæ eſt in terra Chanaan*. Hactenus de perſona Melchiſedech, & Regno Hieronymus.

Hieronym. ut ſupra.

Geneſ. 33.

Rom. Pontifex Cataphrygas a communione catholica rejicit.

Tertull. contra Prax. c. 1.

7. De Romano Pontifice narrat Tertullianus, quod cum Montaniſtarum prophetias admiſiſſet, atque communionis epiſtolas ea de cauſa ed Eccleſias Aſiæ, & Phrygiæ dediſſet, eodem fere tempore eas revocaverit, a Praxea, viro tunc catholico, & Romæ agente, admonitus de eorumdem Montaniſtarum inſania: *Iſte primus*, ideſt Praxeas, *ex Aſia hoc genus perverſitatis intulit Romæ* (ideſt Patripaſſianorum hæreſim) ait Tertullianus. Idem Praxeas, *tunc Epiſcopum Romanum, agnoſcentem jam prophetias Montani, Priſcæ, Maximillæ, & ex ea agnitione pacem Eccleſiis Aſiæ, & Phrygiæ inferentem, falſa de ipſis prophetis, & eccleſiis eorum aſſeverando, & prædeceſſorum ejus auctoritates, coegit, & litteras pacis revocare jam emiſſas, & a propoſito recipiendorum chariſmatum conceſſare; ita duo negotia Diaboli Praxeas Romæ procuravit, Prophetiam expulit, & hæreſim intulit, Paracletum fugavit, & Patrem crucifixit*. Hæc Tertullianus, cum jam ad Montaniſtarum partes tranſiiſſet, cui utpote hæretico, etſi de rebus ſuis ſcribenti, fidem habere periculoſum ſit;

nil

JESU CHR. AN. 191.

Bar. an. 173. 4. 5.

Eccleſia & Rom. Pontif. in quæſtionibus facti errare poſſunt.

nil tamen obſtat, quin hoc loco vera narraverit. *Quid enim magnum eſt*, ait Baronius, *falſis aſſertionibus ſubreptam pacificis litteris communicationem dare Romanum Pontificem*, quod Euſtaſii Sebaſteni Epiſcopi, in communionem a Liberio primum admiſſi, deinde cognita ejus perverſitate pulſi, atque damnati, exemplo confirmat. Sic Pelagium, & Cœleſtium in Communionem recepit Zozimus, *viros*, ut credebat, *abſolutæ fidei, & nunquam a Catholica veritate, aut ab Eccleſiæ corpore divulſos*; ſed illorum cognita vafritia, eoſdem una cum hœreſi, cui patrocinabantur, condemnavit, ac anathemate percuſſit. Nil itaque mirum idem Victori in Montaniſtarum cauſa accidiſſe, cum præcipue Montani diſciplina pietatis larva tegeretur. *In illis, quæ facti ſunt*, inquit Cardinalis a Turrecremata, *Eccleſia errare poteſt, ut dicit S. Thomas, tam in quodlibeto* 8., *quam in* 4. *ſentent: diſtinct.* 41. *ubi ait: quod quamvis Eccleſia dono, & auctoritate divina fulciatur, tamen in quantum eſt hominum congregatio, aliquid ex defectu humano in actibus ſuis provenit, quod non eſt divinum*. Sed de facti quæſtionibus, in quibus, & Eccleſia, & Romani Pontifices errare poſſunt, plura Bellarminus, Cajetanus, aliique, cum Divo Thoma.

Turrecremata ſumma de Eccleſia lib. 2. cap. 112.
Bellar. de Eccleſia lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 11.
Cajet. comm. in Divum Thomam.

Quis Pontifex fuerit qui primum Montaniſtis favit, poſtea damnavit.

8. Quis porro fuerit Romanus Pontifex, qui primum Montaniſtis favit, poſtmodum vero, Praxea monitore, repulit, atque emiſſas pacis epiſtolas revocavit, in obſcuro eſt, cum Tertullianus Pontificis nomen retinuerit: hinc Anicetum fuiſſe nonnulli tradiderunt, alii Soterem, aut Eleutherium, alii tandem Victorem, aut Zephyrinum. Nos vero Victorem potius a Tertulliano notatum fuiſſe, cum Coutantio, Tillemontio, & Baſnagio cenſemus, cujus ætati hæc apprime conveniunt. Eodem etenim Tertulliano teſte, hæc eo tempore contigerunt, cum Praxeas hæreſim diſſeminare coeperat, Victore ſcilicet tunc Eccleſiam adminiſtrante, ut inferius videbitur. Nec ad Anicetum, aut Soterem aptari ea poſſunt, quæ ibidem Tertullianus addit, Praxeam nempe deterruiſſe Romanum Pontificem, ne Montaniſtis communionem impertiret, *Prædeceſſorum ſuorum auctoritates defendendo*; nam Aniceti ætate vix Montaniſtarum hæreſis eruperat, quæ pietatis larva tecta ſub Sotere & Eleutherio aliquandiu latitavit, uſque dum detecta a Romano Pontifice damnata fuit. Hæc Natalis Alexander Zephyrini Victoris ſucceſſoris tempore accidiſſe cenſuit;

Baron. ann. 173.
Valeſ. in Euſeb. lib. 5. 3.
Maſſuetius in Iren. præfat. pag. 80.
Coutan. p. 81.
Tillem. to. 2. pag. 669.
Natal. Alex. diſſert. 1. ſecul. 3.

ſuit; at immerito, cum Praxeæ hæreſim hæc præceſſerint.

9. Praxeas vero a Victore, aut Zephyrino non multo poſt, ut deteſtabilis erroris auctor, & propagator Romæ agnitus, ab Eccleſiæ communione rejicitur: cujus initia recenſens Tertullianus ait: *Hic primus ex Aſia hoc genus perverſitatis intulit Romanæ humo, & alias inquietus. Inſuper de jactatione martyrii inflatus ob ſolum, & ſimplex, & breve carceris tædium, quando, etſi corpus ſuum tradidiſſet exurendum, nihil profeciſſet, dilectionem Dei non habens; ejus chariſmata quoque expugnavit.* Praxeas itaque inter Catholicos non ſolum militavit, ſed ad martyrium uſque pro fide certans, vincula, & carcerem ſuſtinuit. In hæreſim deinde lapſus, Trinitatis Myſterio funditus everſo, perſonarum diſtinctionem abnegavit, Patrem ſcilicet, Filium, & Spiritum Sanctum unam eamdemque perſonam eſſe, variis nominibus diſtinctam, docens, quo fiebat, ut Patri quoque Paſſionem tribueret: unde Tertullianus: *Paracletum fugavit, & Patrem crucifixit.* Hæreſim quidem ſuam, oblato Palinodiæ libello, ejuraverat Praxeas; cito tamen in eam relapſus eſt: *Dehinc zizaniæ Praxeanæ avulſæ videbantur. Denique caverat priſtinum doctor de emendatione ſua, & manet chirographum apud Pſychicos, apud quos tunc geſta res eſt, exinde ſilentium*, ideſt, cum Praxeas errorem ſuum retractaſſet, ſuffocata hæreſis videbatur, proinde *ſilentium*, cum nullæ quæſtiones ea de re amplius agitarentur: quare cum ad Montaniſtas paulo poſt Tertullianus tranſiiſſet, iterum Praxeas hæreſim fovere cœpit. *Nos quidem poſtea*, addit idem Auctor, *agnitio Paracleti, atque defenſio a Pſychicis*, ideſt Catholicis, *disjunxit; avenæ vero illæ Praxeanæ ubique tunc ſemen excuſſerant. Ita aliquando per hypocriſim ſubdola vivacitate latitavit, & nunc denuo erupit, ſed denuo eradicabitur, ſi voluerit Dominus.* Quamobrem, ut narrat Optatus, a Zephyrino Pontifice Praxeas una cum Marcione, Sabellio, Valentino, cæteriſque damnatus eſt. Nec Romæ tantum, ſed & in Africa peſtem hanc diſſeminatam fuiſſe, indicat Tertullianus: *fructificaverant avenæ Praxeanæ hic quoque ſuperſeminatæ*: eademque Auguſtinus, & Philaſtrius. Ejuſmodi hæreſim ſequenti ſæculo Sabellius extinctam fere ac deletam e cineribus excitavit: unde ex mutuato errore, Praxeani, Sabelliani, & Patripaſſiani appellati ſunt, quos Victor Papa concilio Romæ habito

Jesu Chr. an. 191.
Victor Praxeam condemnat.
Tertull. contra Prax. c. 1.

Praxeanæ hæreſis capita.
Tertul. ut ſup.

Optat. lib. 1. num. 9.

Auguſt. hær. cap. 41.
Philaſ. 54.

Concil. tom. 1. pag. 602.

JESU CHR. AN. 191.

to condemnavit, ſi Synodico fides habenda eſt: *Synodus divina & ſacra provincialis collecta Romæ a Beatiſſimo Papa Victore, quæ Sabellium, & Noetum abdicavit, qui de Divinitate in tribus Perſonis ſubſiſtente contractionem, & commixtionem divulgabant.*

De viris illuſtribus, qui ea ætate floruerunt.

10. Quo tempore Theodotiani, Praxeani, & Montaniſtæ Eccleſiam ſubvertere conati ſunt, non defuerunt viri pietate & doctrina præſtantes, qui eam ab hiſce incurſionibus tutarentur, quorum nomina, & opuſcula ut plurimum periere. Nonnullorum tamen, quorum memoria ſupereſt, Euſebius meminit, cujuſmodi ſunt Heracliti commentarii in Apoſtolum, Maximi volumina de vulgatiſſima illa apud hæreticos quæſtione, unde ſit malum, & de eo, quo Materia facta ſit: præterea Candidi in Exameron, & Apionis de eodem argumento ſcripta: item Arabiani opus, Sexti liber de Reſurrectione, aliorumque complurium, quorum nomina non recenſet, propterea quod libri ipſi ea non præferebant. Hæc de iis Scriptoribus, qui hoc tempore in Eccleſia floruerunt, quos etiam Hieronymus inter Viros illuſtres commemorat.

Hier. de Vir. Ill. cap. 47. ad 52.

JESU CHRISTI AN. 192. VICTORIS PAPÆ 2.
COMMODI IMPERATORIS 17. ET 13.
COSS. L. AURELIO COMMODO VII., ET HÆLVIO PERTINACE X.
OLYMPIAD. 242. AN. 4. URBIS AN. 945.

Commodi Imperat. interitus.

1. Felix fauſtuſque, interfecto Commodo, hic annus Romanis fuit. Spectaculis ſcenicis, & gladiatoriis, ludiciſque hujuſcemodi ludis eo uſque Commodus delectabatur, ut & inſanire videretur, cum pridie Kal. Januarii Martiæ concubinæ, Læti Præfecti Prætorio, & Electi Cubicularii conjuratione, ac Narciſſi liberti opera interiit. Libellum ea die ſcripſerat Imperator, quo plures ex Senatoribus, illuſtrioribuſque viris, una cum Læto, Martia, & Electo eadem nocte morti deſtinaverat. Quem quidem libellum ut Martia vidit, ad Electum converſa inquit: *Electe, vide cujuſmodi feſtum ſumus hac nocte celebraturi*; Electus vero Læto legendum tradidit. Hi tres communi periculo commoti, in Commodi interitum convenerunt, ac propinato veneno eum interficere conati ſunt: cumque Commodus veneno hauſto in ſoporem incidiſſet, & conturbato

Dio lib. 72.

to ſtomacho evomuiſſet, timuerunt conjurati, ne ejecto veneno ſe ſe colligeret, atque una omnes perderet. Narciſſo itaque liberto perſuaſere, ut Commodum ſuffocaret: de quibus plura apud Dionem, & Herodianum videri poſſunt. Hunc tandem exitum habuit Commodus, cum imperaſſet, ut habet Dio, *annos duodecim, menſes novem, dies quatuordecim: vixit annos triginta unum, menſes quatuor, in quo domus Aureliorum Principatum amiſit*. Cum liberos ſuperſtites non reliquiſſet, Pertinax Imperium die prima ſequentis anni obtinuit, de quibus ibidem. Jesu Chr. an. 192.

JESU CHRISTI An. 193. Victoris Papæ 3.
Severi Imperatoris 1.
Coss. Sosio Falcone, et Julio Erutio Claro.
Olympiad. 243. An. 1. Urbis an. 946.

1. Inſequens Chriſti annus tres Imperatores habuit, Helvium ſcilicet Pertinacem, Didium Julianum, & Severum. Kal. Januarii, ut Commodum vita exceſſiſſe nunciatum eſt, Senatus Populuſque Rom. defuncti memoriam omni injuriarum genere eſt inſectatus, Parricidæ Patriæ, Numinumque hoſtis titulo eum proclamans; dignum propterea, ut ejus cadaver unco tractum in Tiberim mergeretur; Pertinacis tamen opera in Hadriani mole ſepultum eſt. Interea Lœtus, & Electus conjurationis Principes, intempeſta nocte Pertinacem adeunt, eumque ad capeſſendum Imperium excitant, qui ad milites Prætorianos tranſiens, ſuadente Lœto eorumdem Præfecto, Imperator eſt ſalutatus: tum in Curiam adveniens, fauſtis acclamationibus exceptus, ex ea die Proconſulare Imperium eſt auſpicatus, ac Patris Patriæ titulum promeruit.

Pertinax Imperium occupat: Julianus, & Severus etiam Imperatores dicti. *Lamprid. cap.* 19. 20. *Dio lib.* 73. *Herod. lib.* 2.

2. Diu tamen Imperium Pertinax non geſſit. Cum enim Romani Imperii dignitatem, ob Commodi ſtultitiam, prorſus labentem reſtituere conaretur, jamque plurima emendaſſet; ab iiſdem Prætorianis, a quibus Imperator ſalutatus fuerat, die 28. Martii interfectus eſt, cum imperaſſet dies 87., annos natus 66., menſes 7. dies 28. De optimo Principe notanda ſunt Victoris verba in epitome: *Huic mortuo Divi nomen decretum eſt, ob cujus laudem ingeminatis ad vocis uſque defectum plauſibus acclamatum eſt: Pertinace imperante, ſecuri viximus, neminem timuimus.* Dignus certe, qui longiori frueretur

Pertinax Imp. a Prætorianis occiditur.

JESU CHR. AN.193.

' *Capitol. in Pertinace c.5.*

retur Imperio, quod virtutibus magis, quam generis nobilitate promeruerat; in privata enim, viliorique fortuna Alba Pompeja Pedemontii oppido natus, litteris primo operam dederat, militiæ deinde adſcriptus, ſenatoriam, & conſularem dignitatem obtinuerat, & poſt Urbis Præfecturam Imperio etiam potitus: ut ſummos honores attigit, una cum Imperio vitam amiſit, exemplo ſuo mortales edocens, nil in hac vita eſſe, quod inſtabile, & caducum non ſit.

Pertinace occiſo, Didius Julianus ſuccedit.

Dio lib.73. Spartianus in Jul. cap. 2. 3.

3. Pertinace interempto, militum Prætorianorum factione Julianus ad Imperatoriam dignitatem evehitur, qui illuſtri genere Mediolani natus, egregiis facinoribus ſibi gloriam comparaverat, ut pluribus narrant Auguſteæ Hiſtoriæ ſcriptores. Quoniam vero Imperium a militibus pretio redemerat, Senatui, ac populo adeo inviſus fuit, ut, cum etiam populo pecuniam ſe daturum promiſiſſet, promptamque demonſtraſſet, irata plebs exclamaverit: *Nolumus, non accipimus*; eodemque tempore lapidibus, ferroque armata in circum ſe recepit: unde civile bellum exortum eſt, quod multorum ex utraque parte interitu vix ſedari potuit.

Peſcennius Niger, Albinus, & Severus occupant Imperium.

4. Dum hæc Romæ gererentur, qui exercitibus præerant, purpuram & ipſi induunt, Imperatoreſque a militibus conſalutantur: Peſcennius Niger in Syria, Albinus in Britannia, & Severus in Pannonia. Severus autem, Albino ſibi ſociato, cui Cæſaream dignitatem obtulerat, ne duos eodem tempore adverſarios pateretur, ſumma cum feſtinatione in Italiam irruens, Romam uſque nullo fere renitente pervenit, quo cum eſſet, Julianus ab iiſdem Prætorianis militibus, a quibus Imperium emerat, interfectus eſt anno ætatis ſuæ 60., menſibus 4., diebus totidem, poſtquam dies 63. imperaverat: ſed de his plura apud Dionem, qui, cum per id temporis inter Romanæ Curiæ Senatores eſſet, omnem ſibi, utpote oculatus teſtis, auctoritatem vindicat.

Dio lib.73. Spart. c. 5. 6.

Severus Imperator, ejuſque geſta.

5. Interea Juliano ſublato, militibus, Senatu, populoque plaudentibus, Severus Imperator certatim conſalutatus eſt. De Severi ætate, aut die, quo imperare cœpit, diſſident Chronologi; ejus enim Imperii duas præfiniunt epochas: primam, quando a militibus Carnuti in Pannonia Imperator eſt dictus, *Idibus Auguſti, ſeu potius Aprilis*, ut apud Spartianum legendum eſſe cenſent eruditi: certiorem alteram, a die, qua Juliano perempto iterum a Senatu, & militibus Impera-

Pag. not. ad Bar. 159. & diſſert. Hypatica. Baſnag. ann. 193.

peratore vocatus eſt: quam epocham ſecutus Dio, die ſecunda Junii natale Imperii ejus alligat; proindeque annos ſeptendecim, menſes octo, dies quatuor eum imperaſſe traditur. Lepte in Africa genitus erat Severus, latinis, græciſque litteris eruditus, ac pluribus pro Republica perſunctus officiis, Pannoniæ tunc præerat. In eo tamen cum virtutibus vitia adeo certarunt, ut difficile ſit definire, utrum virtutibus, an vitiis potior fuerit, uti ex ejuſdem geſtis conſtabit. Romam ingreſſus, Pertinacis interfectores pœna affecit, illumque magnifico funere ſepeliri, ac Apotheoſi donari juſſit: Nigro deinde bellum indixit, atque adverſus eum movit exercitum, de quibus infra.

Jesu Chr. an. 193. *Spart. in Severo cap. 32.* *Dio lib. 75.*

Dio lib. 74. *Spart. cap. 6. 7. 8.*

JESU CHRISTI An. 194. Victoris Papæ 4.
Severi Imp. 2. Coss. L. Septimio Severo Aug. II., et Clodio Septimio Albino Cæsare II.
Olympiad. 243. An. 2. Urbis an. 947.

1 Clodium Albinum Cæſarem in conſulatu ſocium hoc anno Severus deſtinavit, ut hiſce honoribus lactatus ſecurus ageret, dum ipſe Peſcennium Nigrum mari, terraque bello perſequeretur; qui multis præliis profligatus, Antiochiæ hoc anno interfectus eſt, ut Dio, & Herodianus narrant. Nigro itaque ſublato, filios ejus, quos una cum matre apud ſe detinuerat, in exilium miſit, ac plurimos cujuſque conditionis, Nigrianæ factionis participes, interemit, quos inter Senatores nonnulli aunumerantur.

Niger occiditur. *Dio lib. 74.* *Herod. lib. 3.* *Spart. in Severo cap. 9.*

2. Dum hæc ageret Severus, ideſt, in Nigrianos ſæviret, Chriſtianis nil moleſtiæ attulit, ut teſtis eſt Tertullianus, hæc ad Scapulam narrans: *Ipſe etiam Severus pater Antonini Chriſtianorum memor fuit; nam & Proculum Chriſtianum, qui Toparcion cognominabatur, Evodiæ procuratorem, qui eum per oleum aliquando curaverat, requiſivit, & in Palatio ſuo habuit uſque ad mortem ejus, quem & Antoninus optime noverat, lacte chriſtiano educatus. Sed & clariſſimas fœminas, & clariſſimos viros Severus, ſciens hujus ſectæ eſſe, non modo non læſit, verum & teſtimonio exornavit, & populo furenti in eos palam reſtitit.* Hæc Tertullianns de Severi clementia, qua Chriſtianos Imperii ſui initiis excepit: quibus etiam ea de cauſa pepercit, quod, eodem Tertulliano teſte in Apologe-

Severus Chriſtianis favet. *Tertull. ad Scap. cap. 4* *Tertull. ad Scap. cap. 2.*

Jesu Chr. an. 194. logetico, & libro ad Scapulam, nullatenus ipſi ſe civili bello implicaverint. Poſtmodum tamen, ut ſuo loco videbimus, perſecutionem, eamque acerbiſſimam in eoſdem excitavit.

JESU CHRISTI an. 195. Victoris Papæ 5.
Severi Imperatoris 3.
Coss. Scapula Tertullo, et Tenejo Clemente.
Olympiad. 243. an. 3. Urbis an. 948.

De Narciſſo Hier. Epiſcopo. *Euſeb. lib. 5. 12. lib. 6. c. 9.*

1. In Chronico ad hunc annum narrat Euſebius: *Narciſſus Hieroſolymorum Epiſcopus, Theophylus Cæſarienſis, Policrates quoque, & Bacchyllus Aſianæ provinciæ Epiſcopi inſignes habentur*. Bacchyllus Achajæ magis, quam Aſiæ Epiſcopus erat; quippe qui Corinthiorum Epiſcopus eſſet. De Narciſſo in Hiſtoria idem Auctor addit: *Eadem tempeſtate Narciſſus Hieroſolymorum Epiſcopus floruit, vir multorum ſermonibus noſtra quoque ætate celebratus.* Hic quintus decimus Hieroſolymorum Epiſcopus fuit ex iis, qui ex Gentibus ordinati fuerant, idemque trigeſimus, ſi ab Apoſtolis ſucceſſionis ordo ſumatur; quindecim enim ex circumciſione fuerant uſque ad Hadriani tempora, deinde alii quindecim ex Gentibus, Narciſſo numerato, quorum catalogum ibidem exhibet Euſebius.

De Narciſſi miraculis, & ſanctitate. *Euſeb. lib. 6. 9.*

De hoc Narciſſo, ſubdit idem Auctor, *multa ſtupenda commemorant civitatis illius incolæ, a fidelibus continua ſucceſſione velut per manus ſibi tradita*. Inter cætera, quod cum in Paſchæ vigilia oleum miniſtris defuiſſet, eaque de cauſa univerſus populus graviſſimo mœrore afficeretur, Narciſſus aquam ad ſe deferri juſſit, ac oratione ſuper eam facta, lucernis præcepit infundi, quæ in olei pinguedinem converſa hilariorem, lampadarum lumine, Paſchalem reddidit ſolemnitatem, atque ex eo *oleo apud plurimos fratres exiguum quoddam ſpecimen ad memoriam tanti miraculi diutiſſime ad noſtra uſque tempora ſervatum fuiſſe*, idem addit Euſebius.

Narciſſus calumnia impetitus Epiſcopatu ſe abdicat.

2. Plurima quoque de vita, & converſatione Narciſſi ibidem commemorat. Præ cæteris, nonulli improbi homines, quum illius ſanctitatem ferre non poſſent, inſidias ei adſtruxere, graviſſimam calumniam machinati, quam ut magis magiſque in audientium animos inſinuarent, Sacramenti religione accuſationem hoc pacto corroborarunt. Etenim primus ſibi imprecatus eſt incendium: alter, ut peſtilentiæ morbo periret:

ret: tertius, ut luminibus orbaretur. Et licet fidelium nemo eiſdem præſtitiſſet fidem, cum Narciſſi continentiam, vitæque ſanctitatem ſatis compertam haberent; nihilominus ut omnem ſuſpicionem tolleret, relicta Eccleſia, in ſolitudinem ſe recepit, plurimoſque annos in deviis agris delituit. Vix tamen Narciſſus exceſſerat, cum Deus confeſtim impios illos iis ipſis ultus eſt pœnis, quibus in ſemetipſos pejerantes ſeſe devoverant. Primus enim noctu incenſis ædibus cum univerſa familia conflagravit: alter ab imis pedibus ad ſummum uſque capitis verticem eo morbi genere, quo ſe ipſe multaverat, correptus interiit: tertius vero primorum caſum contuitus, omniumque inſpectoris Dei inevitabilem veritus vindictam, nedum concinnatæ ab ipſis ex compacto calumniæ ordinem confeſſus eſt, ſed & pœnitentia ductus, tamdiu peccatum flevit, ut oculorum lumen amiſerit.

JESU CHR. AN. 195.

Dei vindicta falſos accuſatores, & perjuros perſequitur.

3. Poſt fugam Narciſſi, ignaris omnibus ubinam gentium ageret, viſum eſt finitimarum Eccleſiarum Epiſcopis alium ejus loco Antiſtitem ordinare, Dium nomine; ſed cum modico tempore præfuiſſet, ſucceſſor ei datus eſt Germanio, quem deinde Gordius excepit. *Hujus temporibus Narciſſus cum ſubito quaſi redivivus emerſiſſet, a fratribus, ut Eccleſiæ adminiſtrationem denuo ſuſciperet, rogatus eſt. Quippe univerſi multo magis tunc eum mirabantur, tum ob ſeceſſum, tum ob philoſophicam vivendi rationem, maxime vero ob præſentem vindictam, qua Deus calumniatores illius afficere dignatus fuerat.* Hæc Euſebius de Narciſſi in ſuam ſedem reſtitutione, qui poſtea dum adhuc viveret Alexandrum ſucceſſorem habuit, cum ob decrepitam ætatem (annum enim centum ſexdecim attigerat) miniſterium ſuum obire non poſſet. Sed de Alexandri ordinatione infra.

Dio, Germanio, & Gordius Narciſſo ſuccedunt, qui tandem ad ſuam Eccleſiam redit. *Euſeb. lib. 6. 10.*

4. Nigro e vivis ſublato, de quibus anno proximo diximus, exercitus parte ad Byzantii obſidionem relicta, majoribus inhians triumphis Severus, adverſus Oſroænos, Adiabenos, & Arabas arma convertit, & urbes plurimas, quæ Nigri partes ſequutæ fuerant, direptionibus exactionibuſque multavit, atque privilegiis ſpoliavit. Euphrate deinde trajecto, Niſibim uſque pervenit: qua quidem expeditione moleſtiæ barbaris multum intulit, Romanis vero nullam utilitatem, ut apud Dionem videre eſt.

Severi geſta in Oriente. *Dio lib. 75.*

JESU

Jesu Chr. an. 196.

JESU CHRISTI An. 196. Victoris Papæ 6.
Severi Imp. 4. Coss. Cn. Domitio Dextero II.,
Et L. Valerio Messala.
Olympiad. 243. an. 4. Urbis an. 949.

Aſiæ Epiſcopi in celebratione Paſchæ a cæteris diſſident.
Euſeb. Chron. Hiſt. lib. 5. 23.

I. Polycratem, alioſque Aſiæ Epiſcopos de Paſchatis die cum Victore Romano Pontifice magna animi contentione hoc tempore certaſſe, tum in Chronico ad hunc annum, cum in Hiſtoria Euſebius adnotat. Cum enim plurimæ per Aſiam Eccleſiæ, vetuſta quadam traditione innixæ, quarta decima lnna ſalutaris Paſchæ feſtum, qnacumque die incidiſſet, celebrandum cenſerent, reliquæ vero Orbis Eccleſiæ diverſo uterentur more, atque non alio, quam Dominico die, quadrageſimale jejunium ſolvendum eſſe exiſtimarent; ad diſſidia tollenda, ſociandaſque, ſi fieri potuiſſet, Eccleſias, undique per Orbem Epiſcoporum conventus celebrati ſunt, atque uno conſenſu eccleſiaſticam regulam univerſis fidelibus per epiſtolas tradiderunt, *ne videlicet ullo alio, quam Dominico die, myſterium Reſurrectionis Domini unquam celebretur*. Euſebii, atque Hieronymi ætate ſupererat adhuc epiſtola Synodi Palæſtinæ, cui Theophylus Cæſareæ, & Narciſſus Hiroſolymorum Epiſcopi interfuerant. Extabat etiam Synodi Romanæ altera, aliorumque Epiſcoporum tum Ponti, cum Galliæ, atque Oſdroenæ Provinciæ, necnon Bacchylli Corinthiorum Epiſcopi, qui omnes eamdem fidem, eamdemque doctrinam profitentes, unam de celebratione Paſchæ ſententiam edidere. De Bacchylli epiſtola Hieronymus: *De Paſcha*, ait, *ex omnium, qui in Achaja erant, Epiſcoporum perſona elegantem librum ſcripſit*, ideſt ſynodicam epiſtolam, cui cum ſuæ provinciæ Epiſcopi ſubſcripſerint, eam proinde ex Epiſcoporum omnium perſona ſcriptam tradit. De epiſtola Synodi Palæſtinæ, cui Narciſſus, Theophylus, & cum illis Caſſius Tyri, & Clarus Ptolemaidis, & qui cum eis convenerant, ſubſcripſerunt, hæc Euſebius: *Poſtquam de traditione diei Paſchalis, quæ jam inde ab Apoſtolis ad ipſos continua ſucceſſione manaverat, multa in ſuis litteris diſſeruerunt, tandem ad finem epiſtolæ his utuntur verbis: Date operam, ut epiſtolæ noſtræ exemplaria per omnes Eccleſias mittantur, ne nobis crimen imputent, qui animas ſuas a recto veritatis tramite facile abducunt. Illud etiam vobis ſignificamus, eodem, quo apud nos,*

Euſeb. Chron. tom. 8. Op. Hier. p. 733.

Hieronym. de Vir. Illuſtr. cap. 44.

nos, die Paſcha Alexandriæ celebrari. A nobis enim ad illos, & viciſſim ab illis ad nos litteræ perferuntur, ita ut uno conſenſu, & ſimul ſacroſanctum peragamus diem. Has autem epiſtolas, tum ſynodi Palæſtinæ, cum aliarum Eccleſiarum, ad Victorem Pontificem datas fuiſſe, ea innuunt verba: *Videte, ut epiſtolæ noſtræ per omnes Eccleſias mittantur*: quibus ad eum ſe ſcribere indicant, qui in ea quæſtione ceteris ſollicitior erat, & cui Eccleſiarum omnium cura commiſſa fuerat. Ad ſynodos vero celebrandas Victorem Papam Epiſcopos excitaſſe, teſtis eſt Polycrates in ſua ad eumdem epiſtola, qua ait: *Poſſem etiam Epiſcoporum, qui mecum ſunt, facere mentionem, quos cum a me convocare petiiſſetis, convocavi.*

Euſeb. lib. 5. 24.

2. Cum autem totius orbis Epiſcopi, Aſianis exceptis, in ea ſententia eſſent, ut Dominica die poſt plenilunium Martii Paſchalem ſolemnitatem celebrandam eſſe exiſtimarent; Victor diverſam Epiſcoporum Aſiæ in Paſchatis celebratione conſuetudinem improbandam cenſuit, eoſque, ut cum cæteris convenirent, hortatus eſt, excommunicationis etiam addita comminatione, ſi in ſua ſententia perſtitiſſent. At Aſiani Epiſcopi, Polycrate duce, præjudiciis ſuis plus aequo indulgentes, in ſua, quam & antiquitatis velamine tuebantur, opinione perſeverarunt: quin etiam in ejuſdem confirmationem hæc ad Victorem ſcripſiſſe, auctor eſt Euſebius: *Nos igitur verum ac genuinum agimus diem, nec addentes quidquam, nec detrahentes; etenim in Aſia magna quædam lumina extincta ſunt, quæ illo adventus Dominici die reſurrectura ſunt, cum Dominus e Cælo veniet plenus majeſtate, & gloria, ſanctoſque omnes ſuſcitabit*, quorum catalogum texens, Philippum Apoſtolum primo loco recenſet, qui Hierapoli obierat, unaque cum eo duas ejus filias, quæ in Virginitate conſenuerant: tertiam quoque ejuſdem filiam commemorat, quæ Spiritu ſancto afflata, Epheſi tandem occubuerat. Joannem deinde, qui in ſinu Domini recubuit, qui & ſacerdos, martyr & doctor apud Epheſum extremum diem obierat. Polycarpum etiam Smyrnæ Epiſcopum, & Martyrem, itemque Thraſeam Eumeniæ Epiſcopum, qui martyrio coronatus Smyrnæ quieverat. His Sagarim Epiſcopum & Martyrem addit, Laodiceæ mortuum: Papirium, & Melitonem, qui Sardibus defunctus, adventum Domini de Cœlis, in quo reſurrecturus eſt, expectat. *Hi omnes diem Paſchæ*, inquit, *quartadecima luna juxta Evangelium obſervarunt*:

Victor Pontifex Aſiæ Epiſcopos monet, excommunicationemque minatur.

Lib. 5. 24. Polycratis Epiſtola ad Victorem.

JESU CHR. AN. 196.

runt: nihil omnino variantes, ſed regulam fidei conſtanter ſequentes. Verum de ſeipſo hæc addit: *Ego quoque omnium veſtrum minimus Polycrates ex traditione cognatorum meorum, quorum etiam nonnullos aſſectatus ſum: fuerunt enim ſeptem omnino ex cognatis meis Epiſcopi, quibus ego octavus acceſſi, qui quidem omnes ſemper Paſchæ diem tunc celebrarunt, cum Judæorum populus fermentum abjiceret. Ego inquam, fratres, quinque & ſexaginta annos natus in Domino, qui cum Fratribus toto orbe diſperſis ſermones ſæpe contuli, qui Scripturam ſacram omnem perlegi, nihil moveor iis, quæ nobis ad formidinem intentantur. Etenim ab illis, qui me longe majores erant, dictum ſcio: Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* Poſthæc de Epiſcopis, qui ſimul aderant, cum hæc ſcriberet, & eadem cum ipſo ſentiebant, ſubdit: *Poſſum etiam Epiſcoporum, qui mecum ſunt, facere mentionem, quos petiiſtis ut convocarem, ſicut & feci. Quorum nomina ſi adſcripſero, ingens numerus videbitur. Hi cum me puſillum hominem inviſiſſent, epiſtolam noſtram aſſenſu ſuo comprobarunt, gnari me canos iſtos non fruſtra geſtare, ſed vitam ex præceptis inſtitutiſque Jeſu Chriſti ſemper egiſſe.*

An Victor in Aſianos excommunicationis ſententiam dixerit.

3. Ut has a Polycrate, Aſiæque Epiſcopis litteras accepit Victor, excommunicationis ſententiam in eos tulit: *Victor Romanæ Urbis Epiſcopus*, ait Euſebius, *illico omnes Aſiæ, vicinarumque provinciarum Eccleſias, tanquam contraria rectæ fidei ſentientes, a communione abſcindere conatur, datiſque litteris, univerſos, qui illic erant, fratres proſcribit, & ab unitate Eccleſiæ prorſus alienos eſſe pronunciat.* Non ignoramus eruditos viros in ea fuiſſe ſententia, ut dicerent, Victorem excommunicationis quidem ſententiam in eos minitatum eſſe, numquam vero tuliſſe, eo quod Euſebius Victorem a communione eos abſcindere conatum fuiſſe tradat; tum etiam quia interveniente Irenæo, viro & nomine, & animo pacis amantiſſimo, illico Romanam Eccleſiam inter, & Aſiaticas pax & concordia fuerit inita: quo factum, ut excommunicatio ad effectum non fuerit demandata. Eam tamen tunc primum Victorem in eos pronunciaſſe, Euſebii verba ſatis aperte indicant: *Datis litteris, univerſos, qui illic erant, fratres proſcribit, & ab unitate Eccleſiæ prorſus alienos pronunciat*: idque Socrates, ac plurimi ex antiquis, & recentioribus tradunt. *Quo ſane exemplo videre eſt*, ait Baronius, *quan-*

Valeſ. in Euſeb. lib. 5. 24. Nat. Alex. ſæculi 2. diſſert. 5.

Euſeb. ut ſup. Socrates lib. 5. 22. Bar. an. 198. 10.

quanta auctoritate polleret Romanus Epiſcopus, præſtaretque ceteris, quippe qui per orbem concilia indicit, & provincias non obtemperantes ejus præcepto a communione excludit. At vero quod poteſtate jure faciebat, recte ne fecerit a multis eſt dubitatum; ſed de poteſtate ne minimum quidem ab aliquo, non modo catholicorum, immo nec ab ipſis ſchiſmaticis in controverſiam deductum eſt.

Jesu Chr. an. 196.

4. Quid Victoris excommunicationem ſubſecutum ſit, ex eodem Euſebio videamus: *Verum hæc non omnibus placebant Epiſcopis. Proinde Victorem ex adverſo hortati ſunt, ut ea potius ſentire vellet, quæ paci, unitati, charitatique erga proximum congruebant. Extant etiamnum eorum litteræ, quibus Victorem acerbius perſtringunt.* Ex quorum numero Irenæus in epiſtola nomine Fratrum, quibus præerat, ſcripta, die quidem Dominico Reſurrectionis myſterium celebrandum defendit; Victorem tamen admonet, ne Aſiæ Eccleſias a communione ea de cauſa abſcindat: addit præterea, de forma etiam jejunii variam fuiſſe in Eccleſiis diſciplinam; quandoquidem nonnulli exiſtimabant unico die ſibi eſſe jejunandum, duobus alii, & alii tribus: nihilo tamen minus *& omnes iſti pacem inter ſe retinuerunt, & nos invicem retinemus. Ita jejuniorum diverſitas conſenſionem fidei commendat.* Quod & exemplo Prædeceſſorum ejus confirmat, Soteris ſcilicet, Aniceti, Pii, Hygini, Teleſphori, & Xiſti, qui etſi diverſam jejunandi rationem ſervaverint, pacem nihilominus retinuerunt cum iis, qui ad ſe veniebant ex Eccleſiis, in quibus contrarium obſervabatur, nec ullos unquam ob ejuſmodi conſuetudinem rejecerunt; quemadmodum præ cæteris de Aniceto conſtat, qui licet cum Polycarpo Romæ de hac re, aliiſque aliquandiu contendiſſet, neque ei perſuadere potuiſſet, ut morem illum obſervare deſineret, non ſolum communionem eidem non negavit, ſed conſecrandi munus honoris etiam cauſa conceſſit. Nec ad Victorem tantum, idem ait Euſebius, ſed ad multos alios Eccleſiarum Antiſtites de ea quæſtione Irenæus litteras in eamdem ſententiam miſit. Quapropter exortam demum controverſiam, addit Sozomenus, *ſapientiſſime diſſolviſſe mihi videtur Victor tunc temporis Romanorum Epiſcopus, & Polycarpus Smyrnenſis* (legendum eſt, & Polycrates Epheſiorum; nam Polycrates Victoris ætate floruit, non Polycarpus). *Nam quoniam Occidentales Epiſcopi traditionem*

Victor excommunicationis ſententiam retractat.

Sozom. lib. 7. 19.

JESU CHR. AN. 196. *Pauli, ac Petri abrogandam non eſſe cenſebant, Aſiani vero Joannem Evangeliſtam ſequi ſe velle affirmabant*; *ex communi conſilio placuit, ut ſinguli feſtum, prout conſueverant, celebrantes a mutua communione nequaquam diſcederent*. Ex quibus conſtat, Victorem, Irenæo ſuadente, excommunicationis ſententiam, quam diſciplinæ zelo in Aſiaticos tulerat, pacis & charitatis amore retractaſſe.

Quomodo Victor excuſari poſſit.

5. Nimiæ fortaſſe auſteritatis, aut inconſtantiæ Victorem quis arguet, quod ſine cauſa, aut præpoſtere Aſianos a communione ſua repellere conatus ſit, quos paulo poſt abſque ulla ſatisfactione in ſuam iterum communionem recepit. Si accuratius tamen res perpendatur, patebit ſane Victori non defuiſſe cauſſas, eaſque graviſſimas, cur Aſianos excommunicationis pœna ab ejuſmodi ritu deterreret, quas Anteceſſores ſui, Anicetus, Soter, & Eleutherius non habuerant; eorum quippe tempore res cum catholicis agebatur, ideoque vix intererat, num eadem ubique in Paſchatis feſto vigeret diſciplina. At Victoris tempore, & Montaniſtarum plurimi luna decimaquarta Paſcha celebrabant, & Blaſtus Romanæ Eccleſiæ Presbyter, conflato ſchiſmate, idem cum Montaniſtis ſuadebat: unde Auctor appendicis apud Tertullianum: *Eſt præterea his omnibus etiam Blaſtus accedens, qui latenter Judaiſmum vult introducere*; *Paſcha enim dicit non aliter cuſtodiendum eſſe, niſi ſecundum legem Moyſi decimaquarta menſis*. Cum itaque Blaſtus, quem a funeſto ſchiſmate revocare epiſtolis ſuis fruſtra curaverat Irenæus, alios etiam in ſuam conaretur pertrahere ſententiam, ut ſupra ex Euſebio adnotavimus; tolerandum ultra non cenſuit Victor, ut catholicorum quiſquam in Paſchatis ritu Montaniſtarum, aut Blaſti diſciplinam ſectaretur, ne hæreſibus, aut ſchiſmati connivere videretur. Fidei itaque ſervandæ zelo, & ſchiſmatis finiendi cauſa, perneceſſarium duxit a communione eos repellere, qui luna decimaquarta cum Montaniſtis, aut Blaſto Paſcha celebrabant: ab Irenæo tamen, aliiſque admonitus, ne cum Aſianis ſchiſma faceret, quibus nil cum Montaniſtis, aut cum Blaſto commune erat (excepto Paſchatis ritu), ſuam ipſe ſententiam pro bono pacis retractavit. Unde cunctis rite, recteque perpenſis, laude magis, quam cenſura dignus eſt, dum diſciplinæ zelo errantes coarguit, & amicorum, Irenęi ſcilicet, aliorumque Epiſcoporum monitis obſequens, iiſdem pacem com-

Epiph. hær. 50. 1. Pacianus epiſt. 1. ad Simpron. to. 4. Bibl. PP. Apud Tertull. de præſ. c. 55.

Euſeb. lib. 5. 20.

communionemque reſtituit. De hac Victoris cum Polycrate controverſia, apud De Marcha, Natalem Alex., Scheleſtratum, alioſque plura videri poſſunt.

De Marcha de concord. lib. 3. 3.
Natal. Alex. ſæcul. 2. diſſert. 5.
Schel. antiq. Illuſ. part. 2. diſſert. 1. c. 3.

6. Poſt Nigri cladem Bizantio ſe ſe receperant ejuſdem exercitus reliquiæ, ubi a Severianis obſeſſæ, triennio fortiter pugnantes reſtiterant; at fame urgente ſe victoribus labenti anno tradiderunt. Severiani vero Bizantium ingreſſi, magiſtratibus ac militibus interemptis, urbe etiam ac mœniis dirutis, victoriam multa crudelitate foedarunt, ut Dio, aliique ſcriptores tradunt, id vel maxime dolentes, quod, Bizantio deſtructa, fortiſſimum adverſus Barbaros præſidium exciditſſet. Tanta autem lœtitia ob illius expugnationem affectus eſt Severus, ut exclamaverit: *Tandem Bizantium cepimus*: ad quam expugnationem Tertulliani verba ad Scapulam Africæ Proconſulem ſpectant, dum ait: *Cæcilius Capella in exitu Bizantino, Chriſtiani gaudete, exclamavit*; quia cum idem Capella Nigrianæ factionis particeps, Chriſtianis inſenſus fuiſſet, res ſuas ſub Severi Imperio iidem pacatiores futuras eſſe ſperabant.

Byzantium expugnatur, & evertitur.
Dio lib. 74.
Tertull. ad Scap. 3.

7. Nigriana factione ob Bizantii cladem penitus deleta, unus adhuc ſupererat Albinus, qui cum Severo de Imperio contenderet. Hunc, ut ab ineunda cum Nigro ſocietate alienaret, Cæſarem & Imperii conſortem Severus dixerat: verum Nigro ſublato, ficta inter eos amicitia perrupta eſt, in apertum & civile bellum converſa. Inſidiis etiam tentaverat Severus Albinum interficere, miſſis ad id tabellariis, qui ſolum & imparatum occiderent: admonitus tamen, collecto exercitu, contra Severum ex Britannia in Gallias tranſiit, qui *ampliſſimo donativo milites proſecutus*, ait Herodianus, *ſtatim univerſos contra Albinum educit*, ut anno ſequenti videbimus. Interea Severus cum expugnata Bizantio in Occidentem arma adverſus Albinum illaturus rediret, Viminiaci in Moeſia dum eſſet, Baſſianum filiorum primogenitum Cæſarem dixit, & Antoninum appellavit.

Severi cum Albino diſſidia.
Herod. lib. 3.

JESU

Jesu Chr. an. 197.

JESU CHRISTI an. 197. Victoris Papæ 15.
Severi Imperatoris 5.
Coss. Claud. Laterano, et Titio Rufo.
Olympiad. 244. an. 1. Urbis an. 950.

Severus Albinum vincit, ſoluſque Imperat.

1. Dum in Galliis cum exercitu hoc anno eſſet Severus, levioribus proeliis, & velitationibus cum Albino vario primum Marte puguavit, deinde *die undecima Kal. martii* poſt periculoſum incertumque certamen illuſtrem victoriam apud *Tiburtium obtinuit* (Galli Trevaux) juxta fluvium Aratim, ut habet Spartianus. Albini cladem prope Lugdunum accidiſſe narrat Dio. Quumque poſt proelium in domum quamdam ad Rhodanum confugiſſet Albinus, obſeſſus undique, ne in victoris poteſtatem veniret, ſe ipſum interemit. Poſt victoriam vero Severus Lugdunum direptionibus, & igne vaſtavit, eo quod hactenus Albino faviſſet, viroſque illuſtres, æque ac fœminas ea de cauſa interfecit. Ad Senatum quoque minaces epiſtolas dedit, quibus inter cætera exprobrabat, quod Albino Imperium exoptaſſet: *Unum ex Afris, & quidem Adrumetinis fingentem, quod de Cejonorum ſlemmate ſanguinem duceret,* (ideſt Albinum), *uſqueadeo extuliſtis, ut eum Principem habere velletis, me Principe ſalvis liberis.* Nec intra minarum limites furor ſtetit; ſed illico pœna ſubſecuta eſt. Nam, ut habet Herodianus, aliique hiſtorici, Albino victo, continuo Romam profectus eſt, exercitum ſuum omnem adducens, quo terribilior videretur. Confectoque magna velocitate itinere, infeſtus Albini amicis Romam intravit, poſt ſacrificia de more peracta militibus, ac populo Romano pecuniam, aliaque largitus eſt, *quæ nunquam antea acceperant*, ait Herodianus, *nam & frumenti ſummam primus adauxit, & aureis annulis uti, & domi habere mulierem permiſit*, quæ militibus hactenus prohibebantur. Dum vero militum gratiam tot beneficiis aucuparetur, quamplurimos Senatorii, aut equeſtris ordinis Albinianæ parti addictos, vel ſuſpectos interfecit, quorum catalogum recitat Spartianus; ut ſic *eſſet Imperator vere nominis ſui, vere Pertinax, vere Severus.*

Herod. lib. 3. 8.

Severi crudelitas poſt victoriam.

Caracalla Cæſar & Auguſtus a Patre dicitur. *Spart. cap. 41. in Sev.*

2. Hoc etiam anno Severus *Cæſarem Baſſianum filium ſuum Antoninum a Senatu appellari juſſit, decretis Imperatoriis inſignibus*, quem & Proconſulari poteſtate eo tunc donatum fuiſ-

fuiſſe, inſcriptiones indicant, quas Baronius, & Pagius exhibent, atque explicant.

Jesu Chr. an. 197. *Apud Bar. an. 197. & ann. 195. Pag. ibidem. Baſnag. ann. 197. & 198.*

JESU CHRISTI an. 198. Victoris Papæ 8.
Severi Imperatoris 6.
Coss. T. Saturnino, et C. Gallo.
Olympiad. 244. an. 2. Urbis an. 951.

Caracalla Imperator, Geta Cæſar dicitur.

1. Quum ſolus tandem Severus regnaret, filios ſuos Imperio ſociavit; Caracallæ namque primogenito Auguſteam, & Proconſularem dignitatem communicavit, Getam vero Cæſarem dixit: *Poſt Parthicum bellum*, ait Spartianus, *Pater cum ingenti gloria floreret; Baſſiano participe Imperii appellato, Geta quoque Cæſaris, & Antonini, ut quidam dicunt, nomen accepit*. Duas tamen epochas Proconſularis dignitatis Caracallæ attributæ communiter ſtatuunt chronologi: alteram ſcilicet elapſo anno, quo primum collata eſt, aliam vero currenti, quo iterum cum Proconſulari Imperio Caracalla Auguſtus eſt renunciatus. *Pag. ad ann. Baron. 200. Baſn. an. 98.*

Severi crudelitas in Albini amicos.

2. Ut autem ſibi, filiiſque Imperium Severus firmaret, anno proximo, & labenti in Albini amicos quam maxime ſœviit, eorumque bona ad ſuum ærarium detulit, ut immanitatem æque ac avaritiam expleret: de quibus audiendus eſt Tertullianus: *ſed & qui nunc ſceleſtarum partium ſocii, aut plauſores*, ideſt Albinianæ factionis participes, *quotidie revelantur, poſt vindemiam parricidarum racematio ſuperſtes, quam recentiſſimis, & ramoſiſſimis laureis* in Albini inauguratione ob lætitiæ ſignum *poſtes præſtruebant? quam elatiſſimis, & clariſſimis lucernis veſtibula enubilabant? quam cultiſſimis, & ſuperbiſſimis thoris forum ſibi dividebant? non ut gaudia publica celebrarent; ſed ut vota propria jam ediſcerent, & in aliena ſolemnitate exemplum, atque imaginem ſpei ſuæ inaugurarent, nomen Principis in corde mutantes. Eadem officia dependunt, & qui aſtrologos, & aruſpices, & augures, & magos de Cæſarum capite conſultant; quas artes ut ab Angelis deſertoribus proditas, & a Deo interdictas, ne ſuis quidem cauſis adhibent Chriſtiani*. Hæc, & alia Tertullianus, illam purgans calumniam Chriſtianis inferri ſolitam, qua hoſtes dicerentur Imperatoris. Quinam vero hoſtes illius eſſent, licet amiciſſimi viſi, dictis declarat exemplis. *Tertull. apol. cap. 35.*

3. Eo

Jesu Chr. An. 198.

Chriſtiani a Gentilium feſtivitatibus alieni.

3. Eo quoque ſpectabant hæc alia, quæ Chriſtianis Gentiles exprobrabant, eos ſcilicet Imperatoribus adverſari, ac odio proſequi, eo quod in ipſo Imperatoris in Urbem adventu ſoli prætermiſiſſe viderentur officia publicæ lætitiæ ab omnibus exhiberi ſolita. Unde idem Tertullianus: *Propterea igitur publici hoſtes Chriſtiani, qui Imperatoribus neque vanos, neque mentientes, neque temerarios honores dicant: quia veræ Religionis homines etiam ſolemnia eorum, conſcientia potius, quam laſcivia celebrant. Grande videlicet officium focos, & thoros in publicum educere, vicatim epulari, civitatem tabernæ halitu obolefacere, vino lutum cogere, catervatim curſitare ad injurias, ad impudentiam, ad libidinis illecebras. Siccine exprimitur publicum gaudium per publicum dedecus? Hæccine ſolemnes dies Principum decent, quæ alios dies non decent? Qui obſervant diſciplinam de Cæſaris reſpectu, ii eam propter Cæſarem deſerunt? Et malorum morum licentia pietas erit? Occaſio luxuriæ religio deputabitur? O nos merito damnandos? Cur enim vota, & gaudia Cæſarum caſti, & ſobrii, & probi expungimus? Cur die læto non laureis poſtes obumbramus, nec lucernis diem infringimus? Honeſta res eſt, ſolemnitate publica exigente, induere domui tuæ habitum alicujus novi lupanaris?* Hæc idcirco Tertullianus, quod Romæ domus meretricum, publica lupanaria etiam conſueviſſent lucernis, ac frondibus exornari; nam alibi hæc ait: *Procedit de janua laureata, & lucernata, ut de novo conſiſtorio publicarum libidinum.*

Tertull. ad uxor. lib. 2. cap. 6.

De more gentilitio coronandi poſtes.

4. Templa etiam frondibus ornare Gentiles conſueviſſe, teſtantur paſſim ſcriptores, templorumque ſigna, quæ ſuperſunt adhuc in antiquis lapidibus inſculpta, confirmant: quod tamen ſibi nefas eſſe Fideles exiſtimabant, ut idem teſtatur Auctor in libello de corona militis: *Chriſtianus nec domum ſuam laureis infamabit.* Rurſus in libro, quem ſcripſit de Idololatria, poſtes a Chriſtianis coronari divinitus fuiſſe vetitum, docet his verbis: *Scio fratrem per viſionem eadem nocte caſtigatum graviter, quod januam ejus ſubito annunciatis gaudiis publicis ſervi coronaſſent; & tamen non ipſe coronaverat, aut præceperat; nam ante proceſſerat, & regreſſus reprehenderat factum: adeo apud Dominum in hujuſmodi etiam diſciplina familiæ noſtræ æſtimantur.* Hactenus de his Tertullianus.

Tertull. de Coron. milit. cap. 13. in fin. Idem de Idololat. cap. 15.

5. Ut

JESU CHR. AN. 198.

Severus in Parthos proficiſcitur.

5. Ut juſtum ſibi Severus triumphum promereretur, quem ob civile bellum hactenus cum Nigro, aut Albino geſtum recuſaverat, domeſticis, ut diximus, rebus compoſitis, adverſus Parthos in Orientem tranſiit; nam Perſæ, dum ſe invicem Romani exſcinderent, Meſopotamiam invaſerant, Niſibimque cepiſſent, niſi obſtitiſſet Loetus. Vix autem in Syriam pervenerat, cum Parthi ad ſua reverſi ſunt: cumque in Armeniam ire decreviſſet, obſides ad eum Armeniæ Rex miſit, pacem ab eo ſuppliciter petens, Abgaruſque Oſroenorum Rex, traditis filiis, novum cum eo ſancivit fœdus. Quapropter in Syriam rediit, ad ea paranda, quæ bello Parthis anno ſequenti inferendo neceſſaria erant, ut ibidem videbimus.

JESU CHRISTI AN. 199. VICTORIS PAPÆ 9.
SEVERI IMPERATORIS 7.
COSS. CORNELIO ANULINO, ET M. FRONTONE.
OLYMPIAD. 244. AN. 3. URBIS AN. 952.

De Plautiani moribus & geſtis.

1. Cum in Syria hoc anno eſſet Severus, opportunum bello gerendo tempus expectans, ceteros, qui Peſcennii partes ſectati fuerant, incredibili crudelitate, Plautiano impellente & adminiſtro, ſuſtulit. Hic etſi homo eſſet humili conditione, tantam apud Imperatorem promeruerat gratiam, ut non ſolum Præfectus Prætorio fuerit conſtitutus, ſed & Caracallæ filiam uxorem duxerit: unde Imperii, & Imperatoris arbiter evaſit. Eum ad Reipublicæ negotia obeunda tunc Romæ relictum autumat Baronius; quem tamen in expeditione Parthica Severo comitem fuiſſe certiſſimum eſt, Dione teſtante, ipſum Tyanis ægrotantem ab Imperatore fuiſſe viſitatum. Plurima etiam de effræni Plautiani auctoritate, deque in Oriente ab eo geſtis apud eumdem Auctorem leguntur, quæ brevitatis ſtudio præterimus.

Herod. lib. 3. Spart. in Sever. cap. 6. Bar. an. 201. 20. Dio lib. 75.

Cteſiphon a Severo expugnatur.

2. Autumno inſtante in Parthiam Severus proficiſcitur, Cteſiphontem, Vologeſo expugnato, adgreditur, occupatamque militibus diripiendam conceſſit: Seleuciam deinde, & Babilonem deſertas occupavit, ubi cum diu alimoniæ penuria, & locorum ignorantia conſiſtere non poſſet, in Syriam redire cogitur, nullo reportato lucro, præter Parthici nomen eidem a Senatu delatum.

Jesu Chr. An. 200.

JESU CHRISTI An. 200. Victoris Papæ 10.
Severi Imperatoris 8.
Coss. Claudio Severo, et Ausido Victorino.
Olympiad. 244. An. 4. Urbis an. 953.

Severus Atram fruſtra obſidet.

1. Hoc anno ex Meſopotamia in Arabiam felicem cum exercitu Severus perrexit, ac oppidis urbibuſque expugnatis, Atrenorum regionem invaſit, Atramque fortiſſimum oppidum, multa ſagittariorum manu, omnique armorum genere munitum bis obſidet, atque cum maximo Romanorum damno, & ignominia bis repellitur, ut pluribus narrant Romanæ hiſtoriæ ſcriptores, de quo præ ceteris audiatur Dio: *Severus ut tranſiit Meſopotamiam, Atram, quæ non longe aberat, fruſtra adortus eſt*. Quantum hæc obſidio Romanis infauſta fuerit, Ammianus his verbis teſtatur: *Prope Atram venimus, vetus oppidum in media ſolitudine poſitum, olimque deſertum, quod diruendum adorti temporibus variis Trajanus & Severus Principes bellicoſi cum exercitibus pene deleti ſunt*. Dum Atram Severus bis tentat, Romanumque exercitum laboribus, præliiſque fatigat, Criſpus Tribunus belli pertæſus Maronis carmen cecinerat:

Scilicet ut Turno conjungat Regia Conjux.
Nos animæ viles, inhumata, infletaque turba
ſternamur campis.

Eaque de cauſa capite multatus eſt. Quo etiam tempore Loetus Romanorum fortiſſimus æque, ac prudentiſſimus, Severi juſſu occiditur. Hic militibus eouſque acceptus erat, ut eo tantum duce ſe pugnaturos aliquando affirmarent, idque in cauſa fuit, cur eum Severus interficiendum juſſerit.

Secundi ſeculi finis, & gratiarum actio.

2. Secundi ſæculi finem tandem attigimus, Deo bonorum omnium largitori gratias agentes, cui, cum nos ipſos, noſtraque omnia debeamus, hanc qualemcumque lucubratiunculam (ideſt primi, & ſecundi ſæculi Annales) tanquam minuta duo, Evangelicæ Viduæ exemplo, offerimus: cum humillime deprecantes, ut opus, quod pro catholica Fide tuenda, pro ritibus, diſciplina, juribus vindicandis, ſuſcepimus, tum ad S. M. Eccleſiæ incrementum, cum nobis lectoribuſque noſtris ad æternam promerendam ſalutem, cedere donet.

SÆCU-

Digitized by Google

SÆCULUM TERTIUM.

JESU CHR. AN. 201.

JESU CHRISTI AN. 201. ZEPHYRINI PAPÆ AN. I.
SEVERI IMPERATORIS 9.
COSS. ANNIO FABIANO, ET NONIO MUCIANO.
OLYMPIAD. 245. AN. I. URBIS AN. 954.

1. ITaque hujus ſæculi anno primo, cum Victor Romanus Pontifex, *decem annis*, ut ait Euſebius, *ſacerdotium adminiſtraſſet, Zephyrinus ei ſucceſſor ſubſtitutus eſt, anno Principatus Severi nono*. Dies obitus, aut quo fato obierit in obſcuro eſt. *Inopia ſcriptorum*, ait Baronius, *martyrium Victoris Pontificis, & alia hujus temporis Eccleſiæ Romanæ certamina obvoluta ferme ſilentio præterire cogimur, cum magis delegerimus pauca certa fide ſignata deſcribere, quam quævis veritate nutantia ſcriptis reddere.*

Victor Papa obiit, cui Zephyrinus ſuccedit.
Euſeb. lib. 5. 28.
Tillem. n. 7. in Victor. tom. 3. pag. 636.
Bell. 20 Apl.
Baron. ann. 203. num. 3.

2. Victoris nomine quatuor circumferuntur epiſtolæ, ad Theophylum ſcilicet Alexandrinum Epiſcopum, ad Afros Epiſcopos, ad Deſiderium Viennenſem, & ad Parracodem Galliæ Epiſcopum, quas etſi genuinas Binnius, Baronius, aliique habuerint, apocryphæ tamen ab eruditis uno ore cenſentur, utpote antiquis ſcriptoribus non ſolum ignotæ, ſed etiam nonnulla continentes, quæ cum illorum temporum hiſtoria conciliari non poſſunt. Victore ſublato, Zephyrinus in ejuſdem locum ſubſtitutus eſt, *natione Romanus, Patre Abundio*, ut habet Pontificale Damaſi, *qui ſedit annos octo, menſes ſeptem, dies decem*; ſed de Zephyrini annis, & geſtis inferius.

Epiſtolæ quatuor Victori ſubditæ.
Concil. tom. 1. pag. 592.
Baron. ann. 198. 18. &c.
Pag. not. 3. ibid. & not. 5. ad an. 203.
Blondellus Iſid. vapulant:
Baſnag. ann. 192.

3. Zephyrino Romanam Eccleſiam adminiſtrante, illuſtre pœnitentiæ exemplum Natalis quidam dedit, qui cum Chriſti fidem confeſſus fuiſſet, in Theodoti Coriarii, & Artemonis hæreſim lapſus, divina revelatione admonitus, & flagellis caſtigatus, iterum ad Eccleſiam rediit, facta Zephyrino Pontifici, Cleroque Romano exomologeſi. Is itaque ab Aſclepiodoto, & altero quodam Theodoto argentario, utriſque autem Theodoti Coriarii diſcipulis, deceptus, Epiſcopus ejuſdem ſectæ eſt ordinatus ea conditione, ut menſtruos centum quinquaginta denarios ab eiſdem acciperet. Illis igitur ſociatus, ſæpe a Domino in ſomnis corripiebatur; ſed cum no-

Natalis pœnitentia.
Euſeb. lib. 5. 28.

JESU CHR. AN. 201. Natalis Angelica manu flagellatus ad Eccleſiam rediit.

nocturnas ejuſmodi viſiones negligeret, utpote honore primæ apud illos ſedis, & turpis lucri cupiditate ineſcatus, *tandem a Sanctis Angelis per totam noctem flagris cæſus, & graviſſime verberatus eſt. Adeo ut primo diluculo conſurgens, ſaccum induerit, & cinere conſperſus, confeſtim cum lacrymis ad pedes Zephyrini Epiſcopi ſe ſe abjecerit, non ſolum Cleri, verum etiam ſæcularium veſtigiis advolutus; & Chriſti miſericordis Eccleſiam, ipſam quoque miſericordem, fletibus ſuis commoverit, atque concuſſerit. Multiſque precibus uſus, oſtenſis etiam vibicibus plagarum, quas pro Chriſti confeſſione pertulerat, vix tandem ad communionem admiſſus eſt.* Eamdem hiſtoriam Cajus Romanæ Eccleſiæ presbyter in libro, qui parvus labyrinthus inſcribebatur, retulit, ut Theodoretus, & Photius teſtantur.

Hæretici ſacram Scripturam adulterant. *Euſeb. ut ſup.*

4. De Theodotianis etiam, quibus familiare fuit Scripturam ſacram corrumpere, eodem loco hæc ſubdit Euſebius: *Hinc eſt, quod divinis Scripturis audacter manus intulerunt, eas a ſe emendatas eſſe dicentes. Atque id a me non falſo eis objici, quiſquis voluerit facile cognoſcet. Nam ſi quis exemplaria illorum undique conquiſita ſimul inter ſe contulerit, inveniet profecto illa inter ſe plurimum diſſentire.* Hinc addit, Aſclepiodoti exemplaria non convenire cum illis, quæ ſunt Theodoti, nec illa cum Hermophyli exemplaribus: ea vero, quæ dicuntur Appollonidis, ne ſecum quidem ipſa concordant. Nam quæ prius ediderat, ab iis diſſident, quæ poſtea invertit, atque luxavit. *Quantæ porro audaciæ ſit ejuſmodi facinus, ne ipſos quidem ignorare credibile eſt. Aut enim ſacras Scripturas a ſancto Spiritu dictatas eſſe non credunt, ac proinde infideles ſunt: aut ſemetipſos Spiritu ſancto ſapientiores eſſe exiſtimant, ac proinde quid aliud ſunt, quam dæmoniaci?*

Hæreticorum variæ verſiones S. Scripturæ.

5. Hactenus Euſebius de Hæreticorum temeritate in adulterandis ſacris Scripturis, quæ recentioribus quoque, Calvinianis ſcilicet, Lutheranis, Socinianis, aliiſque aptari poſſunt; quum unaquæque ipſorum ſecta propriam ſibi confixerit ſacræ Scripturæ verſionem, quæ ad ſuas opiniones, ſuoſque errores magis accommodaretur. Unde ſicuti, teſte Euſebio, *Aſclepiodoti exemplaria non conveniebant cum illis, quæ ſunt Theodoti*, ſic quoque Calvini, aut Bezæ exemplaria non conveniunt cum iis, quibus Lutherani utuntur, nec Anglicanæ

canæ Eccleſiæ exemplaria cum Zuinglianis, aut Polonicis; ſed unaquæque ſocietas ſuam Scripturam habet, non aliter ac ſi humanum, non Dei verbum eſſet. Nec ſolum verbis diſſident, aut in levioribus quæſtionibus, quod ferendum quidem eſſet; ſed & ubi de graviſſimis rebus, ideſt de fidei dogmatibus agitur, ut cuique eas percurrenti facile patebit. Quapropter ſapientiſſimo ſane conſilio in Eccleſia Catholica cautum eſt, ne alia, quam vulgata Scriptura utamur, aut novæ illius verſiones in vulgarem linguam admittantur, ni prius ab eadem recognitæ, aut ab Epiſcopis approbatæ fuerint, ne ſub prætextu ſacræ Scripturæ emendandæ diſſeminentur errores, aut hæreſes foveantur.

Concil. Triden. ſeſſ. 4.
Ex decreto Congreg. Indicis ann. 1757. Indic. lib. proib p. 6. an. 1758.

6. Severus Atra repulſus, ut anno ſuperiori diximus, in Palæſtinam migravit: Alexandriam poſtea perveniens, cum ejus incolas novis privilegiis exornaſſet, inter cætera hoc præſtitit, ut proprio regerentur Magiſtratu. Ægyptum deinde perluſtrans, cuncta ſcrutari voluit, libroſque omnes, in quibus arcana continerentur, quotquot invenire potuit, ſecum detulit: Alexandri vero ſepulchrum clauſit, ne ultra quiſpiam ejus corpus videre poſſet. De hujuſmodi peregrinatione inquit Spartianus: *Jucundam ſibi peregrinationem hanc propter religionem Dei Serapidis, & propter novitatem animalium, vel locorum fuiſſe, Severus ipſe poſtea ſemper oſtendit.*

Severus in Ægyptum proficiſcitur.
Dio lib. 75. Spart. in Severo.

JESU CHRISTI An. 202. Zephyrini Papæ 2.
Severi Imp. 10. Coss. Septimio Severo Aug. III., Et Aurelio Antonino Caracalla Aug.
Olympiad. 245. an. 2. Urbis an. 955.

1. Dum in Syria eſſent Auguſti, Severus, & Caracalla, conſulatum inierunt, ait Spartianus. Poſt hæc dato ſtipendio cumulatiore militibus, Alexandriam petiit Imperator. *In itinere Palæſtinis plurima jura fundavit. Judæos fieri ſub gravi pœna vetuit: idem de Chriſtianis ſanxit.* Non omnia tamen eo ordine, quo ſunt geſta, narrat Spartianus. Anno ſuperiore, antequam conſulatum iniret, in Ægypto fuiſſe Severum probabiliſſimum eſt; currenti namque, compoſitis in Oriente rebus, terreſtri itinere Romam rediit per Syriam, Meſiam, Thraciam: ita ut Natale Getæ in Thracia celebraverit die ſeptima Martii, ubi Maximinus, tunc paſtor ovium, poſtea Impe-

Severus, & Caracalla Romam redeunt, ibique triumphum agunt.
Spart. in Severo cap. 17.
Murat. ann. 201.

JESU CHR. AN.202. Imperator, in ludis ea de cauſa celebratis inauditæ fortitudinis illuſtria dederit experimenta; nam quotquot cum eo certamen inierunt, vicit: quare argenteis & aureis præmiis donatus, inter cuſtodes corporis Imperatoris juſſus eſt adſcribi. Ut vero Romam Severus pervenit, Parthicum triumphum a Senatu ſibi oblatum recuſaſſe, & ſolo filio conceſſiſſe, tradit Spartianus; Herodianus tamen, & Dio, utroſque Romæ nobiliſſimum egiſſe triumphum narrant, idque probant numiſmata, in quibus tertius legitur Severi conſulatus, & in poſtica: *Adventus Auguſtorum*. Unde hoc anno potius, quam ſequenti, ut Pagio, aliiſque placuit, eum triumphaſſe patet. Hujus triumphi illuſtre monumentum extat in arcu tunc temporis iiſdem ædificato ad Capitolii radices, de quibus Herodianus: *Ipſe*, ideſt Severus, *interea rebus ad Orientem ſic geſtis, Romam revertebatur, filios jam puberes ſecum adducens, Urbem dein triumphans invectus eſt*. Ea occaſione Prætorianis, aliiſque militibus & populo congiarium diſtribuit, nobiliſſimaque ſpectacula per dies ſeptem edidit, ut pluribus narrat Dio.

Capit. in Maxim. cap. 3.

Spart. in Severo.

Herod. lib. 3.

Dio lib. 75.

Caracallæ nuptiæ cum Plautilla.

2. Triumpho celebritatem addidere nuptiæ Caracallæ cum Plautilla Plautiani filia, cui tantum dotis Plautianus dedit, quantum quinquaginta Reginis ſufficere poſſet; eouſque etenim dives erat (utpote qui innumeros bonis ſpoliaverat), ut cum mœſtum, pallentemque in Circo populus vidiſſet, *Quid tremis*, inquit, *cur palles? tu quidem certe plus quam tres viri poſſides*, Severum cum duobus filiis indicans, quorum dominus magis, quam ſubditus videbatur.

Severus adverſus Chriſtianos perſecutionem excitat.

Euſeb. Chr. hiſt. lib. 6. 2.

3. Hoc anno inter triumphi, nuptiarumque ſolemnia, Chriſti Eccleſia ſæva concutitur perſecutione, quam quintam Euſebius, aliique numerant; ſextam vero Sulpicius Severus. Ejus initia anno decimo, ideſt labenti, alligat in Chronico, & in hiſtoria Euſebius: *Igitur Severo annum Imperii decimum agente, Alexandriæ, & totius Ægypti præfecturam obtinente Læto, Epiſcopatum vero Demetrio, cum perſecutionis ardentiſſimum flagraret incendium, atque innumerabiles martyrio coronarentur*. Judas quoque ſcriptor eccleſiaſticus, qui de 70. Danielis hebdomadibus commentarium edidit, ad *Decimum uſque annum Imperii Severi* ſupputationem temporum perducit: *Qui AntiChriſti adventum imminere exiſtimabat; adeo commota tunc adverſus noſtros perſequutio multorum animos vehementer conturbaverat*. Ad annum denique Severi decimum, & la-

Euſeb. lib. 6. 7.

Digitized by Google

& labentem, quo Severus, & Caracalla conſules fuerunt, narrat Spartianus, Severum Judæos æque, ac Chriſtianos fieri prohibuiſſe: *In Syria conſultum inierunt pater, & filius; deinde Judæos fieri ſub gravi pœna vetuit, idem etiam de Chriſtianis ſanxit*. Cui chronologiæ propius accedit & Alex. Chronicon, dum Eccleſiæ vaſtationem anno ſuperiori alligat; probabile enim eſt, Chriſtianos aliquot abhinc annis alicubi vexatos fuiſſe: hinc ſincera Scyllitanorum martyrum acta Claudio Conſule ſignata ſunt, qui anno 200. Conſulatum geſſit. Initium tamen ejuſdem perſecutionis ad hunc præcipue annum cum Euſebio referimus, quo vulgatis Severi edictis, ne quiſquam impoſterum Chriſtianus fieret, ut ex Spartiano audivimus, ea potiſſimum ubique efferbuit.

Jesu Chr. an. 202.
Spart. in Sev. cap. 17.
Ruinart. p. 77.

4. Hanc Severi perſecutionem longe, lateque per Romanas provincias graſſatam fuiſſe, vel ipſe Dodwellus teſtatur, quod & diſerte affirmat Euſebius: *Cum Severus perſecutionem adverſus Eccleſias excitaſſet, per omnes quidem [illegible]que locorum Eccleſias ab Athletis pro pietate certantibus illuſtria ſunt confecta martyria*. Alexandriæ tamen, & in univerſa Ægypto, ac Thebaide, eam pervagatam, quamplurimoſque pro Fide ſtrenue pugnantes martyrii coronam tunc adeptos fuiſſe addit: quæ cum diſſimulare non potuerit Dodwellus; nihilominus ejus ſævitiem eo uſque minuit, ut duobus tantum annis perduraſſe, paucoſque in ea Martyres fuiſſe afferat, quum *nec multos*, inquit, *recenſeat Euſebius, nec admodum multos a ſe prætermiſſos ſignificet*; quin tamen ex præconcepta de Martyrum paucitate ſententia hæc ſibi Dodwellus finxerit, nemo dubitat. Nam ex Euſebio, aliiſque ſcriptoribus, Chriſtianorum quamplurimos tunc temporis pro fide dimicaſſe, aut martyrium ſubiiſſe, conſtat: *cum perſecutionis flagraret incendium, atque innumerabiles martyrio coronarentur*, ait Euſebius, qui licet aliquot tantum ibidem recenſeat, peculiarem alibi de Martyribus collectionem adornaverat. Innumeros etiam ea perſecutione Martyres fuiſſe indicat Clemens Alex., ſub Severo ſcribens: *Nobis ſunt quotidie redundantes Martyrum fontes, qui noſtris ſpectantur oculis, qui terrentur, torquentur, & capite damnantur*. Martyrum quoque numerum, & fortitudinem Minucii verba deſignant, dum hæc de Chriſtianorum ſui temporis conſtantia adnotat: *Quot ex noſtris non dexteram ſolum, ſed totum corpus uri, cremari ſine ullis ejula-*

De perſecutionis Severi atrocitate.
Dodwell. diſſert. 11. Cypr. de paucitate marty.
Euſeb. lib. 6. cap. 1.
Lib. 6. 2. & 3.
Apud Euſeb. lib. 6. 6.

Jesu Chr. an. 202. *ejulatibus pertulerunt , pueri , mulierculæ noſtræ : Cruces & tormenta , feras , omnes ſuppliciorum terriculas inſpirata patientia doloris illudunt ?* Innumeros prodit & Tertullianus in ſua Apologia ſub Severo vulgata , & in exhortatione ad Martyres , aliiſque opuſculis . Hujus demum perſecutionis tanta fuit acerbitas , ut Judas , ejus ævi ſcriptor , *decantatum Antichriſti adventum imminere exiſtimaverit* .

Euſeb. lib. 6. cap. 7.

De duratione ejuſdem perſecutionis.

5. Nec in deſignanda perſecutionis duratione felicior eſt Dodwellus , quam intra biennium coarctavit , a labenti ſcilicet uſque ad annum Severi duodecimum , quo finem ipſi impoſitum fuiſſe aſſerit , cum ludos ſæculares celebravit Imperator , *ne tanta ſolemnitas chriſtianorum cruore macularetur* : quæ ſane aut ſibi finxit , aut ſomniavit Dodwellus , cum præſertim conſtet , Gentilium ſolemnitatibus recurrentibus , in Chriſtianos perſecutiones acerbius ſæviiſſe , de quo præ ceteris audiendus eſt Tertullianus : *Propterea publici hoſtes chriſtiani , quia Imperatoribus neque vanos , neque temerarios honores dicant . O nos merito damnandos ! cur enim vota , & gaudia Cæſarum caſti , & ſobrii & probi expurgimus , cur die læto non laureis poſtes obumbramus , nec lucernis diem infringimus ?* Inſtante itaque ludorum ſæcularium ſolemnitate , auctam potius , & exacerbatam in Chriſtianos perſecutionem fuiſſe veroſimile eſt , non vero extinctam . Nec diuturnioris perſecutionis argumenta deſunt : Alexander enim Hieroſolymorum Epiſcopus , anno circiter 210. manu adhuc catenata ad Antiochenos ſcripſit : Tertullianus vero ſex in Africa Præſides numerat , qui ea durante Præfecturam geſſerant , eorumque variam agendi rationem his verbis commemorat : *Vigellius Saturninus , qui primus in nos gladium egit , lumina amiſit . Secundus Hilarius nuncupabatur : ſub Hilariano præſide cum de areis ſepulturarum noſtrarum acclamaſſent* (Gentiles ſcilicet) *areæ non ſint , areæ ipſorum non fuerunt* : deinde : *Quanti autem Præſides , & crudeliores , & conſtantiores , diſſimulaverunt ab hujuſmodi cauſis ? Ut Cincius Severus , qui Thiſtri ipſe dedit remedium , quomodo reſponderent Chriſtiani , ut dimitti poſſent : ut Veſpronius Candidus , qui Chriſtianum quaſi tumultuoſum civibus ſuis ſatisfacere dimiſit : ut Aſper , qui modice vexatum hominem , & ſtatim dejectum , nec ſacrificium compulit facere , ante profeſſus inter advocatos , & adſeſſores , dolere ſe incidiſſe in hanc cauſam . Pudens etiam miſſum ad ſe Chriſtianum , in elo-*

Tertul. apol. num. 35.

Euſeb. lib. 6. 11.

Tertull. ad Scapulum.

Digitized by Google

elogio concuſſione ejus intellecta, dimiſit ſciſſo eodem elogio ſine accuſatore, negans ſe auditurum hominem ſecundum mandatum. Hæc omnia tibi, & de officio ſuggeri poſſunt, & ab eiſdem advocatis, qui & ipſi beneficia habent Chriſtianorum. His ſeptimus ſucceſſit Scapula, qui Adrumeticum Manilum ad beſtias damnavit. Itaque ne dicamus intra biennium ſex in Africa Præſides, ſive Proconſules fuiſſe, quod ſane abſurdum eſſet, ſexennio ſaltem perſecutionem in Africa adverſus Chriſtianos viguiſſe dicendum reſtat. In Ægypto quoque diuturniorem biennio fuiſſe, quæ Euſebius ad annum Severi Imperatoris decimum de martyrio Leonidis patris Origenis, & de ipſomet Origene adnotat, confirmant. Inter cætera vero ab eo dum adhuc ferveret perſecutio geſta, Gentilium plurimos, ſuſcepta excellenti admodum ac philoſophica vivendi ratione, in ſui admirationem & imitationem excitaſſe narrat, ita ut multi ejus ſe diſciplinæ traderent. *Qui cum fidem Chriſti ſincere, atque intimo mentis affectu accepiſſent, perſecutionis illius tempore* (ideſt Severi) *inclaruerunt, uſque adeo ut quidam ex ipſis comprehenſi martyrio perfuncti ſunt. Horum primus fuit Plutarchus.* &c. Hactenus Euſebius de geſtis ab Origene perſecutionis tempore, quibus gerendis plures inſumpſiſſe annos evidens adeo eſt, ut plura addere ſupervacaneum ſit.

JESU CHR. AN. 202.

Euſeb. lib. 6. cap. 1. 2.

6. His autem de Severianæ perſecutionis tempore, duratione, acerbitate generatim prænotatis, de Martyribus, qui in ea certarunt, nonnulla addimus. Horum primi fuerunt Martyres Scyllitani, qui ante Severi edicta paſſi ſunt anno 200., ut eorumdem ſincera acta, Claudio Conſule ſignata, teſtantur. Duodecim porro iidem fuerunt, quorum nomini Carthagine, teſte Victore Vitenſi, Baſilica dicata erat, ubi in eorum laudem S. Auguſtinus ſermonem ad populum habuit, cujus Poſſidius meminit. Sed ad acta Proconſularia migramus, quibus hæc leguntur: *Exiſtente Claudio Conſule quarto decimo Kal. Aug. Carthagine Metropoli, ſtatuto forenſi conventu, præceperunt Magiſtratus adſtare ſibi Speratum, Narzalem, Cittinum, Donatam, Secundam, & Veſtinam. Et adſtantibus eis Saturninus Proconſul dixit: Poteſtis veniam a dominis noſtris Imperatoribus Severo, & Antonino promereri, ſi bono animo converſi fueritis ad Deos noſtros.* His auditis, omnium nomine dixit Speratus, ſe hactenus nemini malum

Acta Martyrum Scyllitanorum.

Vict. Vitenſ. de perſecut. Vandal. edit. Ruin. lib. 1.

Aug. ſerm. 155.

JESU CHR. AN.202. geſſiſſe, aut maledixiſſe, verumque Deum & Dominum adorare. Quare eos Proconſul, ut per genium Imperatoris jurarent, hortatus eſt: Speratus vero, *Imperatoris mundi genium neſcio; ſed cæleſti Deo meo ſervio, quem nullus hominum vidit, nec videre poteſt*, reſpondit. Immo plura addere aggreſſum obrupit Saturninus: *De cetero a tumultu garrulitatum quieſcite, & accedentes ſacrificate diis*: quod cum Speratus renuiſſet, iterum Proconſul ad ſocios converſus: *nolite*, inquit, *furoris hujus inſipientia participes fieri, ſed timete potius Regem noſtrum, obedientes præceptis ejus*. Ex quibus cum repoſuiſſet Cittinus: *Nos non habemus alium, quem timeamus, niſi Dominum Deum noſtrum, qui eſt in Cælis*; omnes in carcerem conjecti ſunt. Altera vero die Saturnino iterum pro tribunali ſedenti offeruntur Confeſſores, & primum ad fœminas converſus, *honorate*, inquit, *Regem noſtrum, & ſacrificate Diis*, cui Donata: *Honorem quidem Cæſari tanquam Cæſari; Deo autem noſtro honorem, & orationem offerimus*. Veſtina vero: *Et ego Chriſtiana ſum*. Secunda etiam: *Et ego credo in Deo meo, & volo in ipſo eſſe: diis autem tuis non ſervimus, neque adoramus*. Reliquos deinde cum interrogaſſet, au in ejuſdem Fidei confeſſione perſiſterent, omniumque unam eſſe ſententiam reperiſſet, poſt plurima addidit: *Nec liberationem, nec remiſſionem vultis?* Speratus vero: *in certamine juſto nulla eſt remiſſio. Fac quod vis; nos enim pro Chriſto gaudentes morimur*. Proconſuli dein de libris, quos legebant, ſciſcitanti, *quatuor*, inquit, *Evangelia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & epiſtolas Sancti Pauli Apoſtoli, & omnem divinitus inſpiratam Scripturam*. Tunc Proconſul trium dierum ſpatium, ut reſipiſcerent, conceſſit. At Speratus: *Chriſtianus ſum, ſicuti & omnes, qui mecum ſunt, & a fide Domini noſtri Jeſu Chriſti non diſcedimus: fac, quod vis*. Poſt hæc de eorum mentis conſtantia, & fidei firmitate certus Saturninus, ſententiam per Exceptorem dixit his verbis: *Speratum, Narzalem, Cittinum, Veturium, Felicem, Accilinum, Lettantium, Januarium, Generoſam, Veſtinam, Donatam, & Secundam Chriſtianos ſe eſſe confitentes, & Imperatori honorem, & dignitatem dare recuſantes capite truncari præcipio*. Quæ cum eſſent ex tabella recitata, Speratus, & qui cum eo erant, omnes dixerunt: *Deo gratias conferimus, quod dignatur nos hodie Martyres accipere in Cælis pro confeſſione ſua*: quibus dictis, ducti ſunt

Martyrum ſecunda confeſſio Fidei, & martyrium.

ſunt ad ſupplicium, ſingulorumque truncato capite, menſe Julio die ſeptimo decimo glorioſum martyrium conſummarunt: quo etiam die eorum memoria celebratur.

Jesu Chr. an. 202.

7. Scyllitanis Martyribus Perpetuam, & Felicitatem addimus, quæ in eadem perſecutione eodemque loco, ideſt Carthagine, hoc vel ſequenti anno pro Chriſti fide certantes, martyrii coronam adeptæ ſunt. Harum quidem acta Baronius diu perquiſita cum invenire non potuerit, deperdita luxit, atque Annalibus ſuis ea inſeruit, quæ Tertullianus, & Auguſtinus de iiſdem tradiderunt. Ex Caſſinenſi tandem Codice Lucas Holſtenius illa vulgavit, eademque præfatione ac notis aucta Henricus Valeſius Pariſiis recudi curavit, & poſt eum Ruinartius: de quibus antequam agamus, nonnulla ſunt prænotanda de tempore, loco, & anno, quo martyrium ſubierint, ac demum quis eorum fuerit auctor, aut collector.

Acta SS. Perpetuæ & Felicitatis.

Ruinart. pag. 81.

8. Sub Valeriano, & Gallieno eas certaſſe, aliquot narrant Martyrologia; ſub Severo tamen, acta ipſa emendatiora teſtantur: & quidem idibus Martii labentis, aut inſequentis anni, quo natale Cæſareæ dignitatis Getæ fiebat, Perpetuam, ſocioſque martyrio coronatos fuiſſe, teſtis eſt Tertullianus in libro de Anima, ante Gallieni tempora vulgato, quo Perpetuæ martyris diſerte meminit. Tuburbii vero in Mauritania obiiſſe, tum antiqua acta, cum Martyrologia plurima commemorant. At Valeſius, Carthagine martyrium eas conſummaſſe, multis argumentis demonſtrat: quam opinionem calculo ſuo Ruinartius, aliique confirmant, quibus plura addere non magni intereſt, lectoreſque harum rerum curioſos ad Valeſii notas, aut Ruinartii præfationem in eadem acta delegamus.

De tempore, & loco quo Perpetua, & Felicitas ſocii. que certarunt.

Martyr. Rom. 7. Martii. Bell. ibidem. Valeſ. in act. Perpetuæ &c. Ruinart. ibid. Tillem. 2. 4. Mabill. Analect. tom. 3. Bell. ut ſupra.

9. Quæ ſequitur de Auctore, aut Collectore actorum SS. Perpetuæ & Felicitatis, quæſtio cæteris intricatior, ac difficilior eſt. Tertullianum, aut alium quemlibet e Montaniſtarum grege fuiſſe, viri eruditiſſimi tradiderunt, Valeſius, Baſnagius, Orſi. Argumenta autem, quibus id evincere conantur, hæc præcipua ſunt: quod Tertullianus Perpetuam, ejuſque viſiones in libro de Anima laudaverit his verbis: *Quomodo Perpetua fortiſſima Martyr ſub die paſſionis in revelatione Paradiſi ſolos illic commartyres ſuos vidit, niſi quia nullis rompbea Paradiſi janitrix cedit, niſi qui in Chriſto deceſſerint?* In confirmationem vero ſuæ opinionis adnotant, quod Auctor, ſeu Collector Actorum viſiones, revelationeſque ſui tem-

De collectore actorum Perpetuæ &c. Num Montaniſta fuerit.

Valeſ. in act. Perpetuæ. Baſnag. annal. an. 203. Orſi diſſer. pro Orthodoxia. SS. Perpet. & Felicitat. Tertull. de Anima c. 55.

 poris

JESU CHR. AN. 202. *Apud Ruinart pag. 85.*

poris non ſolum impenſe laudet, ſed veteribus etiam præſtare quodammodo profiteatur, dum ait: *Sed viderint, qui unam virtutem Spiritus unius ſancti pro ætatibus judicent temporum, cum majora reputanda ſint novitiora quæque, ut noviſſimiora ſecundum exuberationem gratiæ, in ultima ſeculi ſpatia decreta. In noviſſimis enim diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii, filiæque eorum, & ſuper ſervos, & ancillas meas de meo Spiritu effundam, & juvenes viſiones videbunt, & ſenes ſomnia ſomniabunt. Itaque & nos, qui ſicut prophetias, ita & viſiones novas pariter repromiſſas, & agnoſcimus, & honoramus, ceteraſque virtutes Spiritus ſancti ad inſtrumentum Eccleſiæ deputamus, cui & miſſus eſt idem, omnia donativa adminiſtrans in omnibus*. Hucuſque actorum Perpetuæ Collector, ex quibus eum e Montaniſtis fuiſſe putant. Quin tamen id evincant, aut perſuadeant, multa obſtant; nam etſi Perpetuæ viſiones, revelationeſque Tertullianus in libro de Anima laudaverit, eum tamen actorum Collectorem fuiſſe non ſequitur, quem neque antiquorum quiſquam dixit, aut ſtyli ſimilitudo ſuadet: alioquin & Auguſtinus, qui Perpetuæ viſiones narravit, laudavitque, actorum collector dicendus eſſet. Multo minus Montaniſtam deſignat actorum præfatio, qua Perpetuæ, ſociorumque viſiones ac revelationes non ſolum celebrat, ſed & antiquioribus etiam præſtare aſſerit. Nam ſi attentius eadem verba penſentur, nihil quod Catholicum ſcriptorem dedeceat, ea exhibere facile apparebit; non enim viſiones noviſſimas hic Auctor cum Scripturis canonicis comparavit, ſed ſolummodo cum viſionibus præcedentium Martyrum. Unde ait: *Si vetera fidei exempla propterea in litteris ſunt digeſta, ut lectione eorum, quaſi repenſitatione rerum, & Deus honoretur, & homo confortetur, cur non & nova documenta æque utrique cauſæ convenientia & digerantur?* quæ ſane ad præcedentium Martyrum certamina, & revelationes referri, luce clarius eſt. Quare Montaniſtarum viſiones iis verbis aut commemoratas, aut celebratas fuiſſe, nulla ratio patitur, aut fingi poteſt. Viris autem ac muliebribus, iis maxime, qui Martyres futuri erant, divinitus revelationes viſioneſque immiſſas fuiſſe, familiariſſimum ea ætate erat: quod & plurimis confirmat exemplis Dodwellus in ſua de Viſionibus diſſertatione. Tandem cum Ruinartio adnotandum eſt, veroſimile vix eſſe hære-

Auguſt. de anima & ejus origine lib. 1. c. 10. & lib. 3. ad Vincent. c. 9. & ſerm. de diverſ. nu. 280.

Dodwel. diſſert. 4. in Cyprian. edition. Oxon.

hæreticum hominem, ſeu Montaniſtam lectores ſuos ad communionem cum iis retinendam hortari voluiſſe, quas in catholica confeſſione obiiſſe non ignorabat. Jesu Chr. an.202.

10. Auctorem, ſeu collectorem actorum SS. Perpetuæ, ſociorumque a Montaniſtarum labe hactenus vindicavimus: nunc Martyres ipſi ſunt vindicandi, quos e Montaniſtarum familia fuiſſe, confidentiſſime, ne impudentiſſime dicam, tradit Baſnagius, & quos Eccleſia catholica uti Martyres ita veneratur, ut eorum nomina in Miſſæ canone, & Bucheriano catalogo inſcripta legantur, inter ſchyſmaticos, & hæreticos ipſe recenſet. Horum Orthodoxiam eruditiſſime vindicavit Orſius diſſertatione ſingulari, quam de Orthodoxia SS. Perpetuæ & Felicitatis inſcripſit, ex quo præcipua ſaltem hic adnotare non inutile erit.

Perpetua, & Felicitas ſociique a Montaniſmo vindicantur.

11. Tribus itaque argumentis id probari Baſnagius contendit, ex actorum ſcilicet collectore, ex laudibus, quibus Perpetuam Tertullianus exornat, denique ex eorumdem actis. Si enim, inquit, actorum collector e Montaniſtarum familia fuit, & Montaniſtas fuiſſe Perpetuam, Felicitatemque cum ſociis, facile conſtabit. Qui enim fieri poteſt, ut auctor Montaniſta de colligendis eorum actis ſollicitus fuerit, qui in Eccleſia catholica pro Chriſti fide martyrio occubuerint, quoſque Montaniſtis ludibrio fuiſſe, & Pſychicos appellatos, ex Tertulliano ſcimus? Nobis tamen, tum de actorum collectore, cum de ipſis Martyribus alia arridet opinio, eoque lubentius cum Ruinartio & actorum collectorem ab ea vindicavimus labe, ne in ipſos Martyres eadem macula facile derivaretur. Nihilominus etſi actorum collectorem Montaniſtam fuiſſe conſtaret, id ſanctorum Martyrum orthodoxiæ nequaquam obeſſet; quot enim illuſtres viros, aut ſanctos Martyres a Montaniſtarum deliriis alienos Tertullianus ipſe, cum ad Montaniſtas defeciſſet, in ſuis Opuſculis celebrat? Unde etſi vel Tertullianus, vel quiſquis alius e Montaniſtarum familia Perpetuam, ac Felicitatem laudibus celebraverint, Montaniſtis eas quoque eſſe inſcribendas non ſequitur. Turpius adhuc fallitur, dum ex actis ipſis, eas e Montani ſchola fuiſſe conjicit, eo quod viſiones a Deo poſtulaſſe, ac obtinuiſſe referant; ſequeretur enim, ut quotquot ea ætate viſiones habuerint, quod ſanctiſſimis viris, ut Cypriano, aliiſque infrequens non erat, ad Montaniſtas eſſe ablegandos. Sed de Ortodoxia Perpetuæ

Baſnagii argumenta ſolvuntur.

JESU CHR. AN. 202. petuæ ſociorumque, & collectoris actorum hactenus.

Martyres in carcerem conjiciuntur. *Ruinart.* 86.

12. Ipſamet acta intueamur, quibus poſt præfationem hæc leguntur: *Apprehenſi ſunt adoleſcentes catechumeni. Revocatus, & Felicitas conſerva ejus, Saturnius, & Secundulus; inter quos, & Vivia Perpetua honeſte nata, liberaliter inſtituta, matronaliter nupta, habens patrem, & matrem, & fratres duos, alterum æque cathecumenum, & filium infantem ad ubera.* Erat autem Perpetua annorum circiter viginti duorum, ipſaque martyrii ſui, ac ſociorum hiſtoriam manu ſua conſcriptam poſteris reliquit, cujus hæc ſumma eſt. Cum eam pater a fide conaretur avertere, ipſaque reſpondiſſet, ſe non alio, niſi Chriſtianæ nomine vocari poſſe, quemadmodum vas aut urceolus non aliter appellari poteſt, adeo ſuccenſus eſt pater, ut illi oculos eruere videretur. Paucos tamen poſt dies una cum fratribus baptiſmum ſuſcepit, in quo divinus ei Spiritus dictavit, nihil aliud petendum præter ſufferentiam carnis; moxque in carcerem omnes ducti ſunt, ubi Perpetua, hujuſmodi tenebras nunquam experta, & ſollicitudine infantis vexata, tædere cæpit. Diaconi interea, qui eiſdem miniſtrabant, Tertius ſcilicet, & Pomponius, conſtituto pretio, curarunt, ut in meliorem cercerem mitterentur. E tenebris itaque exeuntes, univerſi ſibi vacabant; ipſa vero infantem jam inedia confectum lactabat, fratrem confortabat, commendabat & filium. Poſtquam vero obtinuit, ut ſecum infans in carcere maneret, libentius in eo, non aliter ac in ornatiſſima domo, habitare viſa eſt.

Viſio Perpetuæ oſtenſa.

13. A fratre autem rogata, ut futuram ſibi ſortem patefaceret, utpote quæ cum Domino, cujus beneficia plurima experta erat, fabulari conſueviſſet, fidenter promiſit, ei poſtera die renunciaturam. Et quidem inter orandum, *video*, inquit, *ſcalam auream miræ magnitudinis pertingentem uſque ad Cælum, & ita anguſtam, per quam non niſi ſinguli aſcendere poſſent, & in lateribus ſcalæ omne genus ferramentorum infixum. Erant ibi gladii, lanceæ, hami, macheræ, ut ſi quis negligenter, aut non ſurſum adtendens aſcenderet, laniaretur, & carnes ejus inhærerent ferramentis; & erat ſub ipſa ſcala draco cubans miræ magnitudinis, qui aſcendentibus inſidias parabat, & exterrebat, ne aſcenderent. Aſcendit autem Saturus prior, qui poſtea ſe propter nos ultro tradiderat, & tunc cum apprehenſi ſumus præſens non fuerat; & pervenit in*

caput

caput ſcalæ & convertit ſe ad me, & dixit mihi: Perpetua ſuſtineo te, ſed vide, ne te mordeat draco ille; & dixi ego: Non me nocebit in nomine Domini Jeſu Chriſti. Et de ſub ipſa ſcala quaſi timens me, lente elevavit caput, & cum primum gradum calcaſſem, calcavi illius caput, & aſcendi, & vidi ſpatium horti immenſum, & in medio horti ſedentem hominem canum in habitu paſtoris grandem oves mulgentem, & circumſtantes candidatos millia multa. Et levavit caput, & adſpexit me, dixitque mihi: Bene veniſti Tegnon. Et clamavit me, & de caſeo, quod mulgebat, dedit mihi quaſi buccellam, & ego accepi junctis manibus, & manducavi: & univerſi circumſtantes dixerunt Amen; & ad ſonum vocis experrecta ſum commanducans adhuc dulcis neſcio quid, & retuli ſtatim fratri meo: intelleximus paſſionem eſſe futuram, & cæpimus nullam jam ſpem in ſeculo habere.

JESU CHR. AN. 202.

Perpetua iterum a Patre tentatur.

14. Poſt paucos dies iterum pater eam a propoſito deterrere aggreſſus eſt, tum magna rationum vi adhibita, quæ ipſam ad ſui, ſuorumque miſerationem commovere poſſent, cum manus ejus oſculando, genibuſque flexis non filiam, ſed dominam vocando. Inconcuſſa tamen filia, patris tantum canitiem dolebat, quod ſolus de paſſione ſua gaviſurus non eſſet, illumque confortans, *hoc fiet*, inquit, *in illa cataſta, quod Deus voluerit; ſcito enim nos, non in noſtra poteſtate eſſe conſtitutos, ſed in Dei*. Poſtridie vero cum ad forum denuo abducerentur, factuſque eſſet populus immenſus, eadem proſequitur: *Aſcendimus in cataſta. Interrogati ceteri confeſſi ſunt. Ventum eſt & ad me, & apparuit pater illico cum filio meo, & extraxit me de gradu, & dixit ſupplicans: Miſerere infanti*. Hilarianus quoque Procurator, qui tunc loco Proconſulis Minucii Firmiani defuncti jus gladii acceperat: *Parce, inquit, canis patris tui, parce infantiæ pueri. Fac ſacrum pro ſalute Imperatorum. Et ego reſpondi: Non facio. Hilarianus, Chriſtiana es, inquit; & ego reſpondi, Chriſtiana ſum. Et cum ſtaret pater ad me dejiciendam, juſſus eſt ab Hilariano dejici, & virga percuſſus eſt. Et doluit mihi caſus patris mei, quaſi ego fuiſſem percuſſa: ſic dolui pro ſenecta ejus miſera. Tunc nos univerſos pronuntiat, & damnat ad beſtias, & hilares deſcendimus ad carcerem. Tunc quia conſueverat a me infans mammas accipere, & mecum in carcere manere; ſtatim mitto ad patrem Pomponium diaconum, poſtulans infantem; ſed pater*

JESU CHR. AN. 202.

pater dare noluit, & quomodo Deus voluit, neque ille amplius mammas deſideravit, neque mihi fervorem fecerunt, ne ſollicitudine infantis, & dolore mammarum macerarer.

De Dinocrate puero viſio Perpetuæ facta.

15. Alteram deinde de Dinocrate fratre ſuo viſionem habuit: cum enim una cum ſociis oraret, accidit ut ei in mentem Dinocrates veniret, eumque nominaret, quod antea nunquam ei contigerat; quare cognovit ſe pro eo debere orare, & aliquid petere. Cœpit itaque pro ipſo orationem facere, & ingemiſcere, & ſtatim in ipſa nocte vidit Dinocratem exeuntem de loco tenebroſo, ubi & complures erant, æſtuantem, & ſitientem, ſordido vultu, & colore pallido, vulnuſque in facie ejus; ſeptennis enim eadem cancherata obierat. At Perpetua a Dinocrate ita ſejuncta erat, ut ad invicem accedere non poſſent: in loco autem, ubi Dinocrates erat, piſcinam vidit plenam aquæ, altiorem marginem habentem, quam erat ſtatura pueri, itaut etſi ſe extenderet Dinocrates, bibere nequaquam poſſet. *Ego dolebam*, ait Perpetua, *quod & piſcina illa aquam habebat, & tamen propter altitudinem marginis bibiturus non eſſet. Et experrecta ſum, & cognovi fratrem meum laborare. Sed confidebam profuturam orationem meam labori ejus, & orabam pro eo omnibus diebus, quouſque tranſivimus in carcerem caſtrenſem; munere enim caſtrenſi eramus pugnaturi. Natale tum Getæ Cæſaris, & feci pro illo orationem die, & nocte gemens, & lacrymans, ut mihi donaretur. Die autem, quo in nervo manſimus, oſtenſum eſt mihi hoc: vidi locum illum, quem videram tenebroſum eſſe lucidum, & Dinocratem mundo corpore bene veſtitum refrigerantem. Et ubi erat vulnus video cicatricem, & piſcinam illam, quam retro videram, ſubmiſſo margine uſque ad umbilicum pueri, & aquam de ea trahebat ſine ceſſatione, & ſuper margine phiala erat plena aquæ, & acceſſit Dinocrates, & de ea bibere cœpit, quæ phiala non deficiebat. Et ſatiatus abſceſſit de aqua ludere more infantium gaudens, & experrecta ſum. Tunc intellexi translatum eum eſſe de pœna.* Ex Dinocratis liberatione ab iis pœnis, quas hactenus ſuſtinuerat, Auguſtini ætate, arguebant nonnulli, fidelium orationibus ab inferis erui aliquando eos, qui ſine baptiſmate obiiſſent, quos his verbis confutat Auguſtinus: *De fratre Sanctæ Perpetuæ Dinocrate, nec Scriptura ipſa canonica eſt, nec illa ſic ſcripſit, vel quicumque illud ſcripſit, ut illum puerum, qui ſeptennis mortuus fuerat, ſine*

Aug. de Anima, & ejus origine lib. 1. 15.

ſine baptiſmo diceret fuiſſe defunctum, pro quo illa imminente martyrio creditur exaudita, ut a pœnis transferretur ad requiem. Nam illius ætatis pueri, & mentiri, & verum loqui, & confiteri, & negare jam poſſunt. Quis igitur ſcit, utrum puer ille poſt baptiſmum, perſecutionis tempore, a Patre impio per Idololatriam fuerit alienatus a Chriſto, propter quod in damnationem mortis ierit, nec inde niſi pro Chriſto moritura ſororis precibus donatus exierit? JESU CHR. AN.202.

16. Quam falſo ex Perpetuæ viſione liberationem ab inferis conſequi poſſe, Auguſtini ætate nonnulli credebant, tam vere catholicæ Eccleſiæ fides de Purgatorio confirmatur. Si etenim Dinocrates Perpetuæ precibus donatus eſt, ut liber evaderet; patet inde fidelium precibus, eleemoſinis, & præcipue incruenta oblatione, a purgatorii pœnis fidelium animas ſublevari, & liberari. Hinc non mirum, hanc Perpetuæ hiſtoriam, in his præſertim, quæ Dinocratis liberationem ſpectant, a Proteſtantibus ſuſpectam haberi. Præ cæteris audiatur Baſnagius, qui hæc unquam fieri potuiſſe primo negat, tum hiſtoriæ veritate ſuppoſita, addit: *Purgatorius ignis extinguitur; non enim in flammis, ſed in loco tenebroſo verſantem Dinocratem vidit Perpetua, ſoli pœnæ, quæ damni eſt, non ſenſus ſubditum*; utque improbabilia hæc eſſe demonſtret, Dinocratem ſine baptiſmate deceſſiſſe ſibi fingit, ac probare ſatagit ex eo, quod Patrem infidelem habuerit, & ſeptennis obierit, tum etiam quia ſoror ejus annos 22. nata, & nupta cathecumena adhuc erat, ut ex actis patet, ac propterea ex Auguſtini, totiuſque Eccleſiæ ſententia, ab inferorum pœnis Dinocrates liberari non poterat, utpote nondum baptiſmate ablutus: ſi vero poſt baptiſmum Idololatriæ crimine ſe ſe polluerat, ut fieri potuiſſe ſuſpicatur Auguſtinus; quid ſororis preces eidem prodeſſe poterant? Quin tamen erraverit Baſnagius, non eſt dubitandum. Nam quis eidem revelavit, Dinocratem ante ſuſceptum baptiſma obiiſſe, cum præcipue tota Perpetuæ familia, uno excepto Patre, Chriſto dicata eſſet: unde ajebat: *Et ego dolebam canos patris mei, quod ſolus de paſſione mea gaviſurus non eſſet de toto genere meo*. Nil facilius itaque Dinocratem in familia chriſtiana educatum vel ipſo obitus inſtante die baptizatum fuiſſe, ut piæ ſororis precibus poſtea recreari potuerit. In quo autem idem peccaverit, ut Purgatorii pœnis detineri meruerit,

Ex Dinocratis hiſtoria Purgatorii dogma adſtruitur.

Baſnag. an. 203.

JESU CHR. AN. 202.

rit, nobis non conſtat. Iraſci tamen, aut mentiri in ea etiam ætate potuit. Inſuper etſi divinando fingere velimus, aliquali Idololatriæ crimine eum pollutum fuiſſe poſt Baptiſma, nihilominus incaſſum pro eo oraſſe Perpetuam omnino negamus. Quamvis enim non oret Eccleſia pro iis, qui in infidelitate obierunt; fieri tamen facile potuit, ut puer ſeptennis rationis vix compos, qui forſan impellente patre aliquale Idololatriæ crimen participaverit, leviter tantum peccaverit, itaut temporali pœna plecteretur. Ad ultimum vero, quod addit Baſnagius, Perpetuæ viſionem cum Romanæ Eccleſiæ traditione de Purgatorio non convenire, eo quod Dinocratem, non in flammis, ſed in tenebroſo loco detentum viderit, non eſt immorandum; nam ad rem, ſive fidem hæc non pertinent. Notari tamen poteſt, Perpetuam fratrem tenebris, ſiti, & ulcere vexatum vidiſſe, in eiſque appoſite purgatorii pœnas deſignari, de quibus Florentina ſynodus in decreto de Purgatorio, cui cum Græcis Latini Patres ſubſcripſere, hæc habet: *Animas pœnis purgatoriis poſt mortem purgari, & ut a pœnis hujuſmodi releventur, prodeſſe eis vivorum ſuffragia, miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes, & eleemoſinas*. Gravius adhuc Baſnagius labitur, dum ſubdit, *ſoli pœnæ, quæ damni eſt, non ſenſus, ſubditum* fuiſſe Dinocratem. Quis enim niſi ſomniando, aut delirando unquam credidit, tenebras, ſitim, æſtum, ulcera, vultus pallorem, nullam ſenſibus afferre moleſtiam? ſed de his ſatis: ad Acta revertimur.

Aliæ viſiones Perpetuæ.

17. Itaque cum ex Dinocratis liberatione recreata aliquatenus fuiſſet Perpetua, pridie quam pugnatura erat cum beſtiis, viſione altera dignata eſt. In ſomniis nempe a Pomponio Diacono vocata fuit, qui eam per aſpera loca duxit, ac in virum converſa, ſe cum Ægyptio quodam pugnare viſa eſt: in quam rem hæc adnotat Auguſtinus: *Sancta Perpetua viſa ſibi eſt in ſomniis cum quodam Ægyptio in virum converſa luctari; quis autem dubitet, in illa ſimilitudine corporis animam ejus fuiſſe, non corpus? quod utique in ſuo femineo ſexu manens, ſopitis ſenſibus jacebat in ſtratis, quando anima ejus in illa virilis corporis ſimilitudine luctabatur*. Hanc viſionem ſequitur & altera, qua Saturus una cum Perpetua a quatuor Angelis in amœnum locum perductus eſt: *ibi invenimus Jucundum, & Saturninum, & Artaxium, qui eamdem perſecutionem paſſi vivi arſerunt, & Quintum, qui & ipſe martyr in car-*

Aug. de orig. anim. lib. 1. 18.

Perpetua martyrii ſocios in Cælo videt.

carcere exierat. Dei throno oblati, eum ſedentem viderunt ea forma, qua in Joannis Apocalypſi deſcribitur, quo cum eſſent, unus ex vigintiquatuor Senioribus, qui coram Deo adſtabant, Saturo, & Perpetuæ dixit: *Ite, & ludite*; Saturus vero Perpetuæ: *Habes quod vis*; cui & illa: *Deo gratias*. Inde exeuntes, ante fores viderunt Optatum Epiſcopum, & Aſpaſium presbyterum, qui cum inter ſe diſſiderent, rogabant Martyres, ut in concordiam redirent, quibus Angeli dixerunt: *Si quas habetis inter vos diſſenſiones, dimittite vobis invicem*; tum Optato Epiſcopo: *Corrige plebem tuam, quia ſic ad te conveniunt, quaſi de circo redeuntes, & de factionibus certantes*. Has viſiones ipſa Perpetua & Saturus Fidelium utilitati & exemplo conſcripſerunt. Inter hæc Secundulum maturiore exitu de ſeculo Deus evocavit: Perpetuam vero, tertio, ſed incaſſum, Pater aggreditur, *qui conſumptus tædio cœpit barbam ſuam evellere, & ſe in terram mittere, & proſternere ſe in faciem, & improperare annis ſuis, & dicere tanta verba, quæ moverent univerſam creaturam*. De eadem, cæteriſque in martyrio ſociis hæc ſequuntur.

Jesu Chr. an. 202.

18. Cum ab octo menſibus ventrem gereret Felicitas, nam prægnans fuerat apprehenſa, inſtante ſpectaculi die, in magno erat luctu, ne propter ventrem differretur; licitum quippe non erat pœnæ prægnantes exponere: ſed & Commartyres graviter contriſtabantur, ne ſolam relinquerent. *Conjuncto itaque unito gemitu, ad Dominum orationem fuderunt ante tertium diem muneris. Statim poſt orationem, dolores eam invaſerunt. Et cum, pro naturali difficultate octavi menſis, in partu laborans doleret, ait illi quidam ex miniſtris catarractariorum: Quæ ſic modo doles, quid facies objecta beſtiis, quas contemſiſti, cum ſacrificare noluiſti? Et illa reſpondit: Modo ego patior, quod patior, illic autem alius erit in me, qui patietur pro me, quia & ego pro illo paſſura ſum. Ita enixa eſt puellam, quam ſibi quædam ſoror in filiam educavit*. Cumque duriſſime a Tribuno tractarentur Martyres, quia *ex admonitionibus vaniſſimorum hominum*, ut habent acta, verebatur, ne incantationibus e carcere ſubtraherentur; magna conſtantia eum alloquitur Perpetua: *Quid utique non permittis refrigerare noxiis nobiliſſimis, Cæſaris ſcilicet, & natali ejuſdem pugnaturis? Aut non tua gloria eſt, ſi pinguiores illo producamur*. Erubuit Tribunus, ac eos humanius haberi, &

Felicitas in carcere parturit.

Perpetua refrigerium Martyribus obtinet.

Jesu Chr. An. 202.

tractari juſſit, facta fidelibus introeundi, & fratres refocillandi facultate.

Ultimam cœnam celebrant Martyres.

19. Tum pridie quam cum beſtiis certaturi erant Martyres, cum cœnam ultimam, quam liberam vocabant, ſeu potius agapen cœnarent, eadem conſtantia ad Populum converſi, ei comminabantur judicium Domini, paſſionibus ſuis felicitatem ſucceſſuram aſſerentes, & alia hujuſcemodi improperantes, quibus multi commoti crediderunt. Facto autem die, animo hilari e carcere in amphitheatrum deducti ſunt, quos placido pedum inceſſu ſequebatur Perpetua pſallens, caputque jam Ægyptii calcans, item & Felicitas gaudens ſe peperiſſe, ut ad Beſtias pugnaret. Revocatus autem, Saturninus, & Saturus ſtatim ac ad Hilariani conſpectum pervenerunt, geſtu & nutibus cœperunt Hilariano comminari, Deum illum brevi eſſe judicaturum: quibus exardeſcens populus eos flagellis cœdi poſtulavit; illi vero flagella experti, gaviſi ſunt, quod aliquid de dominicis paſſionibus eſſent conſecuti. Sed quia dixerat, *Petite, & accipietis*, petentibus dedit eum exitum, quem quiſque deſideraverat. Nam Saturninus omnibus beſtiis ſe velle objici optabat, ut glorioſior redderetur: itaque ipſe & Revocatus Leopardum experti, ſuper pulpitum etiam ab urſo vexati ſunt. Saturus autem nihil magis, quam urſum abominabatur, ac uno ſe Leopardi morſu confici poſſe ſperabat, cumque aper eductus fuiſſet, in venatorem ſœviit, ac dentibus laniatum interemit, tandem cum ad urſum Martyr vocatus eſſet, de cavea urſus prodire noluit, quare Saturus illæſus eſt reductus in carcerem. Perpetuæ vero, & Felicitati ferociſſimam vaccam Diabolus paraverat: in amphitheatrum itaque introductæ, variiſque modis vexatæ, *in portam Semivivariam* revocatæ ſunt, ubi Perpetua a quodam Ruſtico, qui ei adhærebat, ſuſcepta, & quaſi a ſomno excitata, circumſpicere cæpit, & ſtupentibus omnibus ait: *Quando producimur ad vaccam illam neſcio*; cumque audiſſet, ſe ab ea jactatam jam fuiſſe, vix credere poſſet, niſi quaſdam notas vexationis in corpore, & habitu ſuo recognoviſſet: exinde Fratrem ſuum Ruſticum adhuc Cathecumenum, alioſque, ut in fide perſeverarent, ac invicem ſe ſe diligerent, adhortata eſt. Saturus autem in alia porta militem Pudentem, ut crederet, hortabatur, ſubdens ſe adeſſe, ut prædixerat, nec ullam beſtiam ſenſiſſe, brevi tamen

Martyres flagellis cœſi beſtiis objiciuntur.

ab

Digitized by Google

ab uno morſu leopardi conſumendum : & ſtatim in fine ſpectaculi, *Leopardo objectus, de uno morſu ejus tanto perfuſus eſt ſanguine*, ut populus eum ſecundi baptiſmatis gratia donatum fuiſſe exclamaverit : *ſalvum lotum, ſalvum lotum*. Tunc Pudentem iterum admonuit, ne conturbaretur, ſed potius in fide perſeveraret, ſimulque anſulam de digito ejus petiit, quam vulneri ſuo merſam eidem reddidit, hæreditatis pignus relinquens illi, & memoriam ſanguinis. Exinde jam exanimis cum cæteris ad jugulationem deſtinatur; ſed cum populus illos in medium poſtularet, ut oculos ſuos homicidii comites adjungeret, ultro ſurrexerunt, & quo volebat populus, ſe ſe tranſtulerunt: invicem oſculantes, ut martyrium per ſolemnia pacis conſummarent. Immobiles quidem, & cum ſilentio ferrum receperunt, Saturus præcipue, qui & prior ſcalam aſcenderat, prior reddidit ſpiritum. Perpetua autem, ut aliquid doloris guſtaret, inter coſtas puncta exululavit, & errantem dextram tirunculi gladiatoris ipſa in jugulum ſuum poſuit. Hactenus Perpetuæ, & ſociorum Acta, quorum memoria die ſeptima Martii non ſolum in martyrologio Romano recolitur; ſed & in antiquiſſimis ſacramentariis apud Menardum & Mabillonium, ut Miſſæ canonem prætercam, quo quotidie Perpetuæ & Felicitatis fit mentio: utriuſque non ſemel meminit Auguſtinus, atque ad earum ſectanda veſtigia populum hortatus eſt.

Aug. ſerm. 280. 281. & 282.
De Orig. Animæ lib. 1. & 3.

20. Alexandriæ quoque Confeſſores Chriſti glorioſa certamina ſubierunt, atque inter eos Leonides Origenis pater recenſetur, qui *capite truncatus, ſupradictum filium admodum adoleſcentem reliquit*. Quantus vero eſſet Origenis fervor erga divinam fidem jam inde ab illa ætate, intempeſtivum non erit paucis commemorare. *Cum perſecutionis ardentiſſimum flagraret incendium*, ait Euſebius, *atque innumerabiles martyrio coronarentur, Origenis animum, adhuc admodum pueri, tanta cupido occupavit martyrii, ut ſe periculis ipſis objiceret, & proſilire ultro, atque irruere ad certamen geſtiret. Jamque mors illi ſine dubio proxima imminebat, niſi cæleſtis Dei providentia plurimorum utilitati conſulens, per matris miniſterium impetum illius cohibuiſſet*: quæ primum verbis filium deprecata, ut materni affectus reverentia moveretur, cum nil proficeret, ac puer toto animi impetu ad martyrium ferretur, abſcondita omni illius veſte, domi invitum manere coegit. Ille vero cum

De Leonidis martyrio, & Origenis ſtudiis.
Euſeb. lib. 6. 1.
Euſeb. lib. 6. 2.

JESU CHR. AN.202. cum ſe periculis objicere non poſſet, ad Patrem fidei cauſa in carceribus detentum litteras dedit, quibus ad martyrium vehementiſſime cohortabatur, ſimulque admonebat, ne ſui cauſa ſententiam mutaret; humanis quippe, diviniſque litteris a pueritia edoctus, plurima ſacræ Scripturæ loca non ſolum memoria retinebat, ſed non ſine patris admiratione profundiores, quam ætas ferebat, ſenſus ſciſcitabatur. Quem Leonides coram quidem, & in ſpeciem eo tunc objurgabat, monens, ne ſupra captum ætatis, neve ultra obvium, & apertum Scripturæ ſenſum quidquam requireret; clam tamen apud ſe ſingulari gaudio perſuſus, Deo bonorum omnium auctori gratias agebat, quod ſe talis filii parentem efficere dignatus fuiſſet: *Ac ſæpenumero*, ſubdit Euſebius, *dormientis pueri cubiculum ingreſſus, pectus ejus nudaſſe dicitur, & velut quoddam divini ſpiritus ſacrarium, religioſe illud deoſculatus, ſemetipſum beatum ejuſmodi ſobole prædicaſſe*. Hæc de Origenis geſtis uſque ad annum decimum ſeptimum, quo patre orbatus eſt. Cæterum patris facultatibus poſt expletum certamen in fiſcum illatis, cum in ſummam rerum omnium egeſtatem incidiſſet, ab opulentiſſima matrona domo exceptus eſt: at ejus conſuetudine, aut beneficiis diu uti noluit, eo quod virum quemdam hæreticum Antiochenum, Paulum nomine, apud ſe retineret, impenſeque foveret, nec unquam, ut cum eodem in precatione conſiſteret, adduci potuit. Interea cum liberalibus, græciſque diſciplinis imbutus adeo eſſet, ut artis Grammaticæ uſum, & peritiam haberet; poſt patris obitum, eam artem profeſſus, neceſſaria vitæ ſubſidia ſibi comparavit.

Origenis in hæreticos odium.

Gentilium in Chriſtianos infeſtationes.

Clemens Alex. ſtromat. lib.4.

21. Ea vigente perſecutione omni injuriarum, contumeliarumque genere a Gentilibus infectatos fuiſſe Chriſtianos conſtat, atque inter cetera, quod afflictis chriſtianorum rebus Deus opem non ferret, quibus Clemens Alexandrinus in hæc verba reſpondit: *At, inquiunt, ſi Deus veſtri curam gerit, cur patimini perſecutionem, & morte afficimini? An ipſe vos eis tradit? nos autem non ſic exiſtimamus velle Dominum, ut in caſus incidamus; ſed prophetice prædixiſſe ea, quæ eſſent eventura, fore ſcilicet, ut propter nomen ejus pateremur perſecutionem, ut occideremur, ut ſuſpenderemur*. Et poſt plurima: *Cur autem, inquiunt, cum vos perſequuntur, nihil vobis affertur auxilii? Quid enim (quod ad nos quidem attinet) nobis*

ſit

ſit injuriæ, cum morte diſſolvamur ituri ad Dominum, & veluti ætatis vitæ ſuſtinentes mutationem? ſi autem ſapuerimus, eis gratias habebimus, qui præbuerint occaſionem celeris migrationis. Hæc & alia Clemens, qui eo tempore pro Chriſti fide haud ſegniter certavit.

22. Quæ autem in Chriſtianos jactarentur ludibria, Tertullianus coævus & oculatus teſtis exponit: *Sed nova jam Dei noſtri in iſta civitate proxime editio publicata eſt, ex quo quidem in fruſtrandis beſtiis mercenarius noxius picturam propoſuit, cum ejuſmodi inſcriptione: Deus Chriſtianorum Ononychites: is erat auribus aſininis, altero pede ungulatus, librum geſtans, & togatus. Riſimus & nomen, & formam*. Hæc ipſe de his, quæ Romæ, vel Carthagine contigerant. Cur vero chriſtianæ Religioni tam nefarie illuderent gentiles, hanc aſſert rationem: *Nam*, inquit, *ut quidam ſomniaſtis caput aſininum eſſe Deum noſtrum. Hanc Cornelius Tacitus ſuſpicionem ſcriptis inſeruit. Is enim in quinto hiſtoriarum ſuarum, bellum Judaicum exorſas ab origine gentis, etiam de ipſa tam origine, quam de nomine, & religione gentis, quæ voluit argumentatus, Judæos refert Ægypto expeditos, ſive (ut putavit) extorres, in vaſtis Arabiæ locis aquarum egentiſſimis, cum ſiti macerarentur, onagris, qui forte de paſtu potum petituri æſtimabantur, indicibus, fontibus uſos, ob eam gratiam conſimilis beſtiæ ſuperficiem conſecraſſe. Atque ita inde opinor præſumptum, nos quoque, ut Judaicæ Religionis propinquos, eidem ſimulacro initiari*. Eamdem fabulam ante Cornelium Tacitum Appion Alexandrinus contra Judæos ſcribens vulgaverat, quam Joſephus, ſicuti & cæteras a procaci homine inventas, confutat: *Cum ſit valde turpiſſimum liberis qualibet ratione mentiri, multo magis de templo apud omnes homines nominato tanta ſanctitate pollente. In hoc enim ſacrario Apion præſumpſit edicere aſini caput collocaſſe Judæos, & ipſum colere, ac dignum facere tanta religione, & hoc affirmat fuiſſe propalatum, dum Antiochus Epiphanes, & expoliaſſet templum, & illud caput inveniſſet, ex auro compoſitam, multis pecuniis dignum. Ad hoc igitur primum quidem reſpondeo, quoniam Ægyptias, vel ſi quid aliud tale apud nos fuiſſet, nequaquam debuerat increpare, cum non ſit deterior Aſinus furonibus, & hircis, & aliis, qui ſunt apud eos Dii*. Appionem deinde impudentiſſimi mendacii arguit ex Judæorum lege, tum ex his, quæ in direptione

In chriſtianam Religionem ludibria. *Tertull. Apol. cap. 16.*

Tertull. Apol. cap. 13. & 16.

De Aſini veneratione Gentilium calumnia.

Joſeph contra App. lib. 2.

De cultu Capitis Aſini confutatio.

ne

Jesu Chr. an. 202. ne templi ſub Pompejo , Licinio Craſſo , & Tito contigerant : *Hæc igitur Appion debuit reſpicere , niſi cor Aſini ipſe potius habuiſſet , & impudentiam canis , qui apud ipſos aſſolet coli . Nos itaque Aſinis , neque honorem , neque poteſtatem aliquam damus , ſicut Ægyptii Crocodilis , & Aſpidibus .* Hæc itaque

Plutarc. in Symp. lib. 4. q. 5.

Judæis ab Appione primum , tum a Plutarco , Tacito , Democrate objecta , Chriſtianis etiam Gentiles exprobraſſe non eſt mirandum ; nam Chriſtiana Religio ab eiſdem , aut cum Judaica confundebatur , aut ut illius propago habebatur , cum ex Judæis Chriſtianos ortum habuiſſe ſcirent : quapropter idem commentum Cæcilius in Dialogo Chriſtianis impegit : *Audio* , inquit , *eos turpiſſimæ pecudis , caput aſini conſecratum , inepta neſcio qua perſuaſione venerari digna , & nata religio talibus*

Dialog. Octavii prope finem.

moribus . Ad hæc vero Octavius reſpondet : *Hoc eſt negotium Dæmonum ; ab ipſis enim rumor falſus , & ſeritur , & fovetur . Inde eſt , quod audire te dicis , caput Aſini rem nobis eſſe divinam . Quis tam ſtultus , ut hoc colat ? Quis ſtultior , ut hoc credat ? niſi quod vos totos Aſinos in ſtabulis cum veſtra vel Hippona conſecratis , & eoſdem Aſinos in ſtabulis cum Iſide religioſe devotatis , item boum capita , & vervecum , & immolatis , & colitis , de capro etiam , & homine mixtos Deos , & Leonum , & canum vultus Deo dedicatis* . Sed de his hactenus .

JESU CHRISTI AN. 203. ZEPHYRINI PAPÆ 3.
SEVERI IMPERATORIS 11.
COSS. FULVIO PLAUTIANO , ET P. SEPTIMIO GETA .
OLYMPIAD. 245. AN. 3. URBIS AN. 956.

Clemens Alexandrinus perſecutionem declinans ſe abſcondit. *Clemens Alex. ſtrom. lib. 4. Matth. 10.*

1. Vigente adhuc in Chriſtianos perſecutione , Clemens Alexandrinus , qui hactenus cathecheſis cathedram Alexandriæ ſumma cum laude tenuerat , fugæ ſibi conſulendum cenſuit : quod licitum eſſe , non ſolum exemplo ſuo , ſed & ſcriptis docuit : *Cum Dominus dixerit , quando vos perſecuti fuerint in hac civitate , fugite in aliam , non ſuadet fugere , tanquam malum ſit pati perſecutionem , nec ut mortem extimeſcentes jubet nos eam fuga declinare : vult autem nos nulli eſſe auctores , neque alicujus mali cauſæ adjutores , nec nobis ipſis , neque ei , qui per-*

Martyrio ſe offerre temerarium eſt.

ſequitur , neque ei , qui interimit ; denunciat enim quodammodo , ut caveant . Qui autem non obedit , eſt audax , & temerarius , inconſulte ſe in manifeſta pericula conjiciens . Et paulo poſt :

Digitized by Google

poſt: *Dicimus autem, nos quoque eos, qui de induſtria mortem quærunt (ſunt enim quidem non noſtri, ſed tantummodo nominis participes, qui quidem ſe ipſos magno ſtudio contendunt tradere, propter odium in Creatorem miſeri mortem cupientes); eos inquam dicimus ſe ipſos prodere, abſque ullo martyrio, & teſtificatione, etſi publice puniantur*. Pluribus deinde idem Clemens proſequitur, Marcionitas præcipue arguens, qui duo adſtruentes rerum omnium principia, reſque omnes, atque ipſa hominum corpora, quibus conſtabant, a Dæmone creata effutientes, injuſto ea perſequebantur odio.

Montaniſtæ martyrii inſe- liciter cupidi.

2. Eadem martyrii cupiditate & Montaniſtæ tenebantur, qui perſecutionis vitandæ cauſa fugere detrectabant; quod & illicitum eſſe contendebant. Unde Tertullianus Montaniſtarum Apologiſta: *Si Deus voluerit*, inquit, *ipſe me proteget, hoc potius noſtrum eſt, ſtare ſub Dei arbitrio, quam fugere ſub noſtro*: atque adducto Rutilii exemplo, qui cum primo fugiſſet, ac pecunia ſecuritatem redemiſſet, comprehenſus poſtea martyrio eſt coronatus, *quid aliud*, ſubdit, *voluit Dominus nobis demonſtrare hoc documento, quam fugiendum non eſſe, qui nihil ſupra proſit, ſi Deus nolit*. Hæc aliaque in eamdem rem Tertullianus, qui alibi Romanos, ſeu Catholicos his verbis ſugillat: *In pace Leones, in prælio cervos*. Alia tamen Eccleſiæ ſententia fuit; nam Chriſti exemplo, qui perſecutores declinans *abſcondit ſe*, & Apoſtolis præcepit, ut ex una civitate in aliam fugerent, latebris, aut fuga perſecutionem effugere docuit, quod ſcripto & exemplo confirmarunt Clemens Alexandrinus, Origenes, Dionyſius Alexandrinus, Cyprianus, Athanaſius, aliique paſſim.

Tertull. de fuga cap.5.

Tert. de Corona cap.1.
Matth.10.23.
Clem. ſtrom. lib.4.
Orig. in Joan. cap.31.
Cypr. vita cap.1.
Athan. de fuga ſua &c.

Vexationem pecunia redimere chriſtianis licitum eſt.

3. Pecunia etiam aliquando Chriſtianos ſecuritatem redemiſſe, teſtis eſt Tertullianus, qui Montaniſtarum fervore, ſeu furore agitatus, Catholicis id exprobrat, ſive cum privatim fieret, aut conjunctim cum tota Eccleſia, ut conventus agere, quieteque vivere liceret, certo pretio aſſequebantur: *Parum denique eſt, ſi unus, aut alius ita eruitur. Maſſaliter totæ Eccleſiæ tributum ſibi irrogaverunt, neſcio dolendum, an erubeſcendum ſit, cum in matricibus beneficiariorum, & curioſorum, inter tabernarios, & lanios, & fures balnearum, & aleones, & lenones, Chriſtiani quoque vectigales continentur*; eaque tum primum geſta fuiſſe ſubdit: *Tanta quotidie ærario augendo proſpiciuntur remedia cenſuum, vectigalium*, colla-

Tertull. de fuga cap.13.

Tertull. de fuga cap.12.

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 203. *collationum, ſtipendiorum, nec unquam uſque adhuc ex Chriſtianis tale aliquid proſpectum eſt, ſub aliquam redemptionem capitis, & ſectæ redigendis &c.* ubi & alia pro ingenio ſuo in hujuſce rei deteſtationem congerit. His tamen contraria docuiſſe viros pietate, & doctrina celeberrimos, infra, cum de libellaticis agendum erit, videbimus. Nunc Petri Alexandrini Epiſcopi, & martyris ſententiam proferre ſufficiet, qui ait: *His enim, qui pecuniam dederunt, ut ab omni improbitatis moleſtia omni ex parte remoti eſſent, crimen intendi non poteſt.* Damnum quippe, & jacturam pecuniarum ſuſtinebant, ne ipſi animæ detrimentum facerent: quod pluribus ibidem ſacræ Scripturæ auctoritate, & Apoſtolorum exemplo confirmat.

Petri Alex. epiſt. canonic. can. 12.

Clementis Alex. poſtrema geſta.

4. Ad Clementem Alexandrinum redimus, quem hoc anno ob inſtantem perſecutionem latebras quæſiiſſe diximus. Quo autem loco latitaverit, quodve poſthac geſſerit, in obſcuro eſt: id tantum ex epiſtola Alexandri Epiſcopi ad Antiochenos anno circiter 210. ſcripta ſcimus, eum in Capadocia fuiſſe; nam Alexander, qui tunc temporis victus pro Chriſti fide detinebatur, Clementi epiſtolam ſuam ad Antiochenos deferendam dedit: *Has litteras*, inquit, *fratres per Beatum Clementem presbyterum ad vos miſi, virum virtute præditum & probatum, quem vos & noſtis jam, & amplius cognoſcetis, qui quidem Dei nutu, & providentia dum hic apud nos præſens eſſet, Eccleſiam Chriſti, & confirmavit & magnopere auxit.* Hæc de Clementis Alexandrini laudibus Alexander Epiſcopus, & fidei confeſſor: quæ, ut tanto viro epitaphii locum teneant, hic exſcripſimus. Ejus tamen memoria, etſi martyrologiis aliquot, Græcorumque menæis inſcripta eſſet, martyrologio tamen Romano deſideratur: de quibus rationem reddit Benedictus XIV. Pontifex Maximus in epiſtola, quam novæ editioni martyrologii Romani præfigendam juſſit.

Clementis Alex. opera. *Euſeb. lib. 6. 23. Hier. de vir. Ill. 38.*

5. De Clementis ſcriptis nunc aliqua addimus, quorum catalogum ex Euſebio Hieronymus texuit: *Feruntur ejus inſignia volumina, plenaque eruditionis, & eloquentiæ, tam de ſcripturis divinis, quam de ſecularibus litteraturæ inſtrumento*, Stromaton ſcilicet libri octo, unus adverſus gentes, pedagogi tres, duo de Paſcha, & jejunio, & alius, qui inſcribitur: *Quiſnam dives ille ſit qui ſalvetur*: de obtrectatione alter, item de

de canonibus eccleſiaſticis, ac demum alius adverſum eos, qui Judæorum ſequuntur errorem, quem Alexandro Hieroſolymorum Epiſcopo nuncupavit. *Meminit autem in ſtromatum libris voluminis Tatiani adverſus gentes, & Caſſiani cujuſdam Chronographiæ, quod opuſculum invenire non potui, nec non & de Judæis Ariſtobolum quemdam, & Demetrium, & Eupolenum ſcriptores adverſus gentes refert.* Hæc Hieronymus de Clementis operibus, qui de patientia librum ad Neophytos datum, cujus Euſebius meminit, prætermiſit: Euſebius vero libros de continentia, & de matrimonio, quos idem Clemens in ſuo pedagogo recenſet, præteriit. Clementis opera duobus tomis in folio Joannes Poterius Oxonienſis Epiſcopus edidit, notis illuſtravit, multaque hinc inde fragmenta collegit. Quanto in pretio Clementis opera antiquis fuerint, teſtatur Hieronymus: *Clemens Alexandrinæ Eccleſiæ presbyter, meo judicio omnium eruditiſſimus, octo ſcripſit ſtromatum libros, & totidem Hypotypoſeon &c. quid in illis indoctum, immo quid non e media Philoſophia eſt?* Laudat & Clementem Alexander Hieroſolymitanus Epiſcopus in ſua ad Origenem epiſtola apud Euſebium, cum jam Clemens obiiſſet: *Patres agnoſcimus beatos illos, qui viam nobis præiverunt, & quos brevi ſecuturi ſumus. Pantenum ſcilicet vere Beatum, ac Dominum meum, & Clementem, qui me plurimum adjuvit.* De Hypotypoſeon tamen libris alia fuit Photii ſententia, quos erroribus, iiſque lætalibus aſperſos fuiſſe ſcribit: *In quibuſdam*, ait, *recte ſentire viſus eſt, in aliis rurſus impie omnino, fabulaſque differit. Aſſerit enim materiam æternam eſſe: Filium quoque in rebus creatis numerat. Ad hæc animarum migrationem, multoſque ante Adamum Mundos prodigioſe comminiſcitur: Evam præterea ex Adamo, non ut ſacri libri tradunt, ſed obſcœne, atque impie educit, quin & Verbum carnem non eſſe factum, ſed ita viſum dumtaxat.* Hæc tamen, quæ in Hipotypoſeon libris adnotavit Photius, cum Euſebium, & Hieronymum præterierint, ſuppoſitos ab hæreticis Clementi libros legiſſe Photium, aut corruptos, dicendum eſt.

Pedag. lib. 2. 10. lib. 3. 8.

Euſeb. ut ſup. Hier. de Vir. epiſt. ad Magnum 84.

Euſeb. lib. 6. 4.

Phot. cod. 9.

Bar. an. 196. n. 26. Tillem. to. 3. In Clem. Nat. Alex. ſecul. 2. Dupin. tom. 1. pag. 187. & 209.

6. Clementi Alexandrino Ammonium addimus, chriſtianorum, & gentilium ſcriptorum teſtimonio celeberrimum, qui Philoſophiam hac ætate Alexandriæ docens, non ſolum eruditione, ſed & diſcipulorum numero, & celebritate claruit. Inter eos Origenes, & Heraclas recenſentur, quorum al-

De Ammonio Sacca ejuſque ſtudiis & diſcipulis.

JESU CHR. AN. 203. *Euſeb. lib.* 6. 19. alter, ideſt Heraclas, Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus fuit: De Origene Porphyrius his verbis: *Hic cum auditor fuiſſet Ammonii illius, qui noſtra ætate maximos progreſſus in Philoſophia fecerat* &c. Sed & Origenes de ſtudiis ſuis, deque ſua in evolvendis Philoſophorum aut Gentilium libris ſedulitate agens, Panteni & Heraclæ exemplo, eos ſe in Ammonii ſchola cognoviſſe teſtatur: *Atque hoc fecimus*, inquit, *tum Panteni illius, qui ante nos multis profuit, exemplum ſecuti, qui quidem hujuſmodi cognitione non mediocriter inſtructus fuit; tum Heraclæ, qui nunc inter presbyteros Alexandriæ ſedet Eccleſiæ, quem ego apud magiſtrum Philoſophiæ* (*Ammonium ſcilicet*) *reperi, quintum jam annum operam dantem, priuſquam ego ejuſmodi doctrinam auſcultare cœpiſſem*. Gentilium etiam celeberrimos Ammonii ſcholam frequentaſſe ſcimus, Plotinum ſcilicet, Longinum, & Olympium. De Plotino refert Porphyrius, quod cum alios Philoſophos audiſſet, ut Ammonium novit, ad amicum, qui ad illum duxerat, dixit: *Hoc ipſum, o amice, quærebam, & ex eo die annos undecim audivit ſedulo*. Ammonium una cum Origene laudavit Longinus his verbis: *Sed in ſecundo genere Platonici quidem Ammonius, & Origenes, quibuſcum nos diu verſati ſumus, viris profecto intervallo non parvo ſui ſæculi Philoſophos intelligentia ſuperantibus*. Ammonium denique ſuis laudibus celebrarunt non ſolum Euſebius, Hieronymus, & Photius, ſed & Ammianus, Eunapius, aliique. Is autem Sacca dictus eſt, ſeu Saccarius, a priſtino vitæ ſuæ inſtituto, cum portandis oneribus, ſeu ſaccis victum ſibi quærebat: quibus relictis, cum philoſophiæ ſe totum dediſſet, tantum profecit, ut divinus propterea a Photio dictus ſit, a Hierocle vero *a Deo edoctus*. Cum vero hoc tempore Philoſophiam Alexandriæ doceret, atque ad eum undique ex Chriſtianis, & Gentilibus celeberrimi viri confluerent, Origenes, qui tunc temporis catecheticæ ſcholæ multa cum laude Alexandriæ præerat, ut Græcanicis diſciplinis magis magiſque inſtrueretur, Ammonii diſcipulus fieri non erubuit, ut idem apud Euſebium his verbis narrat: *Cum vero totum me addixiſſem verbo Dei, ac de noſtra eruditione fama jam crebrior ſpargeretur, confluentibus ad me nunc Hæreticis, nunc Græcarum diſciplinarum ſtudioſis, & maxime philoſophis, ſcrutari hæreticorum dogmata, & quæcumque a Philoſophis de Veritate jactantur, excutere conſtitui*. Plurimis

De Panteno, Heracla & Origene.

Porphirius in vita Plotini cap. 5. *Eunapius ibid cap.* 2.

De Plotino, Longino, & Olympio Ammonii diſcipulis.

Euſeb. lib. 6. 19. *Hier. de Vir. illuſt. cap.* 55. *Phot. cod.* 214. 251. *Amm. lib.* 22. 16.

Euſeb. lib. 6. 19.

rimis autem annis philoſophiam ibidem docuiſſe Ammonium, ex Porphyrio in vita Plotini conſtat; hunc enim annos 28. natum Ammonii ſcholam per *undecim annos* frequentaſſe ait, ideſt ab anno 134. ad annum 143. JESU CHR. AN.203.

7. Nunc Ammonii fama a Porphyrii calumniis eſt vindicanda, quem etſi lacte chriſtiano educatum tradat, ad Gentilium cultum, cum per ætatem licuit, tranſiiſſe narrat: *Ammonius cum chriſtianus inter Parentes chriſtianos educatus fuiſſet, ſimul ac per ætatem ſapere potuit, & philoſophiæ limen attingere, ſtatim ad vivendi rationem legibus conſentientem deſcivit*. Falſo hæc de Ammonio Porphyrium ſcripſiſſe, poſt Euſebium, obſervavit Hieronymus: *Ammonius vir diſertus, & eruditus in philoſophia, eodem tempore Alexandriæ clarus habitus eſt, qui inter multa ingenii ſui; & præclara monumenta, etiam de conſonantia Moyſi, & Jeſu elegans opus compoſuit, & Evangelicos canones excogitavit, quos poſtea ſecutus eſt Euſebius Cæſarienſis. Hunc falſo accuſat Porphyrius, quod ex Chriſtiano Ethnicus fuerit, cum conſtet, eum uſque ad extremam vitam Chriſtianum perſeveraſſe*. Euſebius vero non ſolum in iis, quæ de Ammonio Porphyrius tradidit, eum mentitum fuiſſe adnotat, ſed & in iis, quæ de Origene ſcripſit, eum ſcilicet ex patre Gentili, & Gentilium diſciplinis innutritum, ad chriſtianæ Religionis ritus tranſiiſſe, illumque manifeſti mendacii, putidæque calumniæ arguit his verbis: *Quantum iis ſtudiis excelluerit Origenes, teſtes ſunt ipſi Gentilium philoſophi, qui ejus ætate floruerunt. Quorum in libris crebram hujus viri mentionem fieri deprehendimus, dum vel proprios libros ei nuncupant, vel eoſdem examinandos, tanquam ad magiſtrum ſuum dirigunt. Sed quid de iis dico, quando & ipſe Porphyrius, qui noſtra propemodum memoria in Sicilia degens, contra fidem noſtram libros conſcripſit, in quibus divinas Scripturas calumniari conatus eſt, mentionem faciens eorum, qui illas interpretati ſunt, cum dogmata ipſa, atque aſſertiones nullatenus poſſet reprehendere, præ rationum inopia ad convitia converſus, interpretes ipſos criminatur: ex quibus præcipue Origenem, quem ſibi adhuc adoleſcenti cognitum eſſe dicit, calumniari quidem nititur; revera tamen hominem imprudens commendat; partim vero dicendo, ubi aliter dici non poterat: partim mentiendo, quoties ſe latere poſſe ſperabat. Interdumque eum utpote chriſtianum accuſat: interdum eximiam ejus*

Ammonii fama vindicatur.

Euſeb. lib.6. 19.

Euſeb. ut ſupra.

Hier. de Vir. Ill.

Euſeb. lib.5. cap. 19.

JESU CHR. AN.203. *ejus doctrinam in philoſophicis admiratur, & prædicat.* Deinde ea, quæ Porphyrius de Ammonio, & Origene ſcripſerat, referens, ibidem ſubdit: *Hæc Porphyrius in libro tertio ejus operis, quod adverſus Chriſtianos compoſuit. Qui de viri quidem illius ſtudio, & multiplici doctrina veriſſime pronunciavit. Sed in eo manifeſtiſſime mentitus eſt (quomodo enim non mentiretur, qui adverſus Chriſtianos ſcribebat?) quod ipſum quidem, ideſt Origenem, a Gentilibus ad Chriſtianos tranſiiſſe dicit: Ammonium vero a veri Numinis cultu ad Gentilium ritum ſe contuliſſe. Nam & Origenes chriſtianæ Fidei doctrinam a majoribus ſuis acceptam ſervavit, ut in ſuperioribus oſtendimus: & Ammonius divinæ philoſophiæ præcepta ad extremum uſque terminum vitæ integra, atque immota retinuit.*

De Ammonii Apoſtaſia Orſi opinio refellitur. Orſi hiſt. Eccl. to.3. pag.20., & ſeq.

8. Poſt tam apertam Ammonii apologiam, quam auctoritate ſua Hieronymus confirmat, plura in ejuſdem fama a Porphyrii calumniis vindicanda addere ſuperfluum videri poſſet, ac eſſet, niſi noviſſimus hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcriptor, & quidem doctrina atque eruditione clariſſimus, dignitate vero Eminentiſſimus, Ammonium iterum in jus vocatum, unico Porphyrio teſte, e Chriſtianorum albo non ſolum expungendum, ſed & inter apoſtatas, infenſiſſimoſque chriſtianæ Religionis hoſtes recenſendum eſſe pronunciaſſet. Ne tamen exageraſſe hæc magis, quam confutaſſe videamur, præcipua argumenta, quæ in opinionis ſuæ confirmationem doctiſſimus Hiſtoricus congeſſit, breviter ſunt perſtringenda. Duobus autem rem ſe probare poſſe confidit, Porphyrii ſcilicet teſtimonio, qui Ammonium chriſtianæ Fidei, in qua enutritus fuerat, renunciaſſe tradit, ſtatim ac Philoſophiæ ſtudio totum ſe dedit: altero, quod Ammonii fides, doctrinave ex diſcipulis ejus metienda ſit; cumque conſtet ex iis Plotinum, Longinum, Hieroclem, alioſque a Chriſtiana religione nedum alienos, ſed impugnatores fuiſſe, hinc & Ammonium inter illius hoſtes accenſendum eſſe arbitratur. Hæc tamen mi-
Orſi tom. 3. pag. 16. nus vere ab erudito Viro adnotata fuiſſe, facile patebit. Quæ enim infenſiſſimo Chriſtianorum adverſario fides habenda eſt iis in libris, quos adverſus Chriſtianos vulgavit: *Quomodo enim*, ait Euſebius, *non mentiretur, qui adverſus Chriſtianos ſcribebat?* cujus etiam mendacia tum in iis, quæ de Am-
Lib. 6. 19. monio, ac de Origene ſcripſit, Euſebius recenſet, & confutat, qui etiam ut Ammonii famam a Porphyrii calumniis vin-

vindicaret; ejuſdem libros in ſuæ opinionis confirmationem memorat: *Teſtantur id*, inquit, *etiamnum lucubrationes viri illius, ob ea quæ reliquit ingenii monumenta celeberrimi, exempli gratia, liber ille, cui titulus eſt: de conſenſu Moyſi, ac Jeſu, & quicumque alii apud ſtudioſos reperiuntur*; cujuſmodi erat Armonia Evangelica, quam *Evangelicos Canones* appellat Hieronymus. Quis porro Euſebio, & Hieronymo Porphyrium præferendum exiſtimabit? aut quis Ammonii libris magis credendum, quam Porphyrii mendaciis non arbitrabitur? Nec Orſium adnotaſſe juvabit, clariſſimos Ammonii Apologiſtas, Euſebium ſcilicet, & Hieronymum, in eo fuiſſe deceptos, quod Ammonio Saccæ ea opuſcula adſcripſerint, quæ alteri ejuſdem nominis, & patria quidem Alexandrino, ſunt inſcribenda: quod inde probare ſatagit, quia gentiles Philoſophi, qui illius ſcholam frequentarunt, de hujuſmodi opuſculis nullam mentionem fecerint. Quin tamen hæc leviſſima ſint, ac hiſtoriæ non tam vulnera, quam funera, nullus, puto, Lector dubitabit; nam ſi ob gentilium Philoſophorum ſilentium Ammonio ea abjudicanda eſſent opuſcula, quæ eidem Euſebius, & Hieronymus attribuerunt, quid in hiſtoria eccleſiaſtica certum erit, cum præcipue in veterum ſcriptorum elucubrationibus retexendis, nullus antiquior, aut accuratior Euſebio, vel Hieronymo habeatur, quorum tanta hactenus auctoritas fuit, ut uſque ad Orſium nemo Ammonium chriſtianum fuiſſe dubitaverit, aut opuſcula eidem ab Euſebio inſcripta abjudicaverit, ut apud Tillemontium, Dupinium, Moſhemium, Odinum, Caveum, alioſque videre eſt.

Euſeb. ut ſupra.

Baron. ann. 134. Pag. ibid. Tillem. tom. 3. hiſt. Dupin. to. 1. bibl. p. 323. Moſhem. inſtit. hiſt. Eccleſ. pag. 71. Odin. de ſcript. Eccl. to. 1. Caveus hiſt. litt. ſæcul. 2. tom. 1. Baſnag. Annal. an. 204.

Aliud argumentum ſolvitur.

9. Alterum vero quod addit, ex diſcipulorum moribus, & doctrina Ammonii fidem eſſe metiendam, falſiſſimum eſſe, facile convincitur. Alioquin & Juſtinus Martyr Encratitis accenſendus erit, ſi ex Tatiano diſcipulo fides ejus dimetienda eſſet: inſuper, etſi gentilium Philoſophorum nonnullos Ammonii Scholam frequentaſſe ſciamus, Chriſtianorum etiam plurimos ex iis fuiſſe conſtat, quorum numero Heraclas, & Origenes: quare ſi de Ammonii doctrina ex diſcipulis ejus judicandum eſt, cur ex Gentilibus Gentilem eum fuiſſe magis cenſebimus, quam ex Chriſtianis Chriſtianum, ut Euſebius, & Hieronymus apertiſſime tradunt? Sed de his hactenus, quibus plura addere, ſicuti ſuperfluum, ita hæc adnotaſſe non inutile erit.

10. Quod-

Jeſu Chr. an. 203.

Quænam eſſet Ammonii Philoſophia.

Euſeb. lib. 6. 19.

10. Quodnam autem Philoſophiæ genus fuerit; quod Ammonio eam nominis celebritatem peperit, ut ſui temporis Philoſophorum princeps dici meruerit, difficillimum eſt definire. Siqua tamen Euſebio fides habenda eſt, & Hieronymo, eam philoſophiæ methodum ſectamque tenuiſſe, quæ propius ad chriſtianæ Religionis dogmata tuenda, explicandaque accederet, dicendum eſt: quod etiam ex illius ſcriptis, quæ ſua ætate ſupererant, confirmat Euſebius, ut ſupra adnotavimus. Platonis ſiquidem Philoſophiam non ſolum apud Orientales, & maxime apud Ægyptios antiquitus floruiſſe, ac veteres etiam Eccleſiæ Patres præ ceteris in deliciis habuiſſe, utpote chriſtianæ Religionis dogmatibus explicandis aptiorem, ita exploratum eſt, ut probari non ſit neceſſe, nec inſtituti noſtri ratio patitur de Platonicæ philoſophiæ antiquitate; præſtantia, dogmatibus, aut uſu plura perſequi, quæ facile apud eruditos viros curioſus lector inveniet, & maxime apud Brucherium in hiſtoria critica philoſophica; paucis vero, ſed accuratiſſime in præfatione, ſeu diſcurſu prævio ad Dictionarium de hæreſibus, Gallice primum, deinde Italice Neapoli editum. Ad rem noſtram adnotare juvabit, diſcriminis aliquid interceſſiſſe veteres inter, recentioreſque Platonicos, qui deſinente ſecundo ſæculo, tertioque ineunte in Ægypto floruerunt. Veteres enim aliarum ſectarum exemplo in verba magiſtri jurabant, ac totis viribus Platonis placita tuebantur, cæteraſque opiniones contentioſe impugnabant: hinc de rebus etiam maximis, de Deo ſcilicet, de Angelis, de Mundi creatione, de animæ immortalitate &c. inter Philoſophos diverſarum ſectarum, perpetuæ lites diſſenſioneſque dimanarunt.

Nova Platonicorum ſeu Eclecticorum ſecta exoritur.

11. Contentioſum hoc philoſophiæ genus cum ſapientioribus tandem diſpliceret, nova hoc tempore Philoſophorum emerſit ſecta, Platonicorum recentiorum dicta, quia præcipua Platonis quidem de Deo, de animæ immortalitate, de Mundi origine, & adminiſtratione dogmata amplectabantur; at non ita in verba magiſtri jurabant, ut quæcumque etiam in aliis philoſophorum ſectis veritati conſentanea invenirent, aut ſuis placitis accommodata, reſpuerent: quinimo, omiſſis diſputationibus, & ſectarum ſtudiis, unicam veritatem inquirere, ſectarique gloriabantur. Quis hanc philoſophiæ methodum primus docuerit, in obſcuro eſt. Patamonem quemdam, Ale-

Alexandrinum Philoſophum & gentilem, auctorem ejuſdem ſectæ fuiſſe nonnulli tradiderunt: hoc certum eſt, Pantenum, & Clementem Alex. inter chriſtianos ante Ammonium id philoſophandi genus probaſſe. At cum eidem ſectæ ſe addixiſſet Ammonius, eam eouſque illuſtravit, noviſque inventis auxit, ut & maximam ſibi nominis claritatem fecerit, & omnium ſui temporis Philoſophorum princeps fuerit renunciatus. Non ſolum enim, aliorum Eclecticorum exemplo, veritatem per omnes Philoſophorum ſectas diſperſam, tanquam egregium Dei munus, colligere, atque hominibus tradere, ſapientis & maxime chriſtiani doctoris officium eſſe exiſtimavit, ſed & ſectarum omnium Philoſophos in unam ſociare curavit, ut ſublata nominum opinionumque diverſitate, una omnium, ſi fieri poſſet, eſſet Philoſophia, una Religio.

Jerocles de provid. & fato apud Phot. Cod. 114. 115.

Ammonius a Moshemii cenſura vindicatus.

12. Quantum in ſuſcepto conſilio profecerit Ammonius, quiſve chriſtianæ Religionis fructus inde fuerit, nobis ſane non conſtat; ſcire tamen ſat erit, Euſebio & Hieronymo teſtantibus, eum inter Philoſophos cum laude vixiſſe, ac ad obitum uſque in confeſſione Fidei perſeveraſſe. Qui vero Philoſophiam Ammonii, & Religionem ex ejuſdem diſcipulis, Porphyrio ſcilicet, Plothino, aliiſque gentilibus ſcriptoribus, dimetiendam putant, Philoſophiæ, & chriſtianæ Religionis corruptorem, & apoſtatam eum fuiſſe ſcribunt; cum enim ii ſcriptores de Divinitate, Deique operibus, de Angelis, de Mundi creatione, de animæ immortalitate, aliiſque dogmatibus multa commenti fuerint, quæ cum chriſtiana Religione componi non poſſunt, eodem quoque luto Ammonium magiſtrum hæſiſſe contendunt, ut ſupra ab Orſio factum fuiſſe vidimus. Nec ab ejuſdem ſententia multum Moshemius diſtat; nam etſi eum in chriſtiana Religione perſeveraſſe non diffiteatur, ſimulatorem tamen & ſycophantam fuiſſe inquit: *Homo hic Chriſtianus, & fortaſſis ad obitum uſque chriſtianæ Religionis ſimulator*; novoque philoſophiæ genere graviſſimis cladibus Eccleſiam affeciſſe ſubdit: inter cetera, *triſte illud hominum genus peperit, quod Myſticorum appellatur*; & quod abſurdius adhuc Moshemio viſum eſt, Ammonii philoſophia *vitæ illius ignavæ fundamenta jecit, quam tot tamque numeroſi Monachorum exercitus deinde duxerunt; ac varios Chriſtianis ſuaſit ritus vanos, ineptos, & ad ſuperſtitionem fovendam utiliſſimos, quorum non exiguam partem ad hoc uſque tempus ſancte a mul-*

Orſi ut ſup. Moshem. inſtit. hiſt. eccleſ. pag. 71.

Jesu Chr. an. 203. *tis ſervari videmus*: cujuſmodi ſunt variæ corporis afflictationes, jejunia, humicubationes, orationis frequentia, rerum divinarum contemplatio, aliæque piæ exercitationes, quibus homines pii ad frænandam carnis libidinem uti ſolebant, ac adhuc utuntur.

Unde monachalis diſciplina orta ſit.

13. Quid vero hæc cum variis philoſophorum ſectis, ac Platonis philoſophia commune habeant, nemo, niſi cum Moshemio deliraverit, facile divinabit. Nam etſi verum ſit philoſophorum aliquos, & præcipue Platonicos, verbo & exemplo docuiſſe vigiliis, jejuniis, aliiſque afflictationibus coercendam eſſe carnis petulantiam, ut rerum divinarum meditationi mens facilius vacare poſſet, cujuſmodi etiam ante Chriſtum natum fuere Eſſeni, & Terapeutæ, Philone & Joſepho teſte; Myſticorum tamen exercitationes, Monachorumque diſciplinam ex eadem Platonis philoſophia prodiiſſe, uti ad ravim uſque Moshemius contendit, ac paſſim inculcat, dum de Monachorum origine, progreſſu, & diſciplina agit, abſurdum adeo eſt, ut chriſtiano, & erudito viro hæc in mentem veniſſe mirum ſit; ea vero probaſſe portentum, niſi eum Sectæ ſuæ præjudicia dementaſſent. Innumeræ quippe in Evangelio occurrunt ſententiæ, quibus homines a terrenarum rerum affectu revocantur, atque ad cæleſtium meditationem excitantur: innumeræ etiam, quibus ad voluntariam paupertatem, continentiam, caſtitatem, ad jejunia, aliaque pietatis officia fideles commoventur. Queis cum ab ipſo Eccleſiæ ortu chriſtianorum plurimi ſe ſe dediſſent, horumque alii exempla ſequuti eſſent, non ſolum privatim, ſed coacervatim etiam temporis progreſſu, nempe quarto ineunte ſeculo, exinde Myſticorum, atque Monachorum greges prodierunt. Non alibi ergo, quam in ipſo Evangelio illorum origo quærenda eſt, vel in Sanctorum exemplo, Joannis ſcilicet Baptiſtæ, Apoſtolorum, aliorumque, qui eamdem vivendi rationem ſectati ſunt, aliiſque imitandam reliquerunt, quibus ſane tota Platonicorum ſchola æquales non habuit. Fruſtra itaque ex Ammonii ſchola Myſticos, Monachoſque, tanquam chriſtianæ Religionis funera, prodiiſſe ſibi finxit Moshemius, ne quamplurima pietatis officia, quæ ab Apoſtolorum temporibus continua ſucceſſione etiamnum in Eccleſia catholica a fidelibus religioſe obſervata ſunt, ex Apoſtolica traditione prodiiſſe fateri cogeretur: in monachos etiam injurioſus & infenſus,

ſus ; ut ſectæ ſuæ Principi adularetur , ideſt Luthero , qui monachalis diſciplinæ deſertor , & caſtitatis , quam ſolemniter voverat , prævaricator , illicitum cum virgine connubium inivit , quam eadem vota violare docuerat . Quapropter inter præcipua ſuæ reformationis capita , virorum , feminarumque monachatum omnino exterminandum conſtituit , re ipſa oſtendens , ſe , ſuoſque non Platonis , ſed Epicuri philoſophiæ delectari : homines idcirco carnales , qui , ut ait Judas Apoſt. , ea quæ ignorant , blaſphemant . | Jesu Chr. an.203. | *Jud. epiſt. verſ.* 10.

14. Ceterum etſi nonnulli philoſophiæ ſtudio in ſui ipſorum , aliorumque perniciem abuſi ſunt , ut etiam falſa dogmata , ac hæreſes docuerint , id philoſophiæ non eſt tribuendum , ſed humanæ mentis ſuperbiæ , aut imbecillitati , dum ſublimiora chriſtianæ Religionis myſteria ex philoſophorum placitis definientes , nil ſanctum , niſi philoſophorum auctoritate , exiſtimabant , ac philoſophiæ religionem famulari cogebant , uti appoſite adnotat Clemens Alex. : *Ceterum ea abuti homines interdum accidit , vel cum non ea ut organo ad veritatem utuntur , ſed veluti finem conſecuti , in ea firmiter conquieſcunt . Hos autem admonet illud ex divina Scriptura ſymbolicum : Quare ſeduceris fili mi ab aliena , & foveris in ſinu alterius ? Quamobrem humanarum iſta rerum ſcientia jure a Philone Agar ancillæ eſt comparata , quæ per omnia Saræ ſubjicienda eſt* , nimirum divinæ revelationi , quæ in Religionis negotio primum tenere locum decet . Ac proinde cum Agar in Saram inſurgit , tunc Abraham , intellectus nempe principatum tenens , admonetur : *Ejice ancillam* ; qui eam illi ſubjiciens ait : *Ancilla tua in manu tua eſt , utere ea uti libet* : ſed & Agar ab Angelo admonetur revertere ad Dominam ſuam , & humiliari ſub manu illius ; meminiſſeque debere , ſe non dominam , ſed ancillam eſſe . Quo ſenſu ajebat Auguſtinus : *Philoſophi autem qui vocantur , ſi qua forte vera , & Fidei noſtræ accommoda dixerunt , maxime Platonici , non ſolum formidanda non ſunt ; ſed ab iis etiam , tamquam ab injuſtis poſſeſſoribus , in uſum noſtrum vindicanda* . Quod a clariſſimis viris pietate , ac doctrina celeberrimis , non ſine divino conſilio , primis Eccleſiæ ſæculis factitatum fuiſſe ſcimus : cujuſmodi fuerunt Juſtinus Martyr , Athenagoras , Miltiades , Quadratus , Ariſtides , Pantenus , Clemens Alex. , Ammonius , Origenes , aliique ſexcenti , qui , toto ſpectante atque mi- | De uſu philoſophiæ in rebus ſacris. | *Clem. Alex. ſtrom. lib.* 1. | *Prov.* 5. | *Aug. de Doctrin. Chriſt. lib.* 2. *cap.* 40.

 ran-

Jesu Chr. an. 203.

rante Orbe, Philoſophiam cum chriſtiana pietate ac eruditione conjungentes, Gentilium magiſtri effecti, philoſophiam chriſtianæ Religioni famulari, & Eccleſiæ augmentis inſervire cogebant.

Præſtantia chriſtianæ philoſophiæ. *Orig. contra Celſum lib. 7.*

15. Chriſtianam vero philoſophiam Gentilium ſcientia præſtare inde demonſtrabat Origenes, quod Philoſophi gentiles poſt innumeras de Deo, de hominis felicitate quæſtiones, omni vitiorum cœno volutabantur: Chriſtiani econtra gravitate morum, ac vitæ integritate, celeberrimos etiam Philoſophos facile vincebant: *Cæterum homines idiotæ*, ait Origenes, *ab eis pro nihilo habiti, ut ſtulti, & illiberales, ſi modo committant ſe in fidem Dei, & doctrinam Jeſu recipiant, tantum abſunt ab omni laſcivia, ſpurcitia, turpitudine libidinum, ut in morem perfectorum Sacerdotum, ab omni coitu abhorrentium, multi eorum in totum caſte, pureque vivant, alieni a congreſſu mulierum, etiam legitimo*. Quod quantum a Gentilium moribus alienum eſſet, hoc exemplo confirmat: *Apud Athenienſes quidem unicus Pontifex, ne ipſe quidem ſatis ſibi fidens, quod imperare poſſit maſculis cupiditatibus, cicuta oblitis virilibus patitur ſatis idoneus ad caſte obeundas ejus civitatis ſolemnes cærimonias. At apud Chriſtianos non deſunt viri, quibus cicuta ad hoc nihil opus eſt, ut Deo caſte ſerviant, ſed pro cicuta eis verbum Dei ſufficit, ad expellendas e cogitationibus omnes concupiſcentias, & vacandum precationibus*.

Origenes docendi munus aſſumit: ejuſdem officia in Chriſtianos perſecutionis tempore. *Euſeb. lib. 6. 3.*

16. *Cum interea*, ait Euſebius, *nemo ſupereſſet Alexandriæ, qui tradendis Fidei noſtræ rudimentis operam daret, omnibus ob perſecutionis metum pulſis, ac fugatis*; Origenes etſi tunc annum decimum octavum vix attigiſſet, Catechumenis inſtituendis præfectus eſt: quo etiam tempore maximam ſibi apud fideles exiſtimationem comparavit ob innumera pietatis, charitatiſque officia, quibus fideles proſequebatur, & maxime Fidei confeſſores, quos ſæpe in carcere detentos viſebat, quumque ad ſupplicium raperentur, incredibili fiducia conſolabatur, atque in propoſito confirmabat, pericula, aut

Origenes a Gentilibus ad necem quæſitus, latitare cogitur.

Gentilium furorem omnino ſpernens. Quapropter illorum rabies in eum adeo exarſit, ut ejus domum ſæpius conglobati obſiderent, extrema minitantes ſupplicia: cumque latitandi cauſa ex æde in ædem quotidie migrare cogeretur, nec Alexandriæ ſecurus ultra conſiſtere poſſet, tandem inde aufugit, atque Cæſareæ in Cappadocia apud quamdam Julianam vir-

virginem aliquando latitaſſe, tradit Palladius. Jesu Chr. an.203.

17. De ejuſdem autem vitæ, ſtudiorumque ratione hæc Euſebius adnotat. Diurno tempore graviſſimos cujuſquemodi exercitationum labores tolerabat; noctis vero partem maximam divinarum Scripturarum ſtudio impendebat, ac ſeveriſſimis Philoſophiæ inſtitutis ſemetipſum coercens, jejuniis corpus extenuabat, ſomnumque non in ſtrato, ſed humi capiebat. Nec iis contentus, pluſquam vires ferre poſſent, in frigore, & nuditate perſtabat: Evangelicæ paupertatis adeo amator, ut cunctis admirationi eſſet, cum oblatas ſemel iterumque pecunias & facultates conſtantiſſime recuſaverit: multis præterea annis nudis inceſſit veſtigiis, vino, aliiſque rebus minus ad victum neceſſariis abſtinens. Quibus arctioris vitæ exemplis non ſolum plures ex diſcipulis ad ſui imitationem impulit, ſed quamplurimos ex Gentilibus omni etiam doctrinarum genere præclaros ad Chriſti gregem pertraxit, qui ab ipſo veram fidem edocti, perſecutionem tunc temporis ſævientem non horruerunt: quinimo eorum plurimos Martyrii palma condecorati glorioſe obierunt.

Pallad. in lauſiac. cap. 58. Origenis vitæ inſtitutum.

18. Horum primus, eodem Euſebio teſtante, fuit Plutarcus, cui, cum ad mortem duceretur, dum Origenes ad extremum uſque vitæ terminum individuus adhæreret, parum abfuit, quin a gentilibus occideretur, utpote qui necis illius auctor haberetur. Plutarchi conſtantiam imitatus eſt Severus, qui fidem, quam acceperat, igne examinatam, ac probatam exhibuit. Tertius ex eadem ſchola martyr extitit Heraclides, ac deinde quartus Heron, ambo ſecuri percuſſi. Prior dum adhuc eſſet catechumenus, alter vero vix aliquot a ſuſcepto baptiſmate elapſis diebus. His acceſſit Serenus alter, qui poſt longos cruciatus capite damnatus fuit. Ex mulierum autem numero Herais quædam adhuc catechumena per ignem martyrium adepta eſt. Celebrior adhuc Potamiæna virgo, quæ cum pro Virginitate ſervanda ſæpius adverſus amatores acriter certaſſet, tandem poſt acerbiſſimos horribileſque cruciatus, unacum matre Marcella igne conſumpta, ex hac vita diſceſſit.

Origenis diſcipuli martyrio & pietate celebres. *Euſeb. lib. 6. 4.* De Plutarcho, Sereno, & aliis Martyribus. *Euſeb. lib. 6. cap. 4. 5.*

19. Potamiænam paulo poſt ſecutus eſt Baſilides, unus ex apparitoribus, qui cum eam ad ſupplicium duceret, ac plebem obſcœnis verbis ſanctæ Virginis illudentem, multiſque modis vexantem compreſſiſſet, pluraque in eam miſericordiæ, humanitatiſque indicia exhibuiſſet, ut bono animo eſſet Potamiæ-

Baſilidis confeſſio fidei, & martyrium.

Jesu Chr. An.203. miæna juſſit, promittens ſe poſt obitum ſalutem ipſius a Domino impetraturam, & collata in ſe beneficia remuneraturam, quod iterum tertio poſt martyrium die per viſionem illi confirmavit. Quare cum Baſilides a contubernalibus ſuis ſacramento adigeretur, nefaſque ſibi eſſe, utpote Chriſtiano, omnino jurare, affirmaſſet; primo quidem jocari eum arbitrabantur: verum cum in eo conſtanter perſiſteret, ad judicem perductus, fidemque Chriſti palam confeſſus, in vincula conjicitur, ubi cum eſſet, a fratribus ſignaculum Domini accepit, ac poſtridie capite truncatus martyrii coronam promeruit. Plures quoque alios ex Alexandrinis civibus eodem tempore ad fidem Chriſti ſubito vocatos fuiſſe narrat Euſebius, quos Potamiæna in ſomnis apparens de patrio errore commonuerat. Hujus Virginis certamina, & martyrium ex Iſidoro refert in hiſtoria Lauſiaca Palladius.

Euſeb. lib.6. cap.5.

Ruinart. act. martyr. pag. 101.

Palladius cap. 3.

Multi per viſiones adChriſtianam fidem vocati.

Orig. adverſ. Celſum lib. 1.

20. Hactenus de Martyribus Alexandrinis ſub Severo Imp.. Quod autem Baſilidi, aliiſque contigiſſe audivimus, ut viſionibus ſcilicet, & revelationibus ad chriſtianam fidem perducerentur, aliis eadem ætate accidiſſe, teſtis eſt Origenes: *Irrideat licet Celſus, quod dicetur, aut introductus ab eo Judæus, dicetur tamen, multos pene invitos attractos eſſe ad chriſtianam Religionem, ſpiritu quodam mutante intellectum eorum, ut pro verbo exoſo ad id temporis non cunctarentur mortem oppetere, poſt viſiones oblatas ipſis vel dormientibus, vel vigilantibus. Multa enim talia vidimus, quæ ſi memorarentur dumtaxat geſta in noſtra præſentia, cachinnum tollerent infideles, rati, nos quoque, ſicut illos, de quibus male ſuſpicantur, fingere. Teſtis autem eſt Deus noſtræ conſcientiæ, conari me non falſis narratiunculis, ſed veris exemplis commendare Jeſu doctrinam.*

Origenes ſeipſum mutilat.

Euſeb.lib.6.8.

Matt. 9.

21. Hoc etiam tempore, quo Origenes catechumenis inſtruendis vacabat, audax facinus agreſſus eſt, quo minus perfecti ſenſus, & juvenilis audaciæ indicium præbuit, continentiæ tamen maximum ſpecimen oſtendit. Nam cum illud Evangelii: *ſunt quidem Eunuchi, qui ſe ipſos caſtraverunt propter regnum cælorum*, ſimplicius accepiſſet; ut Dominicum verbum adimpleret, atque omnem obſcœni rumoris, & calumniæ occaſionem infidelibus adimeret, eo quod ætate juvenis non ſolum viris, ſed & fœminis divinæ fidei præcepta tradebat, dictum Servatoris reipſa exequi adortus eſt. Providerat

rat quidem, ut familiares ſuos aliquandiu ea res lateret: verum ad Demetrium Epiſcopum delata, primum juvenis audaciam admiratus, ut bono animo eſſet, majorique cura inceptis vacaret, hortatus eſt; poſt annos vero aliquot, mutato conſilio, ob idem facinus Alexandria ejecit, ut ſuo loco videbimus. JESU CHR. AN.203.

JESU CHRISTI AN. 204. ZEPHYRINI PAPÆ 4.
SEVERI IMPERATORIS 12.
COSS. FABIO CILONE, ET M. ANNIO LIBONE.
OLYMPIAD. 245. AN. 4. URBIS AN. 957.

1. Chriſti annus 204. Ludorum ſæcularium celebratione illuſtratus eſt, teſte Cenſorino. Qua vero celebritate ſint editi, Herodianus indicat: *Vidimus ſub illo quoſdam omnis generis ludos, cunctis editis theatris, ſimulque ſupplicationes, & pervigilia ad formam Cereris initiatorum. Sæculares hi tunc appellabantur*; ac per Urbem, & Italiam præcones ibant convocantes omnes ad ludos, quos nec vidiſſent hactenus, nec viſuri poſtmodum forent; de quibus apud Zozimum plura videri poſſunt. Ludi ſeculares celebrati. *Cenſorin. de die natalit. cap. 17. Herod. lib. 3. Zozim. lib. 2.*

2. Eodem anno Plautianus Severo præ ceteris cariſſimus, cujus filiam Antoninus Caracalla uxorem duxerat, perduellionis accuſatus, quod utroſque Imperatores necare meditaretur, miſere periit. *Sic itaque*, inquit Dio, *Plautianus noſtra memoria omnium hominum potentiſſimus, quem magis, quam ipſum Principem metuebant omnes, quique ſpe multo majore elatus fuerat, a genero interficitur, eque palatio projicitur in viam, quamvis tandem elatus juſſu Severi, & ſepultura affectus eſt*, unaque cum illo plurimi affinitate, aut amicitia conjuncti perierunt. Plautus vero Plautiani filius, & Plautilla filia, Caracallæ nupta, in Liparim inſulam primo relegati, poſt annos aliquot, ejuſdem Antonini juſſu, necati ſunt, ut Dio, & Herodianus narrant. Plautianus occiditur. *Dio lib. 75. Herod. lib. 3. Dio Herod.) ut ſup*

3. Florebat ea ætate vir celeberrimus, cujus ingenium adhuc miramur, caſum lugemus. Is erat Septimius Tertullianus, patria Carthaginenſis, patre Centurione proconſulari natus, ideſt, Centurione apparitorum Proconſulis, qui & ipſe Gentilis filium gentiliter educaverat, ut idem teſtatur Tertullianus, Gentiles ſic alloquens: *& nos riſimus, aliquando de* De Tertulliani initiis, & ſtudiis.

ve-

Jesu Chr. an.204. *Lib. de reſurr. cap. 59.* *veſtris fuimus, fiunt, non naſcuntur Chriſtiani*. Atque unacum eorum ſuperſtitionibus libidini inſerviiſſe, non obſcure his verbis indicat. *Ego me ſcio, neque alia carne adulteria commiſiſſe, neque nunc alia carne ad continentiam eniti*: *De ſpect. cap. 19.* quo etiam tempore ſpectaculis delectabatur, de quibus, *malo*, inquit, *non implere, quam meminiſſe*, ideſt pauca de iiſdem dicere, quam eorum, quæ vidi, meminiſſe: ac libro de pœnitentia ſe omnium peccatorum maximum fuiſſe fatetur, *De pœnit. cap. 4. cap. 12.* lapſiſque pœnitentiam ſuadens, ait: *eam tu peccator mei ſimilis, (immo me minor, ego enim præſtantiam in delictis meam agnoſco) pœnitentiam ita invade, ita amplexare, ut naufragus alicui tabulæ fidens*. Cap. vero 12. de vita in vitiis transacta: *Quid ego ultra de iſtis* (ideſt de pœnitentia) *peccator omnium notarum cum ſim, nec ulli rei niſi pœnitentiæ natus*. Forenſibus vacaſſe ſtudiis, ac legum peritia excelluiſſe, tradit Euſebius: *Euſeb. lib. 2. 2.* *Tertullianus vir legum Romanarum peritiſſimus, & inter Scriptores latinos celeberrimus*. Romæ autem, an Carthagine forum frequentaverit, incertum. Veroſimilius eſt Carthagine eum cauſas dixiſſe; Romæ tamen aliquando eum fuiſſe, non ſolum conjecturis aliquot, ſed apertis Tertulliani verbis comprobatur. Quare Baronium id adfirmantem immerita cenſura caſtigavit Pagius, quem ipſe Tertullianus libro de cultu fœminarum manifeſto erraſſe probat: *Gemmarum quoque nobilitatem vidimus Romæ de faſtigio Parthorum, & Medorum, ceterorumque Gentilium ſuorum*.

Tilemont. not. 1. in Tertull. Pag. an. 199. not. 3. Bar. ibid. Tertull. de cultu Famin. cap. 7.

Qua ætate Tertullianus Chriſtianam fidem ſuſceperit.

4. Floreſcente adhuc ætate chriſtianam Fidem ſuſcepiſſe Tertullianum, etſi certo probari non poſſit, veroſimile redditur ex libro de nuptiarum moleſtiis ab eodem vulgato, ut teſtis eſt Hieronymus, cujus & ad Euſtochium ſcribens meminit: *Hier. contra Jovin. lib. 1. epiſt. 22. n. 22.* *Si tibi placet ſcire, quot moleſtiis virgo libera, quot uxor adſtricta ſit, lege Tertullianum ad amicum philoſophum*. Hunc autem librum ab eo in adoleſcentia non ſolum, ut innuit Hieronymus, ſed & chriſtiano ſtylo ſcriptum fuiſſe, inde Baronius conjicit, quod ad eum chriſtianam virginem idem Hieronymus provocaverit, ut, quæ nuptiarum moleſtiæ eſſent, addiſceret. Uxorem vero, eamque chriſtianam habuiſſe, libri ad eam inſcripti teſtantur. Hic porro cum divinis, humaniſque litteris apprime excelleret, presbyter deinde eſt ordinatus (Romanæ, an Carthaginenſis Eccleſiæ, inter ſe veteres diſſident), atque ad mediam uſque ætatem in catholica Ec-

Tertullianus presbyter ordinatur. *Optat. lib. 1.*

Digitized by Google

Jesu Chr. An. 204.

Hier. de vir. Illuſt. cap. 53.

Eccleſia perſeveravit, ſcriptis etiam eam illuſtrans: cujus opuſcula quanti faceret Cyprianus, Hieronymus his verbis adnotat: *Vidi ego quemdam Paulum Concordiæ, quod oppidum Italiæ eſt, ſenem, qui ſe Beati Cypriani jam grandis ætatis notarium, cum ipſe admodum eſſet adoleſcens, Romæ vidiſſe diceret, referreque ſibi ſolitum nunquam Cyprianum abſque Tertulliani lectione unum diem præteriiſſe, ac ſibi crebro dicere, da Magiſtrum*, Tertullianum ſignificans.

Tertullianus ad Montaniſtas tranſit.

Baſnag. an. 200.
Tillem. not. 15. in Tertul.
Dupin. tom. 1. pag. 232.
Bar. an. 201.
Baſnag. ibid.
Dupin. 226.
Tillem. not. 14.
Tertull. adverſ. Prax. cap. 1. de pudicitia cap. 1.
Bar. Tillem. ut ſupra.
Tertull. in Valent. cap. 1.

5. Secundo definente ſæculo, aut tertii initio ad Montaniſtas migraſſe, ſupracitato loco teſtatur Hieronymus, cui Romanos Clericos cauſam dediſſe, ibidem addit: *invidia, & contumeliis Clericorum Romanæ Eccleſiæ, ad Montani dogmata delapſus*. Aliam tamen ſchiſmatis ſui cauſam ipſe Tertullianus ſibi fuiſſe declarat: *Nos quidem poſtea cognitio, atque defenſio Paracleti disjunxit a Pſychicis*, ideſt Catholicis: & alibi: *Erit & hic adverſus Pſychicos titulus, adverſus meæ quoque ſententiæ retro penes illos ſocietatem*; Montaniſtæ enim Paracletum continuo ſibi adeſſe ſomniabant. A Proculò autem inter Montaniſtas ejus ætatis celeberrimo (adverſus quem ſub Zephyrino Papa Cajus presbyter diſputationem Romæ habuit) ſeductum fuiſſe, facile credi poteſt, cujus etiam in ſcriptis ſuis, poſt Schiſma vulgatis, ſæpe cum laude meminit, atque inter cætera ob continentiam celebrat: *Proculus noſter virginalis ſenectæ*. Quæcumque igitur ſchiſmatis faciendi cauſa præceſſerit, dubitari non poteſt, durum hominis ingenium, & ad ſeveritatem propenſum, viam eidem monſtraſſe, ac aperuiſſe januam: hinc factum, ut contra regulam antea in libro de Præſcriptionibus traditam: *Ex Perſonis probamus fidem, an ex fide perſonas?* ob Montaniſtarum prophetias, auſterioremque vitæ diſciplinam illis ſeſe adjunxerit, ita ut, quæ mulierculæ delirando ſe vidiſſe dicerent, mox fidem præberet: unde in libro de anima ſerio hæc narrat: *Forte neſcio, quid de anima diſſerueramus, cum ea ſoror in Spiritu eſſet. Poſt tranſacta ſolemnia, dimiſſa plebe, quo uſu ſolet nobis renunciare, quæ viderit*. Illud ſane mirari ſatis non poſſumus, virum doctum iis non attendiſſe, quæ antea libro de Præſcriptionibus ſcripſerat, ubi Eccleſiæ auctoritatem, & traditiones in rebus dubiis conſulendas eſſe docuerat, ac præ ceteris Romanæ Eccleſiæ: quare, *habes Romam*, ajebat, *unde nobis quoque auctoritas præſto eſt: ſtatu felix Eccle-*

Tertull. de anima cap. 9.

De Eccleſiæ Rom. & traditionum auctoritate.

JESU CHR. AN.204. *cleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt: ubi Petrus paſſioni Dominicæ adæquatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur, ubi Apoſtolus Joannes, poſteaquam in oleum igneum demerſus, nihil paſſus eſt, in inſulam relegatur.* De traditionum autem uſu, & auctoritate agens, inter cetera inquirit, an & traditio non ſcripta recipi debeat; atque multa ſola traditione non ſcripta conſiſtere, ſanctèque ſervari docet, quod & exemplis confirmat his verbis: *ut a baptiſmate ingrediar, aquam adituri, ibidem, ſed & aliquanto prius in Eccleſia ſub Antiſtitis manu conteſtamur nos renuntiare diabolo, & pompæ, & Angelis ejus. Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid reſpondentes, quam Dominus in Evangelio determinavit. Inde ſuſcepti, lactis, & mellis concordiam prægustamus. Exque ea die lavacro quotidiano per totam hebdomadam abſtinemus. Euchariſtiæ Sacramentum, & in tempore victus, & omnibus mandatum a Domino etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam Præſidentium ſumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus. Die Dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate a die Paſchæ in Pentecoſten uſque gaudemus. Calicis, aut panis etiam noſtri aliquid decuti in terram anxie patimur. Ad omnem progreſſum, atque promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad veſtitum & calceatum, ad lavacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quacumque nos converſatio exercet, frontem crucis ſignacula terimus. Harum & aliarum ejuſmodi diſciplinarum, ſi legem expoſtules Scripturarum, nullam invenies: traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix.* Hucuſque Tertullianus de antiquis Eccleſiæ ritibus ſola traditione firmatis.

Ibid. cap. 13.

De Tertulliani opuſculis, eorumque argumentis.

6. Multa ingenii ſui monumenta poſt ſe Tertullianus reliquit, quæ in duas claſſes ut plurimum diſtinguuntur, eorum ſcilicet, quæ Catholicus edidit, & eorum, quæ Montaniſtico ſpiritu abreptus vulgavit: utriuſque claſſis multa ſuperſunt; nonnulla vero perierunt. Horum crotonaxis, quantum conjecturis aſſequi poſſumus, hoc ordine recenſetur. Omnium primus occurrit liber de Nuptiarum moleſtiis, quem, teſte Hieronymo, in adoleſcentia digeſſit, atque inter deperditos enumeratur. Ad uxorem vero, cum adhuc Catholicus eſſet, duos dediſſe libros, inde patet, quod ſecundas nuptias peni-

De duobus libris ad uxorem.

penitus non reprobat, cum in Domino, ideſt cum fideli celebrarentur. An autem Sacerdotali munere fungeretur eo tempore, quo ad continentiam, in viduitate ſervandam, iis libris uxorem hortatus eſt, inter ſe Scriptores diſſident. A maritali autem officio eum tunc omnino non abhorruiſſe, hæc verba indicant: *Facultatem continentiæ, quantum poſſumus, diligamus: quam primum obvenerit, imbibamus, ut quod in matrimonio non valuimus, in viduitate ſectemur*. Quare continentiæ vinculis tunc temporis presbyteros nondum adſtrictos fuiſſe, nonnulli contendunt: ſed quamvis id verum eſſet, quod adhuc non conſtat; inaniter tamen Tertulliani exemplo cum Dalleo Novatores triumpharent, Catholicæ Eccleſiæ inſultantes, quod Sacerdotibus continentiam præcipiat. Nam cum moribus magis, & uſu, quam legibus continentiæ diſciplina inducta fuerit, uno, aut altero ejus ætatis exemplo nullatenus impugnatur: de quibus hoc loco plura addere non vacat, cum alibi de Clericorum continentia fuſiori calamo diſſeruerimus.

JESU CHR. AN.204.

Baſnag. ann. 200. 3.

to. 2. pag. 22. num.19.

7. De Præſcriptionibus librum inter Tertulliani opuſcula ceteris præſtare nemo ignorat: quem etſi editum ab eo fuiſſe, cum jam ad Montaniſtas tranſiiſſet, nonnulli tradiderint; totus tamen liber quantuſque eſt, ab auctore Catholico ſe prodiiſſe clamat. Nam præter ea, quæ ſupra adnotavimus de traditionum uſu & auctoritate, tot tantaque in eo libro adverſus hæreſes, & ſchiſmata occurrunt, ut fieri non poſſit, quod a ſchiſmatico, aut hæretico ſcribi potuerint. Inter cetera, non ex hominibus fidem, ſed ex fide homines dignoſcendos eſſe, teſtatur; itaut quantælibet doctrinæ, famæ, aut dignitatis ſint, non ideo tamen ab iis tradita, uti certa habenda ſunt, ſed juxta Apoſtoli monitum: *omnia probate, quod bonum eſt, tenete*; atque poſt fidem ſuſceptam nil ultra quærendum eſſe oſtendit: *Nobis curioſitate opus non eſt poſt Chriſtum Jeſum, neque inquiſitione poſt Evangelium. Cum credimus, nihil deſideramus ultra credere. Hoc enim prius credimus, non eſſe, quod ultra credere debeamus*. Expoſita deinde fidei regula, quam ſymbolo profitemur, ſubdit: *Hæc regula a Chriſto, ut probabitur, inſtituta, nullas habet apud nos quæſtiones, niſi quas hæreſes inferunt, & quæ hæreticos faciunt*. Quin etiam, cum ad Scripturas canonicas nos provocant Hæretici, nullam de Scripturis ineundam eſſe cum iis quæſtio-

De Præſcriptionum libro.
Dupin. tom.1. pag.233.
Baſnag. ann. 203. num. 9.
Dalleus in vita Tertull.
Tertull. contra Marcion. lib.1. cap. 1.
Baron. ann. 201. 16.
Tillem. tom.3. pag. 203. & not. 6. p. 656.
Chriſt. Lupus. Ad Theſſal. 5.
Cap. 13. ſeq.

JESU CHR. AN. 204. ſtionem admonet ; cum iidem aut non integras recipiant, aut corruptas habeant, aut adulterinis interpretationibus exponant: *Ergo non ad Scripturas provocandum eſt ; nec in his conſtituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria eſt, aut par incertæ. Inquirendum itaque eſt, quibus competat fides ipſa, cujus ſint Scripturæ, a quo, & per quos, & quando, & quibus ſit tradita diſciplina, quibus fiunt Chriſtiani; ubi enim apparuerit eſſe veritatem & diſciplinæ, & fidei chriſtianæ, illic erit veritas Scripturarum, & expoſitionum, & omnium traditionum chriſtianarum.*

Ab Apoſtolicis Eccleſiis veritas fidei repetenda. 8. Fidem itaque a Chriſto eſſe addiſcendam, proſequitur idem Tertullianus, quam Apoſtolis ſuis, ut per Orbem vulgarent, tradidit: *Si Dominus Jeſus Chriſtus Apoſtolos miſit ad prædicandum, alios non eſſe recipiendos prædicatores conſtat; nec niſi per eaſdem Eccleſias, quas ipſi Apoſtoli condiderunt, eis prædicando tam viva voce, quam per epiſtolas. Si hæc ita ſunt, conſtat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Eccleſiis Apoſtolicis, matricibus, & originalibus fidei conſpiret, viritati deputandam, quod Eccleſiæ ab Apoſtolis, Apoſtoli a Chriſto, Chriſtus a Deo accepit.* Veritatem autem ex Apoſtolicis Eccleſiis repetendam eſſe docet: *Communicamus cum Eccleſiis Apoſtolicis, quod nulli doctrina diverſa, hoc eſt teſtimonium veritatis*; & poſt plurima in eamdem rem, Apoſtolicas Eccleſias ex Epiſcoporum ſucceſſione diſtingui adnotat, itant ex Apoſtolicæ dicantur, in quibus Epiſcoporum ſeries ab Apoſtolo aliquo, vel Apoſtolorum diſcipulo, qui cum Apoſtolis perſeveraverit, initium ducat: unde addit: *Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt; Sicut Smyrnæorum Eccleſia Polycarpum ab Joanne conlocatum refert, ſicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum, itidem perinde, utique & ceteræ exhibent, quos ab Apoſtolis in Epiſcopatum* Cap. 36. *conſtitutos Apoſtolici ſeminis traduces habeant; confingant tale aliquid Heretici.* De Apoſtolicarum autem Eccleſiarum dignitate, & auctoritate, ac præcipue de Romana multa tradit, quæ ſuperius alia occaſione adnotavimus. Tandem de præſcri- Cap. 45. ptionibus librum his verbis claudit: *Nunc quidem generaliter actum eſt a nobis adverſus hæreſes omnes, certis, & juſtis, & neceſſariis præſcriptionibus repellendas a conlatione Scripturarum: de reliquo ſi Dei gratia annuerit, etiam ſpecialiter quibuſdam reſpondebimus.* Quæ autem ſequuntur a capite 45. ad

53.,

53., ideſt hæreſum catalogus a Simone Mago ad Victorinum, & Praxeam, aliena manu ejuſdem operi inſerta fuiſſe ab anonymo tertii ſæculi auctore, tradunt eruditi.

Georg. Tertull. rediv. Tillem. not. 7. in Tertull. Dupin. tom. 1. Bibliot. Baſnag. ann. 200. 9.

De libris de pœnitentia, pœnitentia, & oratione.

9. De Pœnitentia librum eo tempore ſcripſiſſe Tertullianum, quo nondum Montani dogmata ſectaretur, libri ipſius argumentum edocet; in eo enim poſt baptiſmum lapſi ad pœnitentiam excitantur, quam Montaniſtæ dandam eſſe negabant: *Omnibus ergo*, ajebat, *delictis ſeu carne, ſeu ſpiritu, ſeu facto, ſeu voluntate commiſſis, qui pœnam per judicium deſtinavit, idem & veniam per pœnitentiam ſpopondit dicens: Vivo ego, dicit Dominus, pœnitentiam malo magis, quam mortem*; & iterum de pœnitentia poſt baptiſmum: *Piget ſecundæ, immo jam ultimæ ſpei ſubtexere mentionem* (quia ſcilicet ſemel tantum ad publicam pœnitentiam agendam admittebantur) *ne retractantes de reſiduo auxilio pœnitendi, ſpatium adhuc delinquendi demonſtrare videamur .... Nemo idcirco deterior ſit, quia Deus melior eſt, toties delinquendo, quoties ignoſcitur*. Ubi etiam de confeſſionis utilitate ſubdit: *Tantum relevat confeſſio delictorum, quantum diſſimulatio exaggerat; confeſſio enim ſatiſfactionis conſilium eſt, diſſimulatio contumaciæ*. Et poſt plurima exomologeſis diſciplinam deſcribens, *Itaque exomologeſis*, inquit, *proſternendi, & humilificandi hominis diſciplina eſt, converſationem injungens miſericordiæ illicem; de ipſo quoque habitu atque victu mandat, ſacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum moeroribus dejicere, illa, quæ peccavit, triſti tractatione mutare: plerumque vero jejuniis preces alere, ingemiſcere, lachrymari, mugire dies, noctesque ad Dominum ſuum, presbyteris advolvi, caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ injungere*.

De confeſſionis utilitate & neceſſitate.

Confeſſionem vero non Deo ſolum, ſed & presbyteris faciendam eſſe, ſequenti capite inculcat, eos arguens, qui aut pudore, vel pœnitentiæ rigore, ab ea emittenda deterrebantur: *Pleroſque tamen hoc opus, ut publicationem ſui, aut ſuffugere, aut de die in diem differre, præſumo pudoris magis memores, quam ſalutis, velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione conſcientiam medentium vitant, & ita cum erubeſcentia ſua pereunt*. Porro ſi ſoli Deo facienda fuiſſet peccatorum confeſſio, ut Novatores clamitant, nullus pudori locus eſſet, cum Deo menifeſta ſint omnia, & nemo unquam ſua peccata confiteri Deo erubeſcat.

De

JESU CHR. AN.204. De confeſſione itaque ſacerdoti facienda ibidem loqui Tertullianum, extra dubium eſt: quod, & ſequentia verba confirmant, dum nimiam verecundiam excutiendam eſſe a pœnitentibus docet, quod fratribus conſervis ejuſdem Domini facienda ſit, qui peccantibus condolere poſſunt: *Ergo cum te ad genua fratrum proſternis, Chriſtum contrectas, Chriſtum exoras. Verecundiæ emolumentum occultatio delicti pollicetur. Verum, ſi quid humanæ notitiæ ſubduxerimus, proinde & Deo celabimus. An melius eſt damnatum latere, quam palam abſolvi.* Quid libri de patientia, & de oratione Dominicali contineant, ipſe titulus indicat.

De libro de pallio, quo tempore eum ediderit.

10. De pallio liber nil continet, quod aut catholicæ fidei adverſetur, aut Montaniſmum ſapiat: unde ante ſchiſma in lucem prodiiſſe probabilius eſt. Quo autem tempore eum Tertullianus vulgaverit, incertum: poſt ſuſceptum baptiſma induiſſe pallium, ac de eodem ſcripſiſſe, Pamelius ſuſpicatur: alii vero veſtem in pallium mutaſſe tradunt, cum Presbyter eſt ordinatus. Hæc tamen utpote incerta, aliis diſcutienda relinquimus: nobis indicare ſufficiet, Severo imperante id accidiſſe, uti idem Tertullianus hiſce verbis ſignificat: *Quantum reformavit Orbis ſæculum iſtud, quantum Urbium aut produxit, aut auxit, aut reddidit præſentis Imperii triplex virtus! Deo tot Auguſtis in unum favente, quot cenſus tranſcripti, quot populi repurgati, quot Ordines illuſtrati, quot Barbari repulſi. Revera Orbis cultiſſimum hujus Imperii Rus eſt &c.* Triplici Imperii virtute, Severi, Albini, & Nigri tempora deſignaſſe Tertullianum Pamelius tradit: tota tamen erravit via; non enim ob diviſum inter Severum, Albinum, & Nigrum Imperium felicitas ulla Imperio accidit, aut Barbarorum repulſus; quin immo clades plurimæ inde ſecutæ ſunt. Triplici itaque virtute Imperii, & *Deo tot Auguſtis in unum favente* Severi imperium deſignavit, quod cum filiis Antonino, & Geta, poſt devictos Parthos, & poſt repulſos in Brittania Barbaros, communicaverat. Ut autem pallium Tertullianus induit, ſæcularibus curis renunciavit, ac Philoſophiæ ſtudio totum ſe dedit: hinc *ego*, ajebat, *nihil foro, nihil campo, nihil Curiæ debeo, nulli officio advigilo, nulla roſtra præoccupo, nulla prætoria obſervo, canales, & cancellos non adoro, ſubſellia non contundo, jura non conturbo, cauſas non elatro, non judico, non milito; ſeceſſi de popu-*

Pamel. in Tertull. lib. de pallio. Salmas Odin. tom.1. de ſcript. Eccleſ. in Tertull. Baron. ann. 197. Dupin. p.235. Tillem. not.20 Baſnag. ann. 200. Cap.2. in fin.

Cap. 5.

populo, in me unicum negotium mihi eſt, niſi aliud non curo, quam ne curem. Vitu meliore magis in ſeceſſu fruare, quam in promptu. Sed ignaviam infamabis; ſcilicet patriæ, & Imperio, reique vivendum eſt. Cumque hujuſmodi vitæ rationem mirarentur Gentiles, aut in deriſum haberent; *Tamen*, ajebat, *ita a toga ad pallium*. Eo in libro de pallii laudibus multa quidem exaggerat, & plura etiam ad rem minus apta, quæ etſi eruditionem Auctoris demonſtrent, turbidam tamen mentem denotant: unde fit, ut ſeipſo obſcurior ſit. Jesu Chr. an. 204.

11. Verum non ſolum Tertulliani ætate ludibrio, ac contemtui habiti ſunt Chriſtiani, qui perfectiora ſectantes pallium induebant; ſed & ſequentibus ſæculis, ut ex Hieronymo, & Salviano ſcimus. Ad Marcellam primus: *Quia ſerica veſte non utimur, Monachi judicamur, quia ebrii non ſumus, nec cachinno ora diſſolvimus, continentes vocamur, & triſtes, ſi tunica non canduerit, ſtatim illud e trivio: Impoſtor Græcus eſt*; cum ſcilicet veſte philoſophica, ſeu pallio uterentur. Iiſdem cachinnis, & contumeliis Carthagine exceptos fuiſſe ſanctos viros, aut Monachos, teſtis eſt Salvianus, dum Africæ immiſſas a Deo calamitates deflet: *Non ſine cauſa itaque iſtud fuit, quod intra Africæ civitates, & maxime intra Carthaginis muros, palliatum, & pallidum, & reciſis comarum fluentium jubis, ad cutem tonſum videre, tam infelix ille populus, quam infidelis ſine convicio, atque execratione vix poterat; etſi quando aliquis Dei ſervus, aut de Ægyptiorum Cænobiis, aut de ſacris Hieroſolymorum locis, aut de Sanctis Eremis, venerandiſque ſecretis, ad Urbem illam officio divini operis acceſſit, ſimul ut in populo apparuit, contumelias, ſacrilegia, & maledictiones excepit, nec ſolum hoc, ſed improbiſſimis facinoroſorum hominum cachinnis, & deteſtationibus ridentium ſibilis, quaſi taureis cædebantur: vere ut ſi qui ea inſcius rerum fieri videret, non aliquem hominem ludificari, ſed novum, inauditumque monſtrum abigi, atque exterminari arbitraretur: Ecce Afrorum, & præcipue Carthaginenſium fidem.* Hucuſque Salvianus de Carthaginenſium cachinnis in eos, qui Monaſticam, aut Philoſophicam vitam profitebantur. Pallio autem induebantur cum Chriſtiani, tum Gentiles, qui philoſophicam vivendi rationem ſectabantur, ut pluribus exemplis conſtat. De Heracla, & Panteno Alexandriæ Eccleſiæ presbyteris narrat Origenes apud Euſebium: *Hæc autem fecimus, non*

Palliati Monachi deriſi. *Hier. epiſt. 38.* *Salvian. de ver. jud. lib. 8.* *Euſeb. lib. 6. cap. 19.*

JESU CHR. AN.204.

non ſolum Pantenum imitati, qui ante nos multis profuit; tum Heraclæ, qui nunc Alexandriæ inter Presbyteros ſedet Eccleſiæ, quem ego apud Magiſtrum philoſophiæ reperi, quintum jam annum ei operam dantem: atque idcirco cum vulgari veſte antea uſus fuiſſet, ea depoſita, philoſophicum induit habitum, quem etiamnum retinens, Græcorum libros evolvere non deſiſtit. Eoſdem eſt imitatus Origenes, ut ibidem Euſebius refert. Ea etiam de cauſa Porphyrius adoleſcens & Martyr ab Euſebio laudatus, non ſolum pallii geſtatione ſe Philoſophum teſtatus eſt, ſed pro Chriſti fide martyrio coronam obtinuit, ut ſuo loco videbimus. Euſtaſius etiam Sebaſtenus Epiſcopus palliatus incedere ſolebat: *Ipſe philoſophi habitum geſtans, ſectatores ſuos nova atque inſolenti veſte indui juſſit*. Quam veſtem tandem ſibi propriam fecere Monachi, qui philoſophicam, ſeu chriſtianam vitam juxta Evangelii præcepta, & conſilia amplectebantur.

Euſeb. lib.8. de Martyr. Paleſt. cap.11.

Socrat. lib. 2. 43.

De Apologia, cui, & quo tempore inſcripta.

12. Apologiam, dum adhuc eſſet Catholicus, hoc tempore ſcripſiſſe Tertullianum extra dubium eſt, cum ſcilicet in Nigri, & Albini fautores inquiſitio vigeret, de quibus *cap.35. Sed & qui nunc ſceleſtarum partium ſocii, aut plauſores quotidie revelantur poſt vindemiam racematio*. Quo autem loco eam ediderit, aut quibus inſcripſerit, in controverſiam venit. Romæ editam, & Romano Senatui inſcriptam fuiſſe, nonnulli ideo tradiderunt, quia ejus initio hæc habentur: *Si non licet vobis Romani Imperii Antiſtites, in aperto & edito, in ipſo fere vertice civitatis præſidentibus ad judicandum, palam diſpicere, & coram examinare, quid ſit liquido in cauſa Chriſtianorum*: quibus verbis aut Romanos Imperatores, aut Romanum Senatum videtur interpellaſſe. Carthagine tamen illam edidiſſe, atque ad provinciarum Præſides miſiſſe, multa ſuadent. Ut enim prætereamus Romam, Urbis, non Civitatis nomine, ut plurimum deſignatam fuiſſe, ipſe Tertullianus Carthagine, atque ad Provinciarum Præſides Apologiam inſcripſiſſe, his verbis innuit: *hoc agite boni Præſides, meliores multo apud populum, ſi illis Chriſtianos immolaveritis, cruciate, torquete, damnate, atterite nos*; & *cap.2.* eos ſic alloquitur: *O quanta illius Præſidis gloria, ſi eruiſſet aliquem, qui centum jam infantes comediſſet*; & paulo poſt: *Veritatis extorquendæ Præſides, de nobis ſolis mendacium elaboratis ſentire ... Niſi fallor, leges malos erui jubent, non abſcondi, confeſſos dam-*

Dupin. Biblioth. to. 1. pag. 231.
Pamel. in Tertull.
Baron. ann. 201. *num.* 37.
Apol. cap. 1.

Pag. not. 6. *ann.* 199.
Dupin. ut ſupra.
Tertull. Apol. cap. ult.

damnari præſcribunt, non abſolvi: hoc Senatus conſulta, hoc Principum mandata definiunt, hoc Imperium, cujus miniſtri eſtis. Alibi vero ad Africæ Proconſulem hæc habet: *Deum, non Proconſulem timentes*. Cum itaque Præſides, aut Proconſulem ubique alloquatur Tertullianus, nunquam vero Imperatores, Senatum, Conſules, Præfectos Prætorii, qui Romæ jus dicebant, luce clarius eſt, non Romæ, ſed Carthagine vulgatam fuiſſe, neque ad Imperatores, ſed ad Præſides inſcriptam: quæ quidem latine primum edita, in græcum deinde, Euſebio teſte, translata fuit.

Apol. cap. 45.

De præſtantia Apologiæ Tertulliani, ejuſque ſumma.

Hier. epiſt. ad Magnum. Lactant. inſt. lib. 5. 4.

13. Eo excellenti Opere ſeipſum Tertullianus ſtyli elegantiâ, argumentorum vi, ac multiplici eruditione vicit, cunctamque ſæculi diſciplinam nedum expoſuit, ut ait Hieronymus, ſed, teſte Lactantio, *Eccleſiæ cauſam plene peroraſſe dicitur*. Reipublicæ Præfectos enixe rogat, ne ſupplicio Chriſtianos indictâ cauſa afficerent, quorum Religionem innoxiam ex eo comprobat, quod nec latere curarent, nec interrogati fidem abnegarent: Chriſtianum vero nomen in crimen adducere Imperatorum legibus, Trajani ſcilicet, Hadriani, ac M. Aurelii vetitum fuiſſe addit, ac injuria illud quotidie fere ex tabella audiri: *Talis, quia Chriſtianus, damnatur; & unquam, quod fur eſſet, adulter, vel homicida*; & quod gravius adhuc erat, diligenti perquiſitione inventi plectebantur: unde ſubdit: *Quotidie prodimur, quotidie obſidemur, in ipſis ut plurimum cœtibus, & congregationibus noſtris opprimimur*. Quibus vero pœnis afficerentur, his verbis declarat: *Crucibus, & ſtipitibus imponitis Chriſtianos, ungulis deraditis latera Chriſtianorum, cervices ponimus ante plumbum, & glutinum & gomphos, ideſt clavos, ad beſtias impellimur: ignibus urimur, in metalla damnamur, in inſulas relegamur*. Sed & inſanum vulgus in Chriſtianos debacchatum fuiſſe innuit: *Quoties etiam præteritis vobis, ſuo jure nos inimicum vulgus invadit lapidibus, atque incendiis? Ipſis Bacchanalium furiis nec mortuis parcunt Chriſtianis, quin illos de requie ſepulturæ, de aſylo quodam mortis jam alios, jam nec totos avellant, diſſecent, diſtrahant*.

Tertull. in Apol. cap. 37.

Chriſtiani frequentius igni traditi.

14. Multis quidem pœnis afficiebantur Chriſtiani, ac multiplici mortis genere; frequentius tamen ad ſtipitem alligati tanquam magi exurebantur, unde Sarmentitii, ac Semaxii exinde fuerunt appellati. Præter jus vero, vel conſuetudinem,

JESU CHR. AN.204. nem, & dignitatem, indecenſque plane Romanorum ſubſelliis, ac tribunalibus, ex inſania quadam, & cæco furore Chriſtianæ fœminæ caſtitatis amantiſſimæ lenonibus quandoque tradebantur, ut pudicitiæ diſpendium paterentur; quod ſcirent, id illis acerbius quovis genere tormentorum eſſe, ipſaque mortis pœna crudelius. Quare Tertullianus: *Proxime ad lenonem damnando Chriſtianam potius, quam ad leonem, confeſſi eſtis, labem pudicitiæ apud nos atrociorem omni pœna, & omni morte reputari. Nec quidquam tamen proficit exquiſitior quæque crudelitas veſtra, illecebra eſt magis ſectæ; plures efficimur, quoties metimur a vobis. Sanguis Martyrum ſemen eſt Chriſtianorum.*

Tertull. in Apol. cap. ult.

Ignavia Chriſtianis objecta.

Tertul. Apol. cap. 42.

15. Sed nec illud prætereundum, a Gentilibus in Chriſtianos objici ſolitum, quod nimirum ad Rempublicam, communeve commercium inepti, atque inutiles eſſent. Hæc vero refellens Tertullianus, de Chriſtianorum exercitiis, & vitæ ſanctitate, inter plurima adnotat: *Sed alio quoque injuriarum titulo poſtulamur, & infructuoſi in negotiis dicimur. Quo pacto homines vobiſcum degentes, ejuſdem victus, habitus, inſtructus, ejuſdem ad vitam neceſſitatis? Neque enim Brachmanæ, aut Indorum Gymnoſophiſtæ ſumus, Silvicolæ, & exules vitæ.* Hinc eos non ſine foro, ſine macello, aut balneis, tabernis, officinis, ſtabulis, nundinis, cæteriſque commerciis eſſe addit; quin navigant & ipſi, militant, ruſticantur, & mercantur; cunctaſque cum aliis miſcent artes, ac opera: *Quo modo ergo infructuoſi* negotiis veſtris, cum quibus vivimus? Etenim, ſubdit, *ſi cærimonias tuas non frequento, attamen & illa die homo ſum. Non lavor diluculo Saturnalibus, ne & noctem, & diem perdam; attamen lavor honeſta hora & ſalubri, quæ mihi & calorem, & ſanguinem ſervet; rigere, & pallere poſt lavacrum mortuus poſſum. Non in publico Liberalibus diſcumbo, quod beſtiariis ſuprema cœnantibus mos eſt; attamen ubi de copiis tuis cœno? Non emo capiti coronam, quid tua intereſt, emptis nihilominus floribus quomodo utar? Puto gratius eſſe liberis, & ſolutis, & undique vagis. Sed & ſi in coronam coactis, nos coronam naribus novimus, viderint qui per capillum odorant. Spectaculis non convenimus; quæ tamen apud illos cœtus venditantur, ſi deſideravero, liberius de propriis locis ſumantur. Thura non emimus. Si Arabiæ quæruntur, ſciant Sabæi pluris,*

ris, *& carioris ſuas merces Chriſtianis ſepeliendis profligari*, *quam diis fumigandis*. *Certe*, *inquitis*, *templorum vectigalia quotidie decoquunt*, *ſtipes quotuſquiſque jam jactat*. *Non enim ſufficimus & hominibus*, *& diis veſtris mendicantibus opem ferre*. Jesu Chr. an. 204.

16. Hominum deinde genera recenſet, qui de Chriſtianis conqueri poterant, quibus illi caſte viventes, ac pacifice, juſteque agentes, nihil deberent, nempe lenones, & his ſimiles, qui aliena ignominia, atque peccato victum ſibi quæritant. Unde *ſi qui forte vere de ſterilitate Chriſtianorum conqueri poſſint*, *primi erunt lenones*, *perductores*, *aquarioli*, *tum ſicarii*, *venenarii*, *magi*, *item harioli*, *haruſpices*, *mathematici*. *His infructuoſos eſſe*, *magnus fructus eſt*. *Et tamen quodcumque diſpendium eſt rei veſtræ per hanc ſectam*, *cum aliquo præſidio compenſari poteſt*. *Quantos habetis*, *non dico*, *qui jam de vobis dæmonia excutiant*; *non dico jam qui pro vobis quoque vero Deo preces ſternant*, *quia forte non creditis*: cumque quotidie vexarentur, aut ſupplicio afficerentur Chriſtiani, nemo tamen alio, quam Chriſtianitatis nomine plectebatur; quare: *Quis illic ſicarius ? quis manticularius ? quis ſacrilegus*, *aut corruptor*, *aut lavantium prædo ? quis ex illis etiam Chriſtianus adſcribitur ? aut cum Chriſtiani ſuo titulo offeruntur*, *quis ex illis etiam talis*, *quales tot nocentes*. *De veſtris ſemper æſtuat carcer*, *de veſtris ſemper metalla ſuſpirant*, *de veſtris ſemper beſtiæ ſaginantur*, *de veſtris ſemper munerarii noxiorum greges paſcunt*. *Nemo illic Chriſtianus*, *niſi plane tantum Chriſtianus*, *aut & ſi aliud*, *jam non Chriſtianus*: quod fortaſſe a fide eſſet apoſtata. Chriſtiani quibus potiſſimum diſplicerent.

17. A ſpectaculis vero alienos fuiſſe Chriſtianos, idem Auctor in commentario, quod eo argumento conſcripſit, demonſtrat, varieque confirmat: *Exemplum accidit*, *Domino teſte*, *ejus mulieris*, *quæ theatrum adiit*, *& inde cum dæmonio rediit*. *Itaque in exorciſmo cum oneraretur immundus ſpiritus*, *quod auſus eſſet Fidelem aggredi*: *Conſtanter & juſtiſſime quidem*, *inquit*, *feci*; *in meo eam inveni*. *Conſtat & alii linteum in ſomnis oſtenſum ejus diei nocte*, *qua tragœdum audierat*, *cum exprobratione nominato tragœdo*; *nec ultra quintum diem eam mulierem in ſæculo fuiſſe*. Hæc ipſe: quibus conſonant Cypriani, ac Sanctorum Patrum teſtimonia. Extant præterea ſacrorum Conciliorum decreta, quæ in ejuſmodi ſpe- Dei vindicta in ſpectacula adeuntes. *Tertull. de ſpectac. c. 26.* *Cypr. de ſpect.*

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 204. *Salv. de Provident. Dei lib. 6.*

ſpectacula invehuntur : quin etiam in ſolemni baptiſmi renunciatione, iis quoque abrenunciare Fideles, morem fuiſſe Salvianus tradit : *In ſpectaculis enim quædam apoſtatatio fidei eſt, & a ſymbolis ipſius & cœleſtibus ſacramentis lethalis prævaricatio. Quæ eſt enim in baptiſmo ſalutari Chriſtianorum prima confeſſio? Quæ ſcilicet, niſi, ut renunciare ſe diabolo, & pompis ejus, atque ſpectaculis, & operibus proteſtentur?* Plura idem inculcat de hujuſmodi abrenunciatione ſæculi pompis, & ſpectaculis, in baptiſmate fieri ſolita, quod & aliis Eccleſiæ Patribus commune fuiſſe, Theologorum celeberrimi adnotarunt. Idem fere continent argumentum libri duo ad Gentes, quibus Chriſtianorum fidem, mores, diſciplinam a Gentilium calumniis vindicat, ac Apologiæ compendium exhibet. *Apologeticus ejus*, ait Hieronymus, *& adverſus Gentiles libri cunctam ſeculi continent diſciplinam*: eodemque tempore & ad Provinciarum Præſides Apologiam, & ad Gentes libros vulgaſſe creditur.

Contius de ſpectac. Theat.

De libris ad Gentes.

Hier. epiſt. ad Magnum.

De libro ad Martyres.

Cap. 1.

18. Ea inſuper ſæviente perſecutione, dum adhuc in Eccleſia eſſet, ad Martyres carceribus detentos Tertullianus librum edidit, quos ſic alloquitur : *Inter carnis alimenta benedicti Martyres deſignati, quæ vobis & Domina Mater Ecleſia de uberibus ſuis, & ſinguli fratres de opibus ſuis propriis in carcerem ſubminiſtrant, cupite aliquid a nobis, quod faciat ad ſpiritum quoque educandum. Carne enim ſaginari, & ſpiritu eſurire non prodeſt.* Ad carceris vero moleſtias fortiter tolerandas pluribus hortatur, ac ne tormentorum acerbitate vinci ſe ſinant, exempla virorum, ac mulierum adducit. Eo in argumento Tertullianum imitatus eſt Cyprianus in ſuo de exhortatione, & laude Martyrii libro, & in ſuis ad Martyres, & Confeſſores epiſtolis.

De libris de ornatu, & de habitu mulierum, de velandis Virginibus, de ſpectaculis, aliiſque.

19. Quid contineant libri de ornatu mulierum, & de earumdem habitu, titulus ipſe indicat, quibus fœmineum in veſtiendo faſtum, immoderatamque cutis, & capillorum curam redarguit. In libro de velandis virginibus non nuptas, & virgines Deo dicatas, aut nubere paratas admonet, ut, juxta Apoſtoli præceptum, velato capite incederent; eademque retractavit Cyprianus in libro de diſciplina, & habitu virginum, ex Tertulliano quamplurima exſcribens.

De Scorpiaco.

20. Catholica etiam manu Scorpiacum adverſus Gnoſticos ſcripſit Tertullianus, ut pharmacum, ſeu antidotum contra

tra

tra Gnoſticorum venena fidelibus pararet : quo neceſſitatem , & utilitatem Martyrii exemplis confirmans , *vitas* , inquit , *Cæſarum legimus : orientem fidem Romæ primus Nero cruentavit . Tunc Petrus ab altero cingitur , cum cruci adſtringitur . Tunc Paulus civitatis Romanæ conſequitur nativitatem , cum illic martyrii renaſcitur generoſitate . Hæc ubicumque jam legero , pati diſco , nec mea intereſt , quos ſequar martyrii magiſtros , ſenſus ne an exitus Apoſtolorum , niſi quod & ſenſus in exitibus recognoſco . Nihil enim paſſi fuiſſent , quod non prius patiendum eſſe ſenſiſſent* . Hactenus adverſus Gnoſticos martyrium aufugientes Tertullianus . JESU CHR. AN.204. *Cap. ult.*

21. De baptiſmo quoque librum catholicus ſcripſit , quod ad ſalutem neceſſarium docens , inter cetera inquit : *Nuper converſata iſtic quædam de Cajana hæreſi , vipera venenatiſſima , doctrina ſua pleroſque rapuit , in primis baptiſmum deſtruens , plane ſecundum naturam , nam feræ viperæ , & aſpides , ipſique reguli ſerpentes arida , & inaquoſa ſectantur ; ſed nos piſciculi ſecundum Jeſum Chriſtum in aqua naſcimur , nec aliter quam in aqua permanendo ſalvi ſumus . Ita Quintilla monſtruoſiſſima , cui nec integre quidem docendi jus erat , optime norat piſciculos necare , de aqua auferens* . Hunc librum in Eccleſia ſcripſiſſe , inde etiam patet , quod eo tempore Tertullianus humiliter de ſe ſentiens , fidelium orationibus ſeſe commendat : *Tantum oro , ut cum petitis , etiam Tertulliani peccatoris memineritis* . Id ipſum confirmant tum ea , quæ de unitate , & auctoritate Eccleſiæ ibidem tradit , cum ea , quæ addit de Baptiſmatis miniſtro , cujus adminiſtrandi jus fœminis omnino denegat : quod ſane Montaniſta non denegaſſet , apud quos , Epiphanio teſte , *mulieres epiſcopi ſunt , & presbyteri , ita ut nullum ſexus diſcrimen ſervaretur* . Quis autem dandi baptiſmatis ordo inter Miniſtros ſervandus eſſet , idem docet his verbis : *Dandi baptiſmi habet jus Summus Sacerdos , qui eſt Epiſcopus , dehinc Presbyteri , & Diaconi , non tamen ſine Epiſcopi auctoritate , propter Eccleſiæ honorem , quo ſalvo , ſalva pax eſt . Laicis etiam jus eſt* , cum neceſſitas urget ; *tunc enim conſtantia ſuccurrentis excipitur , cum urget circumſtantia periclitantis , quoniam reus erit perditi hominis , ſi ſuperſederit præſtare , quod libere potuit . Petulantia autem mulieris , quæ uſurpavit docere , utique non etiam tingendi jus ſibi pariet , niſi ſi quæ nova*

De libro de baptiſmate.

Cap. ultimo.

Epiph. hær. 49.

Lib. de baptiſm. cap. 17.

Jesu Chr. an. 204. *Cap. 7. 8.*

va beſtia evenerit ſimilis priſtinæ, ut quemadmodum illa auferebat baptiſmum (Quintilla ſcilicet), ita aliqua per ſe eum conferat; ac apocryphum Theclæ exemplum eas juvare non poſſe pluribus ibidem adnotat. De Confirmationis autem Sacramento, ejuſque materia, & forma, olei ſcilicet unctione, & manuum impoſitione, hæc eodem de baptiſmate libro habet: *Egreſſi de lavacro perungimur benedicta unctione ... Dehinc manus imponitur per benedictionem, advocans, & invitans Spiritum Sanctum &c.*

De exortatione ad caſtitatem, de Monogamia, de pudicitia, de corona, de fuga in perſecutione, de idololatria &c.

Auguſt. de Hær. 86.

22. Nunc de reliquis Tertulliani ſcriptis, cum ad Montaniſtas tranſiiſſet, pauca addimus; ac primo de exhortatione ad caſtitatem, liber occurrit, quo amicum a ſecundis nuptiis revocat, quas uti fornicationem condemnat: quare Auguſtinus: *Tertullianus factus hæreticus cœpit ſecundas nuptias contra Apoſtolicam doctrinam, tamquam ſtupra damnare*. Idem præfefert argumentum de Monogamia liber, quo Montani deliria tamquam Paracleti præcepta commendat, ejuſque auctoritate ſecundas nuptias adulteriis exæquat. In libro de pudicitia graviorum criminum reos, veluti mœchos, aut cujuslibet fornicationis reos, aut Idololatras, & homicidas ad pœnitentiam docet non eſſe admittendos, atque ea, quæ in libro de pœnitentia ante annos aliquot docuerat, retractat: *Erit igitur*, ait, *& hic adverſus Pſychicos*, ideſt Catholicos, *titulus adverſus meæ quoque ſententiæ retro penes illos ſocietatem, quo magis hoc mihi in notam levitatis objectent*. Romani etiam Pontificis ſententiam, Eccleſiæque traditionem de lapſis cujuſcumque criminis ad pœnitentiam admittendis canina rabie tamquam phreneticus ſubſannat: *Audio*, inquit, *etiam edictum eſſe propoſitum, & quidem peremptorium: Pontifex ſcilicet Maximus, quod eſt Epiſcopus Epiſcoporum edicit: Ego & mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto. O edictum, cui adſcribi non poterit bonum factum! & ubi proponitur liberalitas iſta, ibidem opinor in ipſis libidinum januis: illic ejuſmodi pœnitentia promulganda eſt, ubi delinquentia ipſa verſabitur. Illic legenda eſt venia, quo cum ſpe ejus intrabitur*. Hæc ille: ubi autem propoſitum fuerit Pontificis edictum deinde narrat: *Sed hoc in Eccleſia legitur, & in Eccleſia pronunciatur, & virgo eſt, abſit, abſit a Sponſa ipſa tale præconium*. De ritu autem, quo ad pœnitentiam lapſi admitterentur, Pontificem adlo-

Rom. Pont. ſententia de recipiendis lapſis ad pœnitentiam a Tertulliano deridetur.

Quo ritu pœnitentes ab Eccleſia reciperentur.

adloquens hæc ſcribit : *Et tu quidem pœnitentiam mœchi ad exorandum fraternitatem in Eccleſiam inducens, conciliatum, & concineratum cum de decore, & horrore compoſitum proſternens in medium ante viduas, ante presbyteros, omnium lacrymas ſuadentem, omnium veſtigia lambentem, omnium genua detinentem; inque eum hominis exitum, quantis potes miſericordiæ illecebris, bonus Paſtor, & benedictus Papa concionaris, & in parabola ovis, capras tuas quæris, tua ovis ne rurſus de grege exiliat; quaſi non exinde jam liceat, quod nec ſemel licuit; cæteras etiam metu comples cum maxime indulges.* Hæc de antiquo Eccleſiæ ritu, quo pœnitentes excipiebantur: ſed & illud inſuper antiquitatis referatur monumentum, quod in ſacris calicibus, qui divino miniſterio uſui erant, Paſtoris imago ovem humeris geſtantis inſculpebatur, aut effingebatur, qua Sacerdotes admonerentur, imitandum ſibi eſſe divinum illum Paſtorem, qui primus tam eximium paſtoralis curæ ac charitatis ſpecimen ediderat; ſic enim ait: *A Parabolis licebit incipias, ubi eſt ovis perdita a Domino requiſita, & humeris ejus revecta. Procedant ipſæ picturæ calicum veſtrorum, ſi vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius, utrumne Chriſtiano, an Ethnico peccatori de reſtitutione colliniet.* Hæc ipſe, perperam interpretatus parabolam illam, quam intelligendam eſſe tradit de Ethnico ad Eccleſiam inducendo, non de lapſo in eam per pœnitentiam revocando. Et inferius iterum: *Patrocinabitur paſtor, quem in calice depingitis*, & cum ſubdit: *Ego ejus Paſtoris ſcripturam haurio, quæ non poteſt frangi*, plane ſignificans ea alluſione calices illos fuiſſe vitreos.

Jesu Chr. an. 204.

Cap. 7. Luc. 15.

23. Librum de Corona labenti anno ſcripſiſſe Tertullianum veroſimile eſt, quo cum ludos ſæculares Severus celebraſſet, ea occaſione militibus dona largitus eſt; quo tempore miles Chriſtianus coronam delatam reſpuit, ut idem Auctor narrat: *Proxime factum eſt, liberalitas præſtantiſſimorum Imperatorum expungebatur, in caſtris milites laureati adibant, quidam illic magis Dei miles, cæteris conſtantior fratribus, qui ſe duobus Dominis ſervire non poſſe præſumpſerat, ſolus libero capite, coronamento in manu otioſo. Vulgata jam & iſta diſciplina Chriſtianorum relucebat. Denique ſinguli deſignare, eludere eminus, infrendere cominus in noſtrum. Tribuno defertur; & perſona jam ex ordine acceſſerat. Statim Tri-*

Miles Chriſtianus coronam reſpuit.

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 204.

Tribunus: Cur, inquit, tam diverſus habitu? Negavit ille cum ceteris ſibi licere. Cauſas expoſtulatus: Chriſtianus ſum, reſpondit. O Militem in Deo glorioſum! Suffragia exinde, & res apud acta, & reus apud Præfectos. Ibidem graviſſimas penulas poſuit revelari auſpicatus, ſpeculatoriam moroſiſſimam pedibus abſolvit, terræ ſanctæ inſiſtere incipiens; gladium nec dominicæ defenſioni neceſſarium reddidit, laurea & de manu claruit. Et nunc ruſſatus ſanguine ſuo, ſpe calceatus, de Evangelii paratura ſuccinctus acutiore verbo Dei, totus de Apoſtolo armatus, & de martyrii candida laurea melius coronatus, donativum Chriſti in carcere expectat. Eum autem ruſſatum ſanguine ſuo, ait, eo quod verberibus vel aliis tormentis, priuſquam detruderetur in carcerem, affectus fuerat, ſeu (quod erat militare ſupplicium) fuſtibus cæſus. Militis facinus cum Chriſtianorum nonnulli improbaſſent, eo quod exaſperarentur gentiles, atque ad reſtaurandam in Chriſtianos perſecutionem excitarentur; horum querelas ſic Tertullianus deſcribit: *Exinde ſententiæ ſuper illo, neſcio an Chriſtianorum, non enim aliæ Ethnicorum, ut de abrupto, & præcipiti, & mori cupido, qui de habitu interrogatus, nominis negotium fecerit; ſolus ſcilicet fortis, inter tot fratres commilitones ſolus Chriſtianus. Plane ſupereſt, ut etiam martyria recuſare meditentur, qui prophetias ejuſdem Spiritus Sancti reſpuerunt. Muſſitant denique tam bonam & longam ſibi pacem periclitari, nec dubito quaſdam ſcripturas emigrare, ſarcinas expedire, fugæ accingi de civitate in civitatem; nullam enim aliam Evangelii memoriam curant.* Hactenus Tertullianus, iis non ſolum inſultans, qui militis facinus coronam reſpuentis improbabant, ſed & Catholicis cæteris, qui in perſecutione fugam ſuadebant: unde ſubdit: *Novi & paſtores eorum, in pace leones, in prælio cervos.*

Tertullianus fuga perſecutionem declinare improbat.

24. In libro de fuga, a Fabio quodam interrogatus, an perſecutionem fuga declinare liceret, oppoſitum tenet, atque inter cætera, *ſi conſtat*, inquit, *a quo perſecutio eveniat, poſſumus jam conſultationem tuam inducere, & determinare ex hoc ipſo pertractatu, fugiendum in perſecutione non eſſe. Si enim perſecutio a Deo evenit, nullo modo fugiendum erit, quod a Deo evenit. Sicut duplex ratio defendit, quia neque debeat devitari, neque evadi poſſit, quod a Deo evenit. Non debet devitari, quia bonum; neceſſe eſt enim bonum eſſe*

omne

omne quod Deo viſum eſt. Cætera, quæ in ſuæ ſententiæ confirmationem addit, pluribus perſequi piget; quiſque enim facile intelligit, inſanire ibidem Tertullianum tam inepta argumentatione, cui Chriſti exemplum, atque Evangelium, quo perſecutionis tempore fuga præcipitur, & Sanctorum Virorum auctoritas apertiſſime adverſantur.

De libro de Idololatria & ad Scapulam. *Cap. 13.*

25. Librum de Idololatria poſt alterum de ſpectaculis edidit: *De ſpectaculis*, ait, *& voluptatibus hujuſmodi ſuum jam volumen implevimus*. Eo in libro fideles monet, ut non ſolum ab Idolorum cultu ſe abſtineant, ſed & ab omni opere, quo Idololatria fovetur. Hinc Idola effingere, mercari, templa ingredi, feſta celebrare, ſpectaculis adeſſe, per deos jurare, aliave peragere; quæ deorum cultum ſpectabant, Chriſtianis illicita eſſe demonſtrat. De epocha libri ad Scapulam diſſident eruditi, ac anno 203. a Tertulliano editum fuiſſe Pamelius, & Baronius tradiderunt: alii vero ſub Heliogabalo Imperatore anno 217. Veroſimilius tamen hoc intermedio tempore, & circa annum 212. id accidiſſe videtur, cum ſcilicet poſt patris obitum ſolus imperaret Caracalla: quare unius tantum Imperatoris eo in libro meminit: *Colimus ergo Imperatorem ſic, quomodo & nobis licet, & ipſi expedit, ut hominem a Deo ſecundum*: & iterum: *Itaque & ſacrificamus pro ſalute Imperatoris; ſed Deo noſtro, & ipſius*. Poſt diuturnam vero perſecutionem, quæ ſub Severi Imperio contigit, hæc Tertullianum ſcripſiſſe inde conſtat, quod quinque Proconſules numeret, a quibus Chriſtiani vexati fuerant, quique cum in varias incidiſſent calamitates, horum exemplo Scapulam, ut ſibi caveret, hortatur; cum præcipue portenta quædam Carthagine viſa fuerint, ſtatim ac idem Scapula provinciam ingreſſus, Mavilium Adrumeticum chriſtianum hominem ad beſtias damnaverat: *Tibi quoque optamus admonitionem ſolam fuiſſe, quod cum Adrumeticum Mavilium ad beſtias damnaſſes, & ſtatim hæc vexatio ſubſecuta eſt*.

Pamel. in Tertul. lib. ad Scap. *Bar. an. 203.* *Caveus in Tertull.* *Nat. Alex. ibid.* *Pag. not. 7. ad an. 203.* *Baſnag. ann. 200.*

Cap. 3.

Prodigia ob Chriſtianorum cædes.

26. Quænam autem fuerit illa vexatio, his verbis narrat: *Cæterum & imbre anni præteriti, quid commeruerit genus humanum, apparuit, cataclyſmum ſcilicet, & retro fuiſſe propter incredulitates, & iniquitates hominum. Et ignes, qui ſupra mœnia Carthaginis proxime pependerunt per noctem, quid minati ſint, ſciunt, qui viderunt. Et priſtina tonitrua quid ſonaverint, ſciunt qui obduruerunt. Omnia hæc ſigna ſunt im-*

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 204.

minentis iræ Dei, quam neceſſe eſt, quoquo modo poſſumus, ut & annunciemus, & prædicemus, & deprecemur interim localem eſſe; univerſalem enim & ſupremam ſuo tempore ſentient, qui exempla ejus aliter interpretantur. Nam & ſol ille in conventu Uticenſi, extincto plene lumine, adeo portentum fuit, ut non potuerit ex ordinario deliquio hoc pati, poſitus in ſuo hypſomate, & domicilio. Habetis aſtrologos. Deinde ut Scapulam ab effundendo Chriſtianorum ſanguine deterreret, quid paſſi ſint alii Præſides, enarrat: *Doleamus neceſſe eſt, quod nulla civitas impune latura ſit ſanguinis noſtri effuſionem, ſicut & ſub Hilariano Præſide, cum de areis ſepulturarum noſtrarum acclamaſſent: Areæ non ſint. Areæ ipſorum non fuerunt, meſſes enim ſuas non egerunt:* ac poſt nonnulla alibi relata ſubdit: *Poſſumus æque & exitus quorumdam Præſidum tibi exponere, qui in fine vitæ ſuæ recordati ſunt deliquiſſe, quod vexaſſent Chriſtianos. Vigellius Saturninus, qui primus hic gladium in nos egit, lumina amiſit. Claudius Herminianus in Cappadocia, cum indigne ferens uxorem ſuam ad hanc ſectam tranſiiſſe, Chriſtianos crudeliter tractaſſet, ſoluſque in prætorio ſuo vaſtatus peſte, cum vivus vermibus ebulliſſet: Nemo ſciat, ajebat, ne ſpe gaudeant Chriſtiani. Poſtea cognito errore ſuo, quod tormentis quoſdam a propoſito ſuo excidere feciſſet, pene Chriſtianus deceſſit. Cæcilius Capella in illo exitu Byzantino, Chriſtianos gaudete, acclamavit. Sed & qui videntur ſibi impune tuliſſe, venient in diem divini judicii.*

Quid paſſi ſint Præſides in Chriſtianos ſævi.

27. Præſidum etiam, qui in Chriſtianos mitius egerunt, exempla addit: *Quanti autem Præſides, & conſtantiores, & crudeliores diſſimulaverunt ab hujuſmodi cauſis? Ut Cincius Severus, qui Thiſtri ipſe dedit remedium quo modo reſponderent Chriſtiani, ut dimitti poſſent. Ut Veſpronius Candidus, qui Chriſtianum quaſi tumultuoſum civibus ſuis ſatisfacere dimiſit. Ut Aſper, qui modice vexatum hominem, & ſtatim dejectum, nec ſacrificium compulit facere, ante profeſſus inter Advocatos & Aſſeſſores, dolere ſe incidiſſe in hanc cauſam. Pudens etiam miſſum ad ſe Chriſtianum, in elogio concuſſione ejus intellecta, dimiſit, ſciſſo eodem elogio, ſine accuſatore negans ſe auditurum hominem, ſecundum mandatum. Hæc omnia tibi, & de officio ſuggeri poſſunt, & ab eiſdem Advocatis, qui & ipſi beneficia habent Chriſtianorum, licet acclament quæ volunt; nam & cujuſdam Notarius, cum a dæmone præcipitaretur, liberatus*

Præſides manſuetiores erga Chriſtianos. *Ibidem cap. 3.*

Chriſtianorum beneficia erga omnes.

ratus eſt, & quorumdam propinquus, & puerulus. Et quanti honeſti viri (de vulgaribus enim non dicimus) aut a dæmoniis, aut valetudinibus remediati ſunt. Tum Severi refert Imperatoris exemplum, qui a Chriſtiano homine, oleo inunctus, curatus fuerat: *Ipſe etiam Severus pater Antonini, Chriſtianorum memor fuit; nam & Proculum Chriſtianum, qui Toparcion cognominabatur, Evodiæ procuratorem, qui eum per oleum aliquando curaverat, requiſivit, & in Palatio ſuo habuit uſque ad mortem ejus, quem & Antoninus optime noverat lacte chriſtiano educatus.* Scapulam tandem admonet, ut a Chriſtianorum perquiſitione ceſſet, ne tota Carthago Chriſtianorum ſanguine impleatur: *Quid ipſa Carthago paſſura eſt decimanda a te, cum propinquos, cum contubernales ſuos illic unuſquiſque cognoverit, cum viderit illic fortaſſe, & tui ordinis viros, & matronas, & principales quaſque perſonas, & amicorum tuorum, vel propinquos, vel amicos? Parce Carthagini, ſi non tibi: parce provinciæ, quæ viſa intentione tua, obnoxia facta eſt concuſſionibus, & militum, & inimicorum ſuorum cujuſque.* Hæc idcirco, quod cum ſemel innotuiſſet Præſidem Chriſtianis infenſum eſſe, Gentiles turmatim in eos magno furore impetum facere, prædari, atque enecare ſolebant. Cæterum haud extingui perſecutione chriſtianam Religionem, ſed propagari potius, his verbis adnotat: *Nec tamen deficiet hæc ſecta, quam tunc magis ædificari ſcias, cum cædi videtur. Quiſque enim tantam tolerantiam ſpectans, ut aliquo ſcrupulo percuſſus, & inquirere accenditur, quid ſit in cauſa: & ubi cognoverit veritatem, & ipſe ſtatim ſequitur.* Hactenus Tertullianus ad Scapulam. De ceteris ejus operibus ſive in Eccleſia, ſive in ſchiſmate editis nil addimus, de quibus Tertulliani editores, aut de Scriptoribus eccleſiaſticis agentes lector conſulat. Ceterum etſi hiſce annis vel maxime claruiſſe Tertullianum ſciamus, eum tamen ad decrepitam uſque ætatem vitam egiſſe, Hieronymus teſtatur. Quouſque vero eam produxerit, aut quo Chriſti anno obierit, ignoratur.

Quanto periculo Proconſul Chriſtianos exagitaret.

Dupin. tom. 1. Tillem. tom. 3. Pamel. in Tertull.

Dalleus in Tertull. Vita.

Hier. de ſcript. Eccleſ. in Tertull.

28. Ante obitum a Cataphrygibus receſſiſſe, ut ex nomine ſuo ſectam efficeret, auctor eſt S. Auguſtinus: *Tertullianiſtæ a Tertulliano, cujus multa leguntur opuſcula eloquentiſſime ſcripta, uſque ad noſtrum tempus paulatim deficientes, in extremis reliquiis durare potuerunt in urbe Carthaginenſi.*

Tertullianus novæ ſectæ inſtitutor.

Aug. de hær. cap. 86.

Gg 2 *Me*

Jesu Chr. an. 204.

Me autem ibi poſito ante aliquot annos, (quod etiam te meminiſſe arbitror) omni ex parte conſumti ſunt ; pauciſſimi enim, qui remanſerant, in Catholicam tranſierunt, ſuamque baſilicam, quæ nunc etiam notiſſima eſt, Catholicæ tradiderunt.

Tertulliani opera a Gelaſio notata.

Hier. epiſt. 65. de ſcript. Eccleſ. in Tert.

Lact. inſtit. lib. 5. 1.

29. Tertulliani Opuſcula, utpote erroribus ſcatentia, inter apocrypha Gelaſius Papa recenſuit : eorum tamen lectio non omnino inutilis erit, eaque aſſidue Cyprianus lectitabat, ut ad Pammachium narrat Hieronymus : *Cyprianus Tertulliano magiſtro utitur, ut ejus ſcripta probant* ; alibi vero refert, eum notario ſuo quotidie ſolitum fuiſſe dicere : *Da Magiſtrum, Tertullianum ſignificans*. De quo idem etiam Hieronymus, *laudo ingenium hominis, damno hæreſes*. Quantalibet tamen eruditione claruerit, nihilominus de ejuſdem eloquentia Lactantius veriſſime adnotavit : *Septimius quoque Tertullianus fuit omni genere litterarum peritus, ſed in eloquendo parum facilis, & minus comptus, & multum obſcurus.*

Tertulliani lapſus luctum, & ſcandalum Eccleſiæ intulit.

Vincent. Lirin. commonit. cap. 34.

Hilarius in Mat. cap. 8.

30. Celeberrimi viri lapſum Eccleſiæ luctum & ſcandalum attuliſſe, teſtis eſt Lirinenſis : *Sed Tertulliani quoque eadem ratio eſt ; nam ſicut ille* (nempe Origenes) *apud Græcos, ita hic apud Latinos, noſtrorum omnium facile princeps judicandus eſt. Quid enim hoc viro doctius ? quid in divinis atque humanis rebus exercitatius ? nempe omnem philoſophiam, & cunctas philoſophorum ſectas, auctores adſertoreſque ſectarum, omneſque eorum diſciplinas, omnem hiſtoriarum, & ſtudiorum varietatem mira quadam mentis capacitate complexus eſt. Ingenio vero nonne tam gravi, ac vehementi excelluit, ut nihil ſibi pene ad expugnandum propoſuerit, quod non acumine irruperit, aut pondere eliſerit ? Jam porro orationis ſuæ laudes qui exequi valeat ? quæ tanta, neſcio qua rationum neceſſitate conferta eſt, ut ad conſenſum ſui, quos ſuadere non potuerit, impellat ; cujus quot pene verba, tot ſententiæ ſunt, quot ſenſus, tot victoriæ. Sciunt hæc Marciones, Apelles, Praxeæ, Hermogenes, Judæi, Gentiles, Gnoſtici, cæterique ; quorum ille blaſphemias multis, ac magnis voluminum ſuorum molibus, velut quibuſdam fulminibns evertit. Et tamen hic quoque poſt hæc omnia, hic (inquam) Tertullianus, Catholici dogmatis, ideſt, univerſalis ac vetuſtæ fidei parum tenax, ac diſertior multo quam felicior, mutata deinde ſententia, fecit ad extremum, quod de eo beatus confeſſor Hilarius quodam loco ſcribit : ſequenti, inquit, errore detraxit ſcriptis probabilibus*

Digitized by Google

bus auctoritatem : *& fuit ipſe quoque in Eccleſia magna tentatio* . Quæ autem fuerint Tertulliani deliria , ſupra adnotavimus , quem & Novatianis pœnitentiam lapſis denegantibus viam demonſtraſſe ſcribit Pacianus ; *Tertullianus veſter eſt , nam multa inde ſumpſiſtis* . Sed de Tertulliani geſtis , hæreſi , & erroribus ſatis .

Jesu Chr. an.204.

Pacian. epiſt. 3.

JESU CHRISTI AN. 205. ZEPHYRINI PAPÆ 5.
SEVERI IMPERATORIS 13.
COSS. M. AURELIO ANTONINO CARACALLA AUG. II.,
ET SEPTIMIO GETA CÆSARE.
OLYMPIAD. 246. AN. 1. URBIS AN. 285.

1. Plautiani auctoritas Caracallæ , & Getæ vitiis frænum hactenus injecerat : quo demum ſublato , ut anno proximo diximus , luxuriæ , ludicriſque dediti , peccandi licentia , nil intentatum reliquerunt , ut pluribus narrant Romanæ hiſtoriæ Scriptores .

Caracallæ, & Getæ improbi mores. *Dio lib. 76. Herod. lib. 3.*

2. Severi perſecutione vigente , & circa hunc annum Irenæum obiiſſe , apud omnes conſtat , quem martyrio coronatum fuiſſe , Hieronymus , aliique tradunt : *De portentis Hæreticorum* , inquit Hieronymus , *diligentiſſime vir Apoſtolicus ſcribit Irenæus Epiſcopus Lugdunenſis , & Martyr* . Auctor vero quæſtionum ad Orthodoxos apud Juſtinum : *Beatus Irenæus Martyr , & Epiſcopus Lugdunenſis . Quem diverſis in ſua carnifex præſentia pœnis affectum Chriſto Domino per martyrium dedicavit* . Gregorius Turonenſis , in Severi perſecutione *cum omni fere civitatis ſuæ populo* martyrium ſubiiſſe narrat : quod & Martyrologia plurima confirmant . Dodwellus tamen de minuendo Martyrum numero ſemper ſollicitus , Irenæum e Martyrum catalogo expungendum cenſuit , cui & Baſnagius ſubſcribit ; ac lato modo Irenæum inter Martyres tantum accenſeri poſſe , quo plerique a veteribus donati ſunt , etſi cruenta morte non obierint . Hinc ſubdit : *cruenta morte a tortoribus immiſſa vita non obiiſſe Irenæum , pace Gregorii Turonenſis , mens prona nobis eſt ad credendum* ; quinimmo *ſicca morte animam Deo reddidiſſe Irenæum nobis eſt veriſimile* . Alia nihilominus tum nobis , cum eruditis viris de Irenæi martyrio inſidet opinio , nec tam facile ab Hieronymi , Gregorii Turonenſis , aliorumque ſententia divellimur ; cum præ-

Irenæi Epiſcopi obitus, & Martyrium. *Hier. in Iſag. cap. 64. apud Juſt. in app. cap. 15. Greg. Tur. lib. 5. 29. Bolland. die 28. Junii.*

Dodwell. diſſert. 3. In Irenæum cap. 22.

Baſnag. an. 194. num. 4.

Maſſuetius Præf. Iren. pag. 90. Tillem. tom. 3. pag. 628.

JESU CHR. AN.205. præcipue Irenæum Martyrem fuiſſe inficientur, eo quod Tertullianus, Euſebius, & Hieronymus in libro de Viris illuſtribus ejuſmodi titulo eum nullatenus exornaverint. Ab Hieronymo quidem Commentario in Iſaiam, Martyrem nuncupatum fuiſſe, ſupra diximus: Tertulliani vero, & Euſebii ea de re ſilentium tot teſtibus antiquitate, & doctrina præclaris præferri non debet. Quoad acta paſſionis Irenæi, ea deperdita Baronius credidit: inventa poſtmodum, minus ſincera Ruinartius cenſuit.

Ruinart. pag. 708. edit. Paris.

JESU CHRISTI AN. 206. ZEPHYRINI PAPÆ 6.
SEVERI IMPERATORIS 14.
COSS. NUMMIO ALBINO, ET FULVIO ÆMILIANO.
OLYMPIAD. 246. AN. 2. URBIS AN. 959.

Severi crudelitas.

1. Illuſtrium virorum ſanguine labentem annum Severus fœdavit, Quintillii ſcilicet Plautiani, Aproniani Aſiæ tunc Proconſulis, qui abſens accuſatus, & condemnatus eſt: ejuſque cauſa cum in Senatu ageretur, ac quidam inter cetera dixiſſet, ſe Senatorem calvum cum Aproniano magicis artibus operam dante vidiſſe, cuncti Senatores tam vago indicio perterriti exhorruere, cum ii, qui calvitiem, tum qui capillos habebant, ita ut Dio hiſtoricus manu capillos contrectaverit. Accuſatore in Senatum introducto, Debium Marcellinum deſignavit, qui præ ceteris calvus erat, eaque de cauſa extremo ſupplicio, etſi innoxius, afficitur, ut pluribus narrat Dio.

Dio lib. 76.

NarciſusHieroſolymitanam Eccleſiam iterum regendam ſuſcipit.

2. Narciſus Hieroſolymorum Epiſcopus ſceleratorum hominum calumnias declinans, longo tempore delituerat: ſed poſtquam, Deo vindice, calumniatores ejus pœnas dederant, ſucceſſoremque Dium quemdam finitimarum Eccleſiarum Epiſcopi deſignaverant, *qui*, teſte Euſebio, *cum modico tempore Hieroſolymitanæ Eccleſiæ præfuiſſet, ſucceſſor ei datus eſt Germanio, quem deinde Gordius excepit*; hujus temporibus Narciſus, cum ſubito quaſi redivivus emerſiſſet, a fratribus, ut regimen Eccleſiæ denuo ſuſciperet, rogatus eſt. Hæc de Narciſo Euſebius, cui, Caracalla imperante, Alexander Cappadociæ Epiſcopus in adminiſtratione adjutor, & ſucceſſor datus eſt, ut ſuo loco adnotaturi ſumus.

JESU

Digitized by Google

JESU CHRISTI AN. 207. ZEPHYRINI PAPÆ 7.
SEVERI IMPERATORIS 15.
COSS. APRO, ET MAXIMO.
OLYMPIAD. 246. AN. 3. URBIS AN. 960.

1. Quo tempore Severus crudelitate Senatum, Urbemque divexabat, Felix quidam Bulla latronum celeberrimus, ſexcentorum prædonum turba ſtipatus, Italiam biennio vaſtationibus, cædibuſque replevit. Romæ vero cum inſtaret, a ſcorto proditus, ac Tribuno traditus, beſtiis damnatus eſt: quo ſublato, ſociorum turba facile diſſolvitur, ut a Dione narratur.

Felix Bulla Prædo Italiam vaſtat.
Dio lib. 76.

2. Interea Rebaptizantium error conſuetudine primum inductus, Carthaginenſis deinde Concilii decreto ab Agrippino Epiſcopo confirmatus eſt; communi namque conſenſu ſtatutum fuit, ut ex quacumque hæreſi ad Eccleſiam redeuntes rebaptizarentur, ſive in iis Baptiſmatis forma a Chriſto tradita ſervata, aut immutata fuerit: de quibus hæc Cyprianus ad Jubajanum, cum de Hæreticorum baptiſmate quæſtio ageretur: *Apud nos autem non nova, aut repentina res eſt, ut baptizandos cenſeamus eos, qui ab Hæreticis ad Eccleſiam veniunt, quando jam multi anni ſint, & longæva ætas, ex quo ſub Agrippino bonæ memoriæ viro, convenientes in unum Epiſcopi plurimi hoc ſtatuerint.* Ad Quintum vero de iterando baptiſmate ab hæreticis collato: *Quod quidam, & Agrippinus bonæ memoriæ vir, cum cæteris Coepiſcopis ſuis, qui illo tempore in provincia, & Africa, & Numidia Eccleſiam Dei gubernabant, ſtatuit, & librato conſilii communis examine firmavit.* Hinc factum, ut Cyprianus errandi occaſionem acciperet, dum a prædeceſſoribus ſuis ſtatuta ſervanda eſſe cenſeret.

Carthaginenſe Concilium ab Agrippino celebratum.
Cyprian. epiſt. 73.
Epiſt. 71.

3. De Agrippini ſententia, cui innitebatur Cyprianus, Auguſtinum audiamus: *Quam conſuetudinem ſuſcipiendi ab hæreticis baptizatos credo ex Apoſtolica traditione venientem, ſicut multa, quæ non inveniuntur in litteris eorum, neque in Conciliis poſteriorum, & tamen quia per univerſam cuſtodiuntur Eccleſiam, nonniſi ab Apoſtolis tradita, & commendata creduntur. Hanc ergo ſaluberrimam conſuetudinem per Agrippinum prædeceſſorem ſuum dicit S. Cyprianus quaſi cæpiſſe corrigi.*

Agrippini, & Cypriani ſententia improbatur.
Aug. de baptiſ. contra Donat. lib. 2. cap. 7. 8.

Digitized by Google

JESU CHR.
AN. 207.

rigi . Sed ſicut diligentius inquiſita veritas docuit ; quæ poſt magnos dubitationis fluctus ad plenarii Concilii confirmationem perducta eſt ; verius creditur per Agrippinum corrumpi cœpiſſe , non corrigi . Cum nulla tamen aperta occurreret ratio , qua hæreticorum , vel ſchiſmaticorum baptiſma validum ratumque demonſtraretur , nil mirum in obſcura quæſtione Cyprianum veriſimilibus Agrippini argumentis , & Africani concilii auctoritate deceptum fuiſſe , ut in eorum ſententiam non ſolum iverit , ſed pene corruerit , quæ etſi contra Apoſtolicam traditionem eſſet , tot præcedentium tamen Epiſcoporum numero , & ſuffragio fulcita , aliqualem errantibus excuſationem præbuerit , ut de Cypriano adnotat Auguſtinus .

De Concilii epocha , quo Rebaptizantium error firmatus eſt .

4. De Concilii epocha ab Agrippino celebrati , quo Rebaptizantium error firmatus eſt , variæ ſunt eruditorum opiniones . Anno 217. habitum fuiſſe opinatus eſt Baronius , qui & addit , Agrippinum , alioſque errandi occaſionem ex Tertulliano habuiſſe , qui eumdem tutatus eſt errorem ; mirarique ſe , ſubdit , hæc neque Auguſtinum , neque antiquiores alios vidiſſe , dum *demonſtraſſe tantum ejus primum ſententiæ Tertullianum fuiſſe aſſertorem , viciſſe adverſarios videri propemodum potuiſſet* . Antiquiorem tamen hujus Concilii epocham eſſe , non dubitamus . Nam Cyprianus anno 250. circiter ſcribens , *multi* , inquit , *jam anni ſunt , & longa ætas , ex quo ſub Agrippino bonæ memoriæ viro , convenientes in unum Epiſcopi plurimi hoc ſtatuerunt* . Plurimi itaque anni , longiorque excurrerat ætas , ex quo Rebaptizantium error Agrippini decreto confirmatus fuerat , ac circa annum 200. hæc contigiſſe dicendum eſt . Tertullianum vero errandi occaſionem Agrippino , aliiſque Epiſcopis non dediſſe , ſed ab eiſdem mutuatum eſſe , ipſe Tertullianus de baptiſmate ſcribens teſtatur : *Unus omnino baptiſmus eſt nobis tam ex Domini Evangelio , quam ex Apoſtoli litteris , quoniam unus Dominus , & unum Baptiſma , & una Eccleſia in cœlis ; ſed circa hæreticos ſane , quid cuſtodiendum ſit , digne quis retractet , ad nos enim editum eſt* , (ideſt Concilio Carthaginenſi ab Agrippino celebrato) *Hæretici nullum habent conſortium noſtræ diſciplinæ &c.* Plura de eodem Hæreticorum baptiſmate altero libro græce ſcripto tradiderat , deperdito tamen , ex quo Hieronymus locum recitat : quare mirari deſinat Baronius , neminem ante ſe ea adnotaſſe , quæ cum eorum temporum hiſtoria conciliari vix poſſunt .

Epiſt. 73.

Tertull. lib. de Baptiſm.

Hier. de ſcript. Eccleſ. in Lucam .

JESU

Digitized by Google

JESU CHRISTI AN. 208. ZEPHYRINI PAPÆ 8.
SEVERI IMPERATORIS 16.
COSS. M. AURELIO ANTONINO CARACALLA AUG. III.,
ET SEPTIMIO GETA CÆSARE II.
OLYMPIAD. 246. AN. 4. URBIS AN. 961.

De geſtis Severi, ejuſque in Britanniam tranſitu.

Baron. Pag. Murat. ann. 208.

Dio lib. 76.

Tertull. ad Scap.

Res Imperii proſperæ.

Spart. in Severo.

1. Cum Britannorum nonnullæ gentes adverſus Romanos iterum rebellaſſent, illuc Severus cum exercitu, ac filiis Caracalla, & Geta ſe contulit: quo tempore Tribunitiam poteſtatem, quam Caracallæ antea contulerat, Getæ quoque communicavit, eumque Imperii participem fecit, ut edita tunc Numiſmata teſtantur, biennio nempe antequam Severus e vivis excederet, ut narrat Dio. Unde Tertullianus feliciſſimum Imperium triplici virtute firmatum dixit, cùm tres Reipublicæ Imperatores præeſſent, Severus ſcilicet cum filiis ſuis: & iterum: *Revera Urbis cultiſſimum hujus Imperii rus eſt, Deo nimirum tot Auguſtis in unum favente*. De felicitate vero Provinciarum Africæ, unde Severus ortum habuerat, hæc eodem libro præfatur: *Principes ſemper Africæ viri Carthaginenſes, vetuſtate nobiles, novitate felices, gaudeo, vos tam proſperos temporum (cum ita vacat, & juvat) habitus denotare pacis, hæc & annona & otia ab Imperio, & a cælo bene eſt*: plane alludens ad ea, quæ Spartianus refert: *Tripolim, unde oriundus erat, contuſis bellicoſiſſimis Gentibus, ſecuriſſimam reddidit, ac pacem diuturnam, oleum gratuitum, & fæcundiſſimum agrum donavit*. Eadem beneficia & aliis Africæ populis largitus eſt, Carthaginenſibus præcipue, ut Numiſmata docent.

Chriſti Eccleſia ultra Imperii fines propagata.

Tertull. Apol. cap. 21.

2. Quantalibet autem Romani Imperii vis eſſet, ac felicitas, major tamen erat chriſtianæ Fidei gloria, quæ inter perſecutiones in dies augebatur, latiuſque ultra Rom. Imperii limites etiam propagabatur: *Nec trans iſtas gentes porrigere vires regni ſui poſſunt* Romani, ait Tertullianus. *Chriſti autem Regnum, & nomen ubique porrigitur, ubique creditur, ab omnibus Gentibus ſupranumeratis colitur, ubique regnat, ubique adoratur*. Hæc, & alia de Chriſti regno in toto Orbe coruſcante.

JESU CHR. AN.209.

JESU CHRISTI AN. 209. ZEPHYRINI PAPÆ 9.
SEVERI IMPERATORIS 17.
COSS. CLAUDIO POMPEJANO, ET AVITO.
OLYMPIAD. 247. AN. I. URBIS AN. 962.

De Minucio Felice, de Cæcilio, & Octavio, eorumque dialogo.

1. Minucium Felicem inter eccleſiaſticos Scriptores tertio ſæculo floruiſſe ſcimus: quo autem anno Dialogum Cæcilii cum Octavio ſcripſerit, ignoratur. Zephyrini tamen ætate Romæ eum vixiſſe, indicat Hieronymus, dum catalogo de Viris illuſtribus Minucium inter Scriptores, qui per id temporis extitere, recenſet. A Gentilium ſuperſtitione defeciſſe, ac Romæ, poſtquam Chriſti fidem amplexus eſſet, cauſidicum egiſſe, de ſe ipſo Minucius teſtatur, ubi de Octavio hæc habet: *Cum diſcuſſa caligine de tenebrarum profundo in lucem ſapientiæ, & veritatis emergerem, non reſpuit comitem, ſed quod eſt glorioſius præcurrit*, ideſt Octavius me in chriſtianæ Fidei profeſſione præceſſit: quod & Cæcilius innuit, dum Dialogi initio Minucium rogat, *ut cum in utroque vitæ genere verſatus fueris, repudiaris alterum, alterum comprobaris*, (nempe licet Gentilium cultum repudiaveris, atque Chriſtianam fidem comprobaveris): *in præſentiarum tamen ita tibi informandus eſt animus, ut libram teneas æquiſſimi Judicis; nec in alteram partem propenſus incumbas, ne non tam ex noſtris diſputationibus nata ſententia, quam ex tuis ſenſibus prolata videatur*. De ſua vero profeſſione in dicendis Romæ cauſis, idem Minucius audiatur: *Placuit Oſtiam petere amœniſſimam civitatem, quod eſſet corpori meo, ſiccandis humoribus, de Marinis lavacris blanda & appoſita curatio; ſane & ad vindemiam feriæ judiciariam curam relaxaverant, nam id temporis poſt æſtivam diem, intemperiem, ſemet autumnitas dirigebat*.

Dialog. cap. 1.

Minucii patria, & ſtudia.

Tillem. tom. 3. *pag.* 163.

Baſnag. ann. 210. 3.

Lact. lib. 5. 1. & *lib.* 1. *c.* 11.

Hier. de Vir. Ill. cap. 58.

2. Afrum fuiſſe ſtyli difficultas indicat, ut a viris doctis obſervatum eſt; ejuſdemque fuiſſe regionis Cæcilium, & Octavium, Minucio familiariſſimos, infra patebit. Cum Tertulliano, & Cypriano, aliiſque Afris ſcriptoribus illum Lactantius conjungit, ac de ejuſdem ſcriptis hæc adnotat: *Hujus liber, cui* Octavio *titulus eſt, declarat, quam idoneus veritatis auctor eſſe potuiſſet, ſi ſe totum ad id ſtudii contuliſſet*. Hieronymus quoque de eodem: *Minucius Felix Romæ inſignis*

Jesu Chr. An. 209.

gnis cauſidicus ſcripſit Dialogum Chriſtiani, & Ethnici diſputantium, qui Octavius inſcribitur, ſed & aliud ſub nomine ejus fertur de fato, vel contra Mathematicos. Qui cum ſit & ipſe diſerti hominis, non mihi videtur cum ſuperioris libri ſtylo convenire. Meminit hujus Minucii & Lactantius in libris ſuis. Octavium vero, qui adverſus Cæcilium chriſtianæ Religionis cauſam defendendam ſuſceperat, Chriſtianis antea infenſum fuiſſe patet: *Nos autem*, de ſe ipſo ait, *cum ſacrilegos aliquos, & inceſtos, & parricidas etiam defendendos, & tuendos ſuſcipiebamus, hos nec audiendos (ideſt Chriſtianos) in totum putabamus; nonnunquam etiam miſerantes eorum, crudelius ſæviebamus, ut urgeremus confitentes ad negandum videlicet, ne perirent, exercentes in his perverſam quæſtionem, non quæ verum erueret, ſed quæ mendacium cogeret; & ſi quis infirmior malo preſſus, & victus, Chriſtianum ſe negaſſet, favebamus ei, quaſi ejerato nomine jam omnia facta ſua illa negatione purgaret. Agnoſcitis ne eadem nos ſenſiſſe, & egiſſe, quæ ſentitis, & geritis? Cum ſi ratio, non inſtigatio dæmonis judicaret, urgendi magis, ut non diffiterentur ſe Chriſtianos, ſed ut de inceſtis, ſtupris, impiatis ſacris, de infantibus immolatis faterentur*. Hæc Octavius de his, quæ contra Chriſtianos egerat, dum Idololatriæ inſerviens, forenſibus vacabat curis: ex quibus patet, quæ ea ætate Chriſtianorum ſors eſſet, dum a viris alioquin doctrina, & legum ſcientia præſtantibus, cujuſmodi generis erat Octavius, ſacrilegis tamen, inceſtuoſis, & parricidis nequiores haberentur.

3. De Cæcilio pauca nunc addimus, quem Afrum fuiſſe De Cæcilio.
inde ſcimus, quod ſcriptorem quemdam Cirthenſem contribulem ſuum appellat. Gentilis adhuc adverſus chriſtianam Religionem cum Octavio diſputavit, ac de Fidelium conventibus agens: *De convivio*, ait, *notum eſt paſſim, omnes loquuntur. Id etiam Cirthenſis noſtri teſtatur oratio, ad epulas ſolemni die coeunt, cum omnibus liberis, ſororibus, matribus, ſexus omnis homines, & omnis ætatis, illic poſt multas epulas, ubi convivium caluit, & inceſtæ libidinis, ebrietatis fervor exarſit: canis, qui candelabro nexus eſt, jactu offulæ ultra ſpatium lineæ, qua vinctus eſt, ad impetum, & ſaltum provocatur, ſic everſo, & extincto conſcio lumine, impudentibus tenebris nexus infandæ cupiditatis involvunt per incertum ſortis, etſi non omnes opera, conſcientia tamen pariter*

Jesu Chr. an. 209. *inceſti &c.* Hæc, aliaque multa Cæcilius adverſus chriſtianam Religionem, qui argumentorum poſtea, rationumque evidentia edoctus, in Chriſtum credidit, ac ſe ab Octavio ſuperatum fuiſſe gaviſus eſt, ut in Dialogi fine narrat Minucius. Ad cetera crimina Chriſtianis afficta, profuſam ſcilicet libidinem, infanticidia, eſumque humanarum carnium, & aſinini capitis adorationem, quæ, uti delirantium portenta, erudite confutaverat in ſuo Apologetico Tertullianus, illis etiam exprobrat Cæcilius, quod Antiſtitum virilia adorarent; quæ ideo Chriſtianis illata fuiſſe cenſet Baronius, quod fideles coram Sacerdotibus flexis genibus procumberent, aut ut exemologeſim facerent, aut benedictionem peterent.

Baron. ann. 211. 3.

Chriſtianorum conſtantia in tormentis perferendis.

4. Multa etiam ibidem de Chriſtianorum conſtantia, ac in perferendis pro Chriſti Fide cruciatibus fortitudine adnotat Minucius. Inter cetera: *Quam pulchrum ſpectaculum Deo, cum Chriſtianus cum dolore congreditur; cum adverſus minas, & ſupplicia & tormenta componitur; cum ſtrepitum mortis & horrorem irridens inculcat; cum libertatem ſuam adverſus Reges, & Principes erigit, ſoli Deo, cujus eſt, cedit: cum triumphator, & victor ipſum, qui adverſum ſe ſententiam dixit, inculcat.* Et paulo poſt: *Sic Chriſtianus miſer videri poteſt, non poteſt inveniri. Vos ipſi calamitoſos viros fertis in cælum, Mutium Scævolam; qui cum erraſſet in Regem, periiſſet ab hoſtibus, niſi dexteram perdidiſſet. Et quot ex noſtris non dexteram ſolum, ſed totum corpus uri, cremari ſine ullis ejulatibus pertulerunt, cum dimitti præſertim haberent in ſua poteſtate? Viros cum Mutio, vel cum Aquilio, aut Regulo comparo? Pueri, & mulierculæ noſtræ, cruces, & tormenta, feras, & omnes ſuppliciorum terriculas inſpirata patientia doloris illudunt. Nec intelligitis, o miſeri, neminem eſſe, qui aut ſine ratione velit pœnam ſubire, aut tormenta ſine Deo poſſit ſuſtinere.* Hæc & alia plura de eo argumento Minucius, cujus aureum opus Arnobio primum inſcriptum, ſuo tandem Auctori redditum eſt. Eo in Dialogo, de Chriſtianis id etiam legitur, *quod nullas aras, nulla templa, aut nota ſimulacra* haberent; ex quibus imperite admodum Novatores, atque inter eos Baſnagius adnotat: *ea ad hodiernam Rom. Eccleſiæ diſciplinam non convenire.* At ſi hæc cum Romanæ Eccleſiæ diſciplina non quadrant, neque cum Lutheranicæ, aut Calviniſticæ ſectæ moribus aptari poſſunt, apud quos, & Tem-

Baſnag. ann. 210. 3.

pla,

pla, & menſæ & altaria ſuperſunt. Itaque dum de Chriſtianis ſuæ ætatis Cæcilius aſſerit, quod templa, aras, aut ſimulacra non haberent, Gentili ſcriptori condonari poteſt, cui Chriſtianorum res ignotæ erant; cum præſertim vigentibus perſecutionibus, in cryptis, privatiſque domibus ut plurimum convenirent. Sed de Chriſtianorum templis, eorumque ornatu, de Imaginibus, earumque uſu, & veneratione Tomo primo nonnulla adnotavimus: quare eo loci lectorem demandamus.

Jesu Chr. an. 209.

JESU CHRISTI An. 210. Zephyrini Papæ 10.
Severi Imperatoris 18.
Coss. M. Acilio Faustino, et Triario Rufo.
Olympiad. 247. an. 2. Urbis an. 963.

1. Poſt nonnullas ſuorum clades, (ita, ut quinquaginta Romanorum millia deſiderati fuerint) labenti tandem anno ad extremas Britanniæ oras Severus pervenit, ac Barbaros loco cedere, pacemque poſtulare coegit, quod, ut inquit Spartianus, *maximum ejus Imperii decus eſt, muro per tranſverſam inſulam ducto, utrinque finem Oceani communivit, unde etiam Britannici nomen accepit*. Eadem Dio commemorat, quæ Beda confirmans, ait: *Severus magnam foſſam, firmiſſimumque vallum, crebris inſuper turribus communitum a mari ad mare duxit*. Ceſpititium ejuſmodi murum ad frænandos barbaros Antoninus Pius conſtruxerat: Hadrianus vero eumdem aut inſtauraverat, aut amplificaverat, ut narrat Spartianus: *Britanniam petiit, murumque per octoginta millia paſſuum primus duxit*. Severiani autem muri longitudo major fuit, ideſt 132. millia paſſuum.

Severus Britannos vincit, murum per Inſulæ medietatem ædificat. *Spart. cap. 18.* *Dio lib. 76.* *Beda Hiſt. Angl. lib. 1.* *Spart. in Had. cap. 11.*

2. Improbis interea, perditiſque Caracallæ moribus Severus angebatur, cujus flagitia eo devenerant, ut ſollicitata militum fide, patri rebellis factus, occultis apertiſque conſiliis inſidiatus fuerit. Quodam enim die, cum uterque ſimul equitaret, Antoninus, equo refrænato, magno ſilentio gladium diſtrinxit, ut tergum patris percuteret: conclamante vero comitatu, vel natura ipſa perhorreſcente, manum cohibuit. Immane ſcelus Severum non latuit; quare coram Papiniano Præfecto Prætorii, & Caſtore graviter illum objurgavit, enſemque porrexit addens, ut quod palam tentaverat, pri-

Caracallæ in Patrem conjuratio. *Dio lib. 76.*

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 210. privatim perficeret: fruſtra tamen adhortationes, minaſque non ſemel adhibuit, ac moerens, quod talem poſt ſe filium Imperii hæredem relinqueret, anno ſequenti obiit.

JESU CHRISTI AN. 211. ZEPHYRINI PAPÆ 11.
CARACALLÆ, ET GETÆ IMPERAT. 1.
COSS. LOLLIANO GENTIANO, ET POMPONIO BASSO.
OLYMPIAD. 247. AN. 3. URBIS AN. 964.

Severi Imp. obitus. *Dio lib. 76. Spart. cap. 23. Herod. lib. 3.*

1. Cum componendis in Britannia rebus labenti anno vacaret Severus, Eboraci pridie nonas Februarii obiit, teſte Dione, qui & addit: *vixit annos 65., menſes novem, dies 25. Regnavit annos decem & ſeptem, menſes octo, dies tres*. Defuncti corpus militaribus exequiis elatum, igne conſumptum eſt, cujus cineres Caracalla, & Geta Romam delatos Hadriani ſepulcro condiderunt, ejuſque memoria Senatus conſulto inter Divos eſt recenſita.

Ritus & cærimoniæ in Apotheoſi ſervatæ. *Herod. lib. 4.*

2. Apotheoſis ritus & cærimonias Herodianus, de Severi conſecratione agens, his verbis deſcribit: *Mos eſt Romanis conſecrare Imperatores, qui ſuperſtitibus filiis, vel ſucceſſoribus moriuntur. Quique eo ſunt honore affecti, relati dicuntur inter divos. Eſt autem tota urbe quaſi luctus quidam feſtæ celebritati promiſcuus. Sed certam imaginem defuncto quam ſimillimam fingunt, eamque in regio veſtibulo proponunt ſupra eburneum lectum maximum atque ſublimem, veſtibus inſtratum aureis. Et quidem imago illa ad ægroti ſpeciem pallida recumbit. Circa lectum vero utrinque magnam partem diei ſedent, a læva quidem Senatus omnis veſtibus atris amictus, a dextera vero matronæ, quas virorum, aut parentum dignitas honeſtat: harumque nulla vel aurum geſtans, vel ornata monilibus conſpicitur, ſed veſtibus albis exilibus indutæ mœrentium ſpeciem præbent.*

Translatio corporis, & combuſtio.

3. *Hæc*, proſequitur Herodianus, *per ſeptem dies continuos faciunt, medicis ad lectum quotidie accedentibus, inſpectumque velut ægrum deterius ſe habere ſubinde pronunciantibus. Dein ubi jam viſus obiiſſe diem, lectum humeris attollunt. Equeſtris Senatoriique ordinis nobiliſſimi, ac lectiſſimi juvenes, perque viam Sacram in vetus Forum deferunt, ubi Magiſtratus Romani deponere imperium conſueverant. Utrinque autem gradus quidam ſunt ad ſcalarum ſimilitudinem extructi, in quibus*

bus altera ex parte puerorum chorus eſt e nobiliſſimis atque patriciis; altera fœminarum illuſtrium, himnos in defunctum pæanaſque canentium verendo, ac lamentali carmine modulatos. Quibus peractis, tollunt iterum lectum, atque extra Urbem perferunt in Campum Martium; ubi, qua latiſſime campus patet, ſuggeſtus quidam ſpecie quadrangula lateribus æquis aſſurgit, nulla præterquam lignorum ingentium materia compactus in tabernaculi formam. Id quidem interius totum eſt aridis fomitibus oppletum, extra autem intextis auro ſtragulis, atque eboreis ſignis, variiſque picturis exornatum. Infra vero alterum minuſculum quidem poſitum eſt, ſed forma & ornatu perſimile, portis januiſque patentibus. Tertium item & quartum ſemper ſuperiore contractius, ac deinceps alia, donec ad extremum, quod eſt omnium breviſſimum, perveniatur. Ædificii formam turribus ſimillimam fuiſſe non ſolum Herodianus, ſed & Virgilius enarrat: Jesu Chr. an. 211.

.... Feſtinant flentes, aramque ſepulchri
Congerere arboribus, cœloque educere certant. Virg. Æneid lib. 6.

Tum in pyra aromata, & ſuffimenta omnis generis, fructus, herbæ, ſuccique omnes odorati acervatim effundebantur. *Quippe neque gens eſt, neque civitas, neque qui honore ullo, aut dignitate præcellat, quin certatim pro ſe quiſque ſuprema illa munera Principis honori deferat.* Hinc iterum Virgilius:

.... Alii ſpolia occiſis direpta latinis
Conjiciunt igni, galeas, enſeſque decoros,
Frænaque, ferventeſque rotas: pars munera nota
Ipſorum clypeos, & non felicia tela.
Et iterum
.... Tum membra toro defleta reponunt,
Purpureaſque ſuper veſtes velamina nota
Conjiciunt.

Quibus geſtis, circa ædificium univerſi equeſtris ordinis, certa quadam lege, curſu ac recurſu in orbem adequitant. Curſus item circumaguntur a Purpuratis Rectoribus, qui Perſonas ducum omnium Romanorum, principumque illuſtrium exhibeant: quæ ubi finita ſunt, facem capit Impe-

rii

Jesu Chr. an. 211.

rii ſucceſſor, eamque tabernaculo admovet. Tum cæteri omnes undique ignem ſubjiciunt, cunctaque illico fomitibus illis aridis, odoramentiſque referta, igni valido corripiuntur. Mox ab extremo ultimoque tabernaculo, tamquam e faſtigio quodam, ſimul cum ſubjecto igne aquila dimittitur, quæ in cœlum creditur ipſam Principis animam deferre. ***Ac jam ex illo una cum cæteris numinibus Imperator colitur.*** Eique ſic conſecrato ſacrificia, aræ, templa erigebantur, atque Sacerdotes deſtinabantur: quibus illudens Tertullianus, *digne*, inquit, *Imperatoribus defunctis honorem divinitatis dicatis; quibus & viventibus eum addicitis. Accepto ferent dii veſtri, immo gratulabuntur, quod pares eis fiant domini ſui.* Hactenus de Apotheoſis ritu, quo Imperatores, eorumque Uxores, aut filios inter Divos relatos fuiſſe legimus.

Tertull. in Apol. cap. 13.

De Antonini Caracallæ, & Getæ Fratrum moribus & ingenio.

4. Juſtis, quinimmo impiis exequiis Severo perſolutis, Antoninus Caracalla, & Geta, ab exercitu in Britannia primum, Romæ deinde a Senatu Imperatores ſalutantur, qui cum a Patre Imperio ſociati eſſent, annum decimum quartum Imperii ſui Caracalla numerabat, Geta vero quartum. Caracalla dum puer eſſet, utpote lacte chriſtiano educatus, optimi Principis non levia indicia dederat. Omnibus ſiquidem, Spartiano teſte, affabilis ac jucundus fuerat, ipſique Senatui acceptiſſimus; quippe qui ingenioſæ blandæque indolis, non in litteris tardus, nec in benevolentiis ſegnis, non tenax in largitate, aut lentus in clementia: itaut ſi quando feris objectos viderit, nedum fleviſſe, aut oculos avertiſſe conſtat, ſed & ſeptennem puerum, ſuumque colluſorem cum *ob Judaicam religionem* gravius verberatum audiiſſet, neque patrem ſuum, neque patrem pueri, vel auctores verberum diu reſpexerit. Puerum hunc Antonini coævum Evodii cujuſdam filium cum Baronio exiſtimamus; nam ex Tertulliano ſcimus, Evodium quemdam chriſtianum Caracallæ nutritorem fuiſſe: Gentiles vero Chriſtianam Religionem cum Judaica ſæpe ſæpius confudiſſe, utpote quæ in Judæa originem habuerat, compertum eſt. Quibus tamen in pueritia moribus fuerat imbutus Caracalla, grandior factus, cito ſe exuit, ut alius omnino videretur; atque, ut crudelitatem, effuſamque libidinem prætercam, regnandi impatiens adeo fuit, ut Patri, & fratri non ſemel palam & occulte inſidias ſtruxerit. De Caracallæ nomine hæc habet Victor: ***Aurelius Antoninus Baſſianus antea***

Spart. in Caracalla.

Victor in epitome in Caracall.

Spart. cap. 9.

tea dictus, cum e Gallia veſtem plurimam devexiſſet, talareſque Caracallas feciſſet, coegiſſetque plebem ad ſe ſalutandum talibus indutam introire, de nomine hujus veſtis Caracalla cognominatus eſt; eademque apud Spartianum leguntur.

Jesu Chr. an. 211.

5. Quibus autem auſpiciis Imperium ſuum Caracalla inauguratus fuerit, ex Herodiano ſcimus. Univerſos quippe ab ipſo lare, ut ajunt, interficere cœpit, præſertim medicos, quod ſibi parum obtemperaverant, jubenti ſenis patris maturare necem: ex nutriciis item ſuis, aut fratris, eo quod iis reconciliandis aliquando ſolliciti fuerant, ne uni quidem pepercit. Cum fratre vero apertis adeo odiis, vel ipſo Imperii initio diſſentiit, ut eum a ſocietate Imperii repellere tentaverit: ſimulata tamen amicitia, Imperium, domumque dividere coactus, januas obſtruxit, cuſtodias poſuit, ne facilis inter eos eſſet acceſſus, ut pluribus Romanæ hiſtoriæ ſcriptores narrant. Getæ autem aſperi magis, quam improbi mores erant, ita ut Caracallæ comparatus optimus videretur; ſed meliori fortuna, diuturniorique Imperio dignus, ſequenti anno fratris perfidia ſupremum diem explevit.

Caracallæ ſævitia.

Getæ mores. *Spart. in Get. cap. 4. 5.*

6. Hoc tempore mortuo Serapione Antiocheno Epiſcopo, Aſclepiades Epiſcopatum ſuſcepit, qui vigente perſecutione Fidem Chriſti confeſſus, maximam gloriam retulerat. Hujus ordinationis maxima cum laude meminit Alexander in epiſtola ad Antiochenos, quam catenata manu hoc anno ſcriptam Clementi Alex. perferendam dedit, antequam Caracalla exules omnes, carceribuſque detentos, dimitti juberet, de quibus infra.

Serapio Antiochenus Epiſcopus obiit, cui Aſclepiades ſuccedit. *Euſeb. lib. 6. cap. 11.*

JESU CHRISTI an. 212. Zephyrini Papæ 12.
Antonini Caracallæ 2.
Coss. Julio Aspero, et Julio Aspero, seu duobus Asperis.
Olympiad. 247. an. 4. Urbis an. 965.

1. Cum diſſiderent inter ſe Caracalla, & Geta de partiendo Imperio, actum fuerat, ut eorum alter, ideſt Caracalla in Europa, Geta vero in Aſia imperaret. At obſtitit mater, dicens: *Si Imperium dividitis, Matrem quomodo dividetis?* cumque invicem ſibi caverent fratres, mutuiſque odiis, ac inſidiis impeterentur; tandem Caracalla, ut alter Cain, fratrem peremit, non quidem in agro, ſed in matris cubi-

Caracalla Getam fratrem occidit.

JESU CHR. AN. 212.

cubiculo & ſinu , quo eum , ob matris præſentiam , nil ſuſpicantem concordiæ ineundæ cauſa invitaverat . Die itaque 26. Februarii , cum annum vigeſimum tertium ageret , Geta occiſus eſt , ad matrem exclamans : *Mater , Mater , fer opem , occidor* : quo factum eſt , ut mater ipſa filii ſanguine non ſolum perfunderetur , ſed & vulnus in manu acciperet , quam ad filii defenſionem extenderat .

Caracallæ crudelitas in amicos Getæ.

2. Scelere perpetrato , periculum ſe evaſiſſe ſimulans Caracalla , ad Prætorianos tranſiit , clamitans ſe Diis gratias maximas debere , quod ſe ſolum Imperio ſervaſſent . Tum in fratris amicos , proximoſque crudeliſſime ſævit : *Solus Imperans* (Antoninus) , ait Dio , *omnes , qui Getæ ſtuduerant , interemit , nec illis pepercit , qui vel leviſſime hominem coluiſſent , vel poſt mortem , vel ſcripſiſſent vel pronunciaſſent Getæ nomen , quos omnes morte multari mandavit* . Horum numerum viginti millia , tum virorum , cum mulierum exceſſiſſe ſcriptores narrant , quorum plurimi aut Senatorii ordinis , vel affinitate conjuncti , aut dignitate illuſtres erant , ita ut nec illius crudelitatem evaſiſſent una cum filio Papinianus Præfectus Prætorio , eidem affinis , olimque cariſſimus , qui , teſte Spartiano , *Juris erat aſylus , & doctrinæ legalis theſaurus , qui tam cognitione , quam expoſitione legum omnes ante pariter , & poſt ſe Romanos juriſconſultos ſuperavit* . Quinimmo cum Juliam Matrem Getæ interitum flere vidiſſet , ab ea interimenda vix ſe abſtinuit .

Dio lib. 77. Spart. in Caracal. 8. Herod. lib. 4.

Spart. in Carac. cap. 8.

Antoninus Caracalla perſecutioni finem imponit. *Dio lib. 77.*

3. Satiatus tandem fratris , propinquorum , civiumque ſanguine , ut parricidii invidiam aliquatenus temperaret , Curiam ingreſſus , cujuſcumque criminis reos pœna abſolvit : *Audite rem maximam , ut totus orbis terrarum gaudeat . Omnes exules rei facti , cujuſcumque criminis , quomodocumque damnati ſint , reſtituantur* : quo tempore Chriſtianos etiam in Severi perſecutione deportatos , aut carceribus incluſos , in libertatem fuiſſe reſtitutos , non eſt dubitandum .

Alexander Hieroſolymæ Epiſcopus creatur.

4. Inter eos Alexander in Cappadocia Epiſcopus , qui anno proximo ad Antiochenos de Aſclepiadis ordinatione epiſtolam conſcripſerat , libertatem adeptus , coadjutor , divina revelatione , Narciſo Hieroſolymorum Epiſcopo datus eſt : de quibus hæc Euſebius : *Cum propter extremam ſenectutem , miniſterium ſuum obire amplius non poſſet Narciſus , Alexandrum alterius Eccleſiæ Epiſcopum divina diſpenſatio per revela-*

tio-

Digitized by Google

tionem quamdam, quæ illi in ſomnis apparuerat, ad participandum cum Narciſo ſacerdotis officium evocavit. Hac igitur viſione tanquam divino admonitus oraculo Alexander, cum ex Cappadocia, in qua primum Epiſcopus fuerat ordinatus, Hieroſolymam profectus fuiſſet, tum orandi, tum locorum viſendorum gratia; fratres illius Eccleſiæ humaniſſime eum excipientes, reverti poſt hæc in patriam non ſiverunt. Alia quippe revelatio etiam ipſis per ſomnum viſa fuerat, & vox quædam evidentiſſima ab iis, qui ſanctitate inter ipſos eminebant, audita. Significabat enim ipſis, ut extra portas civitatis egreſſi, deſtinatum ſibi a Deo Epiſcopum ſuſciperent. Quod cum illi conſentientibus vicinarum Eccleſiarum Epiſcopis feciſſent, manere deinceps eum apud ſe coegerunt. Sane idem Alexander in ſuis ad Antinoitas epiſtolis, quæ etiamnum extant, Epiſcopatus, quem cum Narciſo collega geſſit, meminit his verbis, quæ ad calcem epiſtolæ leguntur. Salutat vos Narciſus, qui ante me Epiſcopalem hujus Eccleſiæ ſedem tenuit, & qui nunc mihi conjunctus eſt in orationibus, annos natus ſexdecim ſupra centum, hortaturque vos mecum, ut idem omnes ſentiatis.

5. Zephyrini Pontificis, & Caracallæ Imperatoris ætate Cajum Rom. Eccleſiæ Presbyterum floruiſſe ex Euſebio, & Hieronymo patet: *Cajus ſub Zephyrino Romanæ Urbis Epiſcopo, ideſt ſub Antonino Severi filio, diſputationem adverſus Proclum Montani ſectatorem valde inſignem habuit, arguens eum temeritatis ſuper nova prophetia defendenda, & in eodem volumine Epiſtolas Pauli tredecim tantum enumerans, decimam quartam, quæ fertur ad Hebræos, dicit non ejus eſſe.* Is Proclus, adverſus quem, Hieronymo teſte, diſputationem Cajus habuit, idem eſſe videtur cum eo, cujus Tertullianus Montaniſta cum laude meminit: *Proculus noſter virginis ſectæ, & chriſtianæ eloquentiæ dignitas.* Diſertiſſimus cum eſſet Cajus, teſte Euſebio, multa alia Opuſcula ab eodem Euſebio, & Hieronymo prætermiſſa edidit, eique librum de univerſo, ſive de univerſi cauſa Joſepho hiſtorico inſcriptum adjudicat Photius, quem etiam contra Artemonis hæreſim ſcripſiſſe, Gentiumque Epiſcopum fuiſſe ordinatum, idem teſtatur.

De Cajo presbytero, ejuſque operibus. *Euſeb. lib.3. 20 Hier. de Vir. Illuſtr. cap.59.*

Tertull. adverſ. Valent. cap.5.

Phot. Cod.37. & 48.

JESU CHR. AN. 213.

JESU CHRISTI AN. 213. ZEPHYRINI PAPÆ 13.
ANTONINI CARACALLÆ IMP. 3.
COSS. ANTONINO CARAC. AUG. IV., ET CÆLIO BALBINO II.
OLYMPIAD. 248. AN. 1. URBIS AN. 966.

De geſtis Caracallæ.

1. Poſt fratricidium, innumeraſque cædes, conſcientiæ ſtimulis, ut Cain, agitatus Caracalla, Roma excedens, Gallias hoc anno petiit; ubi etiam ſuæ reliquit crudelitatis monumenta. Interea, quem vivum oderat fratrem, mortuum flere ſæpiſſime cogebatur, cujus imago ob oculos obverſari ſibi videbatur: quinimmo pater iratus cum gladio in ſomno adſtitit, hæc minitans: *Tu fratrem tuum interfeciſti, ita ego te interficiam*, ut pluribus narrant hiſtorici.

Dio lib. 78. Spartian. in Getam, & Caracall. Herod. lib. 4.

Origenes Romam venit: Heraclam in docendi munere ſibi ſociat.

2. Hoc tempore *Romam venit Adamantius*, ait Euſebius, (*id etiam Origeni nomen fuit*) cum ſibi in votis eſſet, ſicut ipſemet alicubi dicit, *Romanam Eccleſiam omnium antiquiſſimam coram videre*. Ibi pauliſper moratus, Alexandriam rediit, aſſuetamque docendi vicem omni ſtudio, ac diligentia præſtitit: Sed cum nimia diſcipulorum copia premeretur, Heraclam ex familiaribus ſuis deligens, virum rerum divinarum ſtudioſum, & alioqui doctiſſimum, ſocium ſibi, atque adminiſtrum adjunxit: & huic quidem inſtitutionem eorum, qui primis adhuc imbuerentur rudimentis, mandavit; ſibi vero perfectiores docendos reſervavit.

Euſeb. lib. 6. cap. 14.

Origenis in Sacram Scripturam ſtudia, & labores.

3. Tantam porro curam, ac diligentiam in divinis literis perſcrutandis adhibuit Origenes, ait Euſebius, ut hebraicam etiam linguam didicerit, & Scripturarum libros eo ſermone ſcriptos ſibi comparaverit. Nec hebraicum tantum textum, ſed & græcas Scripturæ ſacræ verſiones in unum collegit, quarum auctores cum incompertos haberet, loca ſaltem, ubi inventæ fuerant, adnotavit. His itaque per certa membra diſtinctis, unaque cum hebraico textu ſibi invicem e regione oppoſitis, Hexaplorum primus exemplaria immenſo labore in lucem protulit. Poſtea vero editionem Aquilæ, Symmachi, ac Theodotionis cum ſeptuaginta Interpretum verſione ſeorſum in tetraplis digeſſit. De hujuſmodi Origeniana collectione, ſive de ejuſdem Exaplis, Tetrapliſque, Epiphanius quoque accuratam exhibet notitiam, pluraque apud Huetium, Montfoconium, Petavium, De la Rue, Dupinium videri poſſunt.

Euſeb. lib. 6. 16. Epiph. hær. 64. 3. Huet. Orig. lib. 3. Montf. Orig. Hexapl. Petav. in Epiph. pag. 404. La Rue Origenis Editor. Dupin. differt. ſur la Bible.

4. In-

JESU CHR. AN. 213.

Origenis ſtudium in converſione hæreticorum, & gentilium.

Euſeb. lib. 6. 18.

4. Incredibile ſane dictu eſt, quanto cum chriſtianæ Religionis fructu in Gentilium & Hæreticorum converſione Origenes inſudaverit. Ea cæteris illuſtrior fuit Ambroſii cujuſdam, qui Origenis prædicatione, quaſi lumine quodam menti irradiante colluſtratus, e Valentiniana hæreſi ad rectæ fidei profeſſionem tranſivit. Philoſophorum plurimis, qui ad eum confluebant, præter rerum divinarum ſcientiam, græcanicæ quoque philoſophiæ præcepta tradebat. Rudiores vero, & hebetioris ingenii, ad humaniorum artium ſtudium cohortabatur, quibus ſufficienter imbutos ad ſacrarum Scripturarum intelligentiam quaſi manu ducebat; ac quantum iis in ſtudiis profecerit, *teſtes ſunt*, ait Euſebius, *ipſi gentilium philoſophi, qui ejus ætate floruerunt. Quorum in libris crebram hujus viri mentionem fieri deprehendimus, dum vel proprios libros ei nuncupant, vel eoſdem examinandos, tanquam ad magiſtrum ſuum, dirigunt.*

Idem cap. 19.

Ambroſius Origenem ad Scripturæ expoſitionem ſtimulat, & adjuvat.

Euſeb. lib. 6. 23.

Hieron. præf. lib. 3. comm. in epiſt. ad Galatas.

Orig. præf. in Evang. Joan.

Orig. epiſt. ad Africanum.

5. In ſacris vero Litteris explicandis, tantum operis, laboriſque impendebat Origenes, ut ſeptem & amplius notarii dictanti illi præſto eſſent, qui præſtituto tempore ſibi invicem ſuccedebant, nec pauciores antiquarii ſimul cum puellis elegantius ſcribere aſſuetis, quibus omnibus neceſſarios ſumptus copioſe Ambroſius præſtabat. Quod tanto mirabilius eſt, quod Hieronymus de ſe ipſo teſtatur, unico notario vix ſufficere potuiſſe; *nam ſi paululum voluero cogitare, melius aliquid prolaturus, tunc me tacitus ille reprehendit; manum contrahit, frontem rugat, & ſe fruſtra adeſſe, toto geſtu corporis conteſtatur.* Ambroſium, qui Origenis ſtudia non ſolum ære ſuo adjuvabat, ſed & currenti calcaria addebat, virum fuiſſe tum doctrina, cum pietate illuſtrem hæc Origenis verba teſtantur: *O Ambroſi vere homo Dei, & homo in Chriſto, & qui pro virili contendis, eſſe ſpiritualis, nec amplius homo:* & in epiſtola ad Africanum ejus eruditionem commendans: *Salutat te, qui dictandæ epiſtolæ fuit adjutor, & toti interfuit, quæ voluit corrigens, Dominus meus & frater S. Ambroſius. Salutat te etiam fideliſſima ejus conjux Marcella, ſimul cum liberis, & Anicetus:* quem glorioſa quoque Fidei confeſſione claruiſſe, *nec inelegantis ingenii, ſicut ejus ad Origenem epiſtolæ indicio ſunt*, ait Hieronymus.

De Viris Illuſ. cap. 56.

Origenes in Arabiam proficiſcitur.

6. Cum vero Origenis fama ubique pervolaret, ab Arabiæ Duce vocatus eſt, ut Chriſtianam ab eo fidem diſceret:

Euſeb. lib. 9. 19. prope finem.

ret: *Sub idem tempus*, ait Euſebius, *cum Alexandriæ moraretur, miles quidam adveniens, Demetrio Eccleſiæ Epiſcopo, & Præfecto Ægypti litteras a Duce Arabiæ detulit, quibus poſcebat, ut confeſtim ad ſe Origenem mitterent, qui doctrinam ſuam ipſi communicaret. Miſſus igitur ab illis Origenes in Arabiam perrexit, nec multo poſt, perfecto, cujus cauſa venerat, negotio, Alexandriam regreſſus eſt.*

JESU CHRISTI AN. 214. ZEPHYRINI PAPÆ 14.
ANTONINI CARACALLÆ IMP. 4.
COSS. FILIO MESSALA, ET SABINO.
OLYMPIAD. 248. AN. 2. URBIS AN. 967.

Caracallæ expeditio in Germanos, & Alemannos; ejuſque in Magiam ſtudium.
Dio lib. 77. 78.
Spart. in Carac. cap. 10.
Dio in Caracal.
Plin. lib. 28. 4.
Herod. lib. 4.

1. Cum crudelior in dies, inſaniorque Antoninus Caracalla fieret, hoc anno e Gallia Romam rediens, nonnullos ſupplicio affecit: in Germaniam deinde perrexit, ac ad Danubii ripas cum Kennis, aliiſque populis pugnavit, quos, ſi Spartiano fides, una cum Alemannis tunc primum notis, prope Menum devicit. Eo etiam tempore magicis artibus totum ſe dedit, &, ut ait Dio, *præſtigiatoribus ita delectabatur, ut Apollonium Capadocem, qui floruerat Domitiani temporibus, laude, & honore affecerit.* Seu, ut narrat Herodianus, cum ſuapte natura curioſior eſſet, non homanas res ſolum, ſed & divinas ſcrutari ſtuduit: hinc de impendentibus ſibi inſidiis, deque vitæ ſuæ exitu ſupra modum curioſus, Aſtrologos, Ariolos, Magos undique accerſitos conſulebat.

JESU CHRISTI AN. 215. ZEPHYRINI PAPÆ 15.
ANTONINI CARACALLÆ 5.
COSS. ÆMILIO LOETO II., ET ANICIO CEREALE.
OLYMPIAD. 248. AN. 3. URBIS AN. 968.

Caracalla in Orientem proficiſcitur. Thermas Romæ ædificat.
Dio lib. 77.
Spart. in Caracal.
Herod. lib. 4.
Cap. 9. in Caracal.

1. Germanici, Parthici, Alemannici vaniſſima nomina induerat Antoninus. Ut novis autem titulis, ac trophæis magis magiſque illuſtraretur, Orientem peragrare ſtatuit, ut vel ſaltem peregrinationibus Alexandrum Macedonem exæquaret, cujus nedum memoriam venerabatur, ſed & animam ad ſe migraſſe Senatui ſcribere non dubitavit: de quibus præ ceteris Dio itineris ſocius conſulendus eſt. Interea Romæ ingens molitur opus: *Opera Romæ*, ait Spartianus, *reliquit Thermas nominis*

nis ſui eximias, quarum cellam ſoliarem, Architecti negant, poſſe ulla imitatione, quæ facta eſt, fieri. Nam ex ære, vel cupro cancelli ſuperpoſiti eſſe dicuntur, quibus concameratio tota concredita eſt. Immenſum admiratur opus Olympiodorus Hiſtoricus apud Photium: *Sed & lavacra publica ingenti prorſus fuere magnitudine, e quibus quæ Antonianæ nominantur thermæ, ad commodiorem lavantium uſum mille ſexcenta habuerunt ſubſellia, e marmore polito facta.* Magnificentiſſimi operis veſtigia Romæ adhuc extant via Flaminia juxta Eccleſiam SS. Martyrum Nerei, & Achillei.

JESU CHR. AN. 215.

Phot. Cod. 80. 198.

JESU CHRISTI AN. 216. ZEPHYRINI PAPÆ 16.
ANTONINI CARACALLÆ 6.
COSS. ATIO SABINO II., ET CORNELIO ANULINO.
OLYMPIAD. 248. AN. 4. URBIS AN. 969.

1. Quum hiemem in compotationibus, luxuriis, venationibus, ſpectaculiſque Nicomediæ tranſegiſſet, Antiochiam vere inſtante perrexit Antoninus: inde Edeſſam, ubi Armeniæ Regem una cum ejus uxore, & Abgarum Oſroenorum Regem, violato fœdere, in vincula detinere juſſit, atque Ægyptum petens, deinde Alexandriam, hujuſce incolas graviſſima affecit clade; *nam dato ſigno*, ait Spartianus, *militibus, ut hoſpites ſuos occiderent, magnam cædem Alexandriæ fecit.* Fuſius rem narrat Dio, ac addit multis de cauſis, ſed præſertim eo quod ab Alexandrinis uti fratricida argueretur, in eos commotum fuiſſe Antoninum, iram tamen aliquandiu diſſimulaſſe. Ubi vero in ſuburbium pervenit, Alexandrinorum Proceres humaniter exceptos, atque ad convivium admiſſos interfecit: deinde armis inſtruxit exercitum, quem mox in cives immiſit præcipiens, ut obvios quoſque trucidarent, tantamque in ea cædem fecit, ut non ſit auſus interfectorum numerum proferre; ſed ad Senatum ſcribens, *non referre*, inquit, *qui & quot occiſi eſſent, propterea quod omnes idem ſupplicium meriti fuiſſent*; eorumque corpora in profundas foſſas projecta ſunt, ne interfectorum numerus facile dignoſceretur. Hæc & alia Dio de Alexandrinorum ſtrage, quam lugubri ſtylo deſcribit Herodianus.

Antonini geſta in Oriente & in Alexandrinos crudelitas.

Dio lib. 77. Herod. lib. 4. Spart. in Caracal.

2. Cum Alexandriæ fureret Antoninus, cædeſque patraret, Origenes, ut ait Euſebius, *nec in Ægypto commorari tutum*

Origenes in Palæſtinam pergit, & concionatur.

Euſeb. lib. 6. 19. in finem.

Jesu Chr. An. 216. *tutum ratus, Palæſtinam petiit, & Cæſareæ domicilium fixit. Ubi etiam ab illius regionis Epiſcopis rogatus eſt, ut publice in Eccleſia diſſereret, & divinas Scripturas, tametſi nondum presbyter ordinatus, exponeret.* Ægre admodum id tulerat Demetrius Alexandrinus Epiſcopus, quod ſcilicet hominem laicum in Eccleſia ſacram interpretari Scripturam deſtinaſſent: qua de cauſa Alexander Hieroſolymorum Epiſcopus, & Theoctiſtus Cæſarienſis, ut rei geſtæ rationem redderent, ad Demetrium inter cetera hæc ſcripſerunt: *Quod vero in litteris tuis adjeciſti, nunquam antea viſum, nec adhuc factum fuiſſe, ut præſentibus Epiſcopis laici concionarentur; in eo neſcio quomodo a veritate longiſſime aberraſti. Nam ſicubi reperiuntur, qui fratribus prodeſſe poſſint, eos ſancti Epiſcopi ultro adhortantur, ut ad populum conciones habeant. Sic Evelpis Larandis rogatus eſt a Neone, Paulinus Iconii a Celſo, Theodorus apud Synnada ab Attico, fratribus noſtris beatiſſimis. Idque etiam alibi fieri credibile eſt, quamvis nos ignoremus.* In hunc modum Origenes, dum adhuc juvenis eſſet, ſubdit Euſebius, non ſolum a notis, & domeſticis, verum etiam ab exterarum regionum Epiſcopis colebatur. Sed cum Demetrius per litteras eum revocaſſet, miſſiſque Eccleſiæ ſuæ Diaconis, reditum ejus urgere non deſtitiſſet; Alexandriam reverſus, aſſuetum munus obivit.

JESU CHRISTI AN. 217. ZEPHYRINI PAPÆ 17.
MACRINI IMPERATORIS 1.
COSS. C. BRUTTIO PRESENTE, ET T. METTIO EXTRICATO II.
OLYMPIAD. 249. AN. 1. URBIS AN. 970.

Antoninus Caracalla occiditur.

Dio lib. 78. Spart. in Caracal. Herod. lib. 4.

1. Quum Meſopotamiam Antoninus Caracalla petiiſſet, inter Edeſſam & Carras hoc anno a Marciano Centurione percuſſus periit, *ſexto Idus Aprilis*, ſeu *die octava*, ut habet Dio, *anno ætatis ſuæ vigintinovem: regnavit annos ſex, menſes duos, dies aliquot*. Macrini tamen inſidiis eum peremptum fuiſſe, tradunt Romani Hiſtorici: Diis vero inſcriptum fuiſſe, vel ipſi Gentiles mirati ſunt. Unde Spartianus: *Hic omnium diriſſimus, & ut uno complectar verbo, parricida & inceſtus, patris, & fratris, & matris inimicus, a Macrino, qui eum occiderat, timore militum maxime Prætorianorum, inter Deos relatus eſt, habet Templum, habet Salios, habet Sodales*

les Antonianos. Poſt Caracallæ interitum, *incerti*, *ignarique milites*, *quid agerent*, *biduo ſine Imperatore fuerunt*, ait Herodianus; Dio vero: *Eo ſublato* (Antonino) *non aperte quidem*, *nec ea die*, *nec duabus ſequentibus Imperium invaſit Macrinus*, *tum quarta demum die*, ideſt undecima Aprilis, *quæ Severi natalis erat*, *ab eis*, nempe militibus, *quaſi vi coactus creatus fuit*. Cæſareæ in Mauritania ignobili genere natus erat Macrinus, ac caſu magis, quam virtutibus Præfecti Prætorio, poſt Papinianum, dignitatem ſortitus fuerat; cui & indoles Imperio indigna, peſſimique inerant mores, ab uxore non abſimiles, de qua Capitolinus:

JESU CHR. AN. 217. *Herod. lib.* 4. 24. *Dio lib.* 78.

Capit. in Macrinum cap. 4. 12. 14.

Centum nam mœcos paſſa eſt, centumque rogavit.

2. Ut Imperium perfidia adeptum nomine ſaltem illuſtraret, Diadumenum filium ſuum Antonini titulo exornatum voluit, idque militibus gratiſſimum fuit, quos ita allocutus eſt: *Intelligo deſiderium ingens Antonini nominis apud vos manere*. *Quare quoniam mihi per conditionem fragilitatis humanæ non multum videtur ſupereſſe ad vitam*, *hunc puerum Antoninum vobis auctoribus nuncupo*, *diu vobis Antoninum repræſentaturum*, acclamaruntque milites: *Macrine Imperator*, *Dii te ſervent*: *Antonine Diadumene*, *Dii te ſervent*.... *Antoninum habemus*, *omnia habemus*. Macrinus vero, ut verius Antonini Pater diceretur, Severus ipſe dici voluit, de quibus hæc ad uxorem ſcripſit: *Quid boni adepti ſumus*, *mea uxor*, *caret æſtimatione*, *&* *fortaſſis de Imperio me putes dicere*. *Non magnum iſtud*, *quod etiam indignis fortuna conceſſit*. *Antonini pater factus ſum*, *Antonini mater facta es*. *Dii faxint*, *&* *bona Juno*, *quam colis*, *ut &* *ille meritum Antonini effingat*, *&* *ego*, *qui ſum pater Antonini*, *dignus omnibus videar*. Se Imperii tutelam magis, quam Imperium ſuſcepiſſe ad Senatum quoque ſcripſit, illudque retenturum, ſi Patribus Conſcriptis placuiſſet: cum vero Senatus Conſulto eidem confirmatum eſſet, cum filio Diadumeno hoc eodem anno communicavit, quem Cæſarem primo, deinde Auguſtum dixit. Vix tamen annuale horum fuit Imperium, ut inferius videbimus.

Macrinus filium ſuum Diadumenum Antoninum vocat, & Imperio ſociat.

Lamprid. in Diad. cap. 1.

Digitized by Google

JESU CHRISTI an. 218. Callixti Papæ I. Heliogabali Imp. I. Coss. M. Opelio Macrino Aug. II., et Adventu II. Olympiad. 249. an. I. Urbis an. 971.

De Macrini conſulatu cum Adventu. *Dio lib. 78.*

1. Adventum Macrino in conſulatu ſocium hoc anno fuiſſe teſtatur Dio, qui & Macrinum ex eo arguit, quod nullius pretii virum non modo Senatorem, ſed etiam collegam in conſulatu, & Præfectum Urbis creaſſet. Hujus enim tanta erat ſtupiditas, ut cum ne recte quidem loqui poſſet, Comitiorum die, ne in Senatum adveniens Conſcriptis Patribus ludibrio eſſet, morbum ſimulavit. Macrini tamen nomen e faſtis abraſum deinde fuit, ac ſuum Heliogabalus inſcribi juſſit.

Noris epiſt. Coſſ. *Pag. not. ad hunc an.*

Macrini, & Diadumeni Imp. interitus. *Dio lib. 78.*

2. *Anno dumtaxat uno, duobuſque menſibus, tribus demptis diebus*, Imperio præfuiſſe Macrinum, ait Dio, qui & addit, quod cum Mæſa Julia Auguſtæ ſoror duas filias haberet, ex iiſque nepotes duos, Eutychius quidam libertus, odii conſcius, quod milites in Macrinum conceperant, eum una cum filio Diadumeno occidere, & Heliogabalum Mæſæ nepotem etſi puerum in eorum locum ſufficere ſtatuit. Die itaque decima ſexta Maji, ſeu 16. Martii, ut legendum putat Pagius, puerum, prima luce in caſtra deductum, milites ſub Antonini nomine Imperatorem deſignarunt; genitum quippe ex Antonino Caracalla evulgaverat Eutichius. In Phœnicia quidem, ubi Macrini exercitus hiemaverat, hæc contigerunt: quare avia, & mater Heliogabali, Imperii clavum continuo accepere. Quæ ut Macrino Antiochiæ moranti nunciata ſunt, quaſi puerilem ludum contemnens, Julianum Præfectum cum militibus ad rebelles comprimendos miſit, qui cum re infecta abiiſſet, de ſumma rerum agi tandem Macrinus cognovit. Quamobrem Apamea digreſſus, tumultuantes milites, promiſſis quinque mille Dragmis, in fide confirmare curavit, ſed fruſtra; nam dum Antiochiam repeteret, Heliogabalus eum tanta celeritate inſecutus eſt, quippe 180. ſtadiis diſtabat, ut imparatum aggrediens fugaverit: qui tandem a ſuis proditus, in Cappadocia una cum filio interfectus eſt, eorumque capita Antiochiam ad Heliogabalum delata ſunt.

Herod. lib. 5.

3. Ma-

3. Macrino ſublato, Heliogabalus, qui & Antoninus dictus eſt, Imperium obtinuit: vir tanta vitæ fœditate infamatus, tantæque libidinis, ut vel ipſi Gentiles vitam ejus enarrare erubuerint. Unde ad Diocletianum ſcribens Lampridius: *Vitam Heliogabali Antonini impuriſſimam, qui varius etiam dictus eſt, nunquam in litteras miſiſſem, ne quis Romanorum Principem ſciret, niſi ante Caligulas, & Nerones, & Vitellios hoc idem habuiſſet Imperium. Hoc impurius, ne improbæ quidem, aut petulantes mulieres fuere; quippe Orbe toto obſcœniſſimos perquirebat, viſendis, tractandiſque libidinum artibus.*

Jesu Chr. an. 218. Heliogabalus Imperat. ejus mores.

4. Heliogabalus itaque, Antiochia relicta, Nicomediæ hiemavit, Romam iter facturus, unaque ſecum Deum Heliogabalum, cujus ſacerdotium ac nomen ferebat, Romam detulit, ejuſque cultum ubique propagandum curavit: Urbem vero ingreſſus *Elagabalum* Deum ſuum Palatino Monte juxta ædes Imperatoris collocavit, eique templum fecit, atque omnia ceteris Diis dicata in illud tranſtulit, id agens, ne quis Romæ Deus, niſi Elagabalus coleretur. Dicebat præterea, Judæorum, & Samaritanorum religiones, & Chriſtianorum devotionem illuc transferendam: *Ignem etiam perpetuum extinguere voluit; nec Romanas tantum extinguere voluit religiones, ſed per Orbem terræ, unum ſtudens, ut Elagabalus Deus, unus ubique coleretur.* Hæc & alia de his Lampridius, quæ pluribus proſequi non eſt neceſſe.

De Dei Heliogabali, ſeu Elagabali cultu. *Lamprid. in Helog. Herod. lib. 5.*

5. Hujus Imperatoris anno primo, ait Euſebius, Zephyrinus Romanæ Urbis Epiſcopus abiit e vita, poſtquam annos octodecim Sacerdotium obtinuerat. Ejus nomine duæ circumferuntur Iſidorianæ epiſtolæ, ad Epiſcopos Siciliæ una, ad Ægypti altera. Zephyrini memoria martyrologio Romano inter Martyres recenſetur *die 26. Auguſti*, die vero 20. *Decembris* in Hieronymiano, aliiſque antiquioribus: ejus tamen martyrium, vel martyrii cauſa nos latet, ait Baronius. Poſt Zephyrini obitum Callixtus Romanam cathedram quinquennio retinuit, de cujus geſtis vix aliquid notatu dignum invenimus.

Zephyrini Papæ obitus, cui Callixtus ſuccedit. *Euſeb. lib. 6. 21. Coutan. pag. 107. Martyr. Rom. die 26. Aug. Bar. an. 221. num. 2.*

JESU CHR. AN. 219.

JESU CHRISTI AN. 219. CALLIXTI PAPÆ 2.
HELIOGABALI IMPERATORIS 2.
COSS. M. AUR. ANTONINO HELIOGABALO II.,
ET SACERDOTE II.
OLYMPIAD. 249. AN. 3. URBIS AN. 972.

Geſta Heliogabali, & nuptiæ. *Lamprid. in Elag. cap.4. Dio lib.79.*

1. Heliogabalus Romam hoc anno adveniens inſaniæ ſuæ plurima præbuit argumenta, quæ exponere longum eſſet, multaſque uxores duxit, quarum aliquas ſæpe repudiavit, ac repudiatas revocavit; quin tamen mulierum grege circumſeptus exſatiaretur.

De Beryllo Boſtrenorum Epiſcopo, ejuſque operibus. *Euſeb. lib.6. 20.*

2. Per id temporis, ut ait Euſebius, multi Eccleſiaſtici viri, doctrina quidem excellentes floruerunt, inter quos Beryllus Boſtrenorum in Arabia Epiſcopus, qui præter epiſtolas, & lucubrationes, varia quoque elegantis ingenii monumenta reliquit. Is aliquando perverſam de Chriſti Divinitate opinionem induerat, eum ſcilicet, antequam inter homines verſaretur, non ſubſtitiſſe in propriæ perſonæ differentia, nec propriam, ſed paternam dumtaxat divinitatem in ſe reſidentem habuiſſe. Cumque ea de re plurimi Epiſcopi quæſtiones adverſus illum habuiſſent, Origenis tandem colloquio & diſputatione victus, ſuum errorem ſponte ejuravit: de quibus hæc ibidem narrat Euſebius: *Extant hodieque tum Berylli, tum Synodi ipſius cauſa congregatæ edita monumenta; in quibus & quæſtiones adverſus illum propoſitæ ab Origene, & diſputationes in Eccleſia ejus habitæ & ſingula, quæ tunc geſta ſunt, continentur*. Eadem prodit Hieronymus, qui & addit, eum ſub Alexandro Mammeæ filio, Maximino, & Gordiano Imperatoribus, floruiſſe, cujus tamen initia Macrini, & Heliogabali Imperio Euſebius alligat.

Hier. de Vir. Ill. cap.60. Lib. 6. 20.

JESU CHRISTI AN. 220. CALLIXTI PAPÆ 3.
ANTONINI HELIOGABALI IMP. 3.
COSS. M. AUR. ANTON. HELIOGABALO AUG. III.,
ET EUTICHIANO COMAZENO II.
OLYMPIAD. 249. AN. 4. URBIS AN. 973.

Heliogabali geſta, ejuſque crudelitas.

1. Eutichianus Comazo, Heliogabali in conſulatu ſocius, hiſtorica præcipue virtute clarus fuit, conſulari trabea, Prætura-

turaque Urbana iterum, & tertio ornatus. Hoc etiam anno cum Severus quidam Ductor Gallicæ Legionis tertiæ, & Gallius Maximus inter Romanos duces celeberrimus, aliique adverſus Heliogabalum rebellaſſent, debitas cito perduellionis pœnas dederunt, unaque cum iis quamplurimi illuſtres viri, quibus ſcelerata Imperatoris vita faſtidio erat: de quibus Lector Dionem conſulat. Jesu Chr. an.220.

JESU CHRISTI an. 221. Callixti Papæ 4.
Antonini Heliogabali Imp 4.
Coss. Grato Sabiniano, et Claudio Seleuco.
Olympiad. 250. an. 1. Urbis an. 974.

1. Soemis matris, Mæſæque aviæ hortatu, Alexandrum conſobrinum (utpote Mammeæ Soemis ſororis filium) hoc anno adoptavit Heliogabalus, quem ex Aleſſiano patre Alexandrum dixit, & Cæſarem nuncupavit. Hunc omnes, utpote optimæ ſpei adoleſcentem, probatiſque moribus ornatum, diligebant; ſed cum adoptionis paulo poſt Heliogabalum pœniteret, non ſolum Cæſarea dignitate, ſed & vita eum ſpoliaſſet, niſi mater ejus Mammea, inter fœminas moribus, & prudentia celeberrima, obſtitiſſet, ut narrant Dio, Herodianus, & Lampridius. Alexander ab Heliogabalo adoptatur, & Cæſar dicitur. *Dio lib. 79. Herod. lib. 5.*

2. Inter Eccleſiaſticos ſcriptores Julium Africanum hac ætate floruiſſe ſcimus, qui ad Heliogabalum Imperatorem, vel ad Alexandrum pro reſtitutione urbis Nicopolis legationem obiit. Nicopolis Emmaus olim dicebatur, ubi poſt reſurrectionem ſuam Chriſtus Dominus in panis fractione a Diſcipulis agnitus eſt. *In Palæſtina Nicopolis, quæ prius Emmaus vocabatur, urbs condita eſt; legationis induſtriam pro ea ſuſcipiente Julio Africano Scriptore temporum*, ait Euſebius, eademque Hieronymus. Inter ejus Opuſcula præcipuum erat Chronographiæ quinque libris diviſum, in quo, *ſe Alexandriam profectum eſſe teſtatur, ob maximam omnium famam, atque exiſtimationem de Heracla, quem in Philoſophia aliiſque Græcorum diſciplinis excellentem ad Epiſcopatum Alexandrinæ Eccleſiæ provectum fuiſſe ſupra docuimus*. De Chronologia opus labenti anno, Antonini Heliogabali tertio, abſolvit, Grato ſcilicet, & Seleuco conſulibus. Ejuſdem etiam Africani epiſtola adhuc extat ad Origenem, in qua hiſtoriam Suſannæ quæ

De Julio Africano, ejuſque ſcriptis. *Lucæ 24. Euſeb. chr. pag. 739. to. 8. Oper. Hieron. Hier. de Vir. Ill. cap. 63. Lib. 6. 31. Orig. Op. to. 1.*

JESU CHR. AN. 221.

quæ in Danielis libro legitur, ſpuriam & commentitiam eſſe ſuſpicatur: cui Origenes copioſiſſime reſpondens, ejuſmodi hiſtoriam veterum traditione innixi, ac veriſſimam eſſe probat. *Altera quoque*, ait Euſebius, *ejuſdem Africani extat epiſtola ad Ariſtidem, de diſſenſione, quæ videtur eſſe inter Matthæum, & Lucam in ſtirpe Chriſti referenda, in qua Evangeliſtarum conſenſum apertiſſime demonſtrat ex narratione quadam, quam a majoribus acceperat; quam & nos jam antea in primo hujus operis libro inſeruimus* ideſt lib. 1. cap. 7. Sed & eidem Julio Africano alterum opus ab Euſebio, Photio, Suida, aliiſque inſcribitur, de quo Suidas: *Africanus cognomento Sextus Philoſophus Afer, qui Ceſtos deſcripſit libris* 24. (Photius libris 14.) *Sunt autem, & quædam Phyſica volumina, quæ continent remedia ex ſermonibus, & incantamentis, & quibuſdam ſcriptis characteribus conſtantia, & alios effectus habentia*. Eruditi tamen viri ſuſpicantur alio Africano inſcribendum eſſe librum, cui *Ceſtos* titulus erat, atque Photio & Euſebio ea addita fuiſſe, quæ ibidem de Ceſtorum libris leguntur; cum præſertim in Ruffini verſione is deſit Euſebii locus. Nec levibus id aſſerunt conjecturis: hic quippe Sextus Africanus dicitur, utpote in Africa natus; noſter vero Julius, Nicopoli in Palæſtina ortus: ille gentilis, qui de curandis malis ex incantationibus, & præſtigiis libros ſcripſit; noſter vero chriſtianus, & de chriſtiana Religione benemeritus. Neceſſario itaque hic ab altero diſtinguendus eſt, aut cum Cellierio dicendum, Ceſtorum librum, dum adhuc gentilis eſſet, Africanum ſcripſiſſe.

Euſeb. lib. 6. 31. Phot. Cod. 34. Suidas tom. 1.

Dupin. tom. 1. pag. 311. Val. in Euſ. lib. 6. 31. Baſn. an. 221. Tillem. in Afric. pag. 682.

Cellier. hiſt. ſcript. eccleſ. to. 2. pag. 542.

JESU CHRISTI AN. 222. CALLIXTI PAPÆ 5.
ALEXANDRI IMPERATORIS 1.
COSS. M. AURELIO ANTONINO HELIOGABALO AUG. IV., ET M. AUR. SEVERO ANTONINO ALEXANDRO CÆSARE.
OLYMPIAD. 250. AN. 2. URBIS AN. 975.

Heliogabalus occiditur, cui Alexander ſuccedit.

1. Heliogabali ſævities, monſtruoſaque libido eo uſque excrevit, ut omnium in ſe odia concitaverit: quare die decima Martii labentis anni, cum annum ageret decimum octavum, a Prætorianis interfectus eſt, poſtquam annos tres menſes novem, & dies quatuor imperaſſet. Cum eo perierunt & mater, aliique, quorum cadavera contumeliis affecta, ac per

per Circum raptata, in Tiberim projecta ſunt: unde Tractitius, & Tiberinus dici meruit. Eo ſublato, Alexander ejuſdem conſobrinus, Geneſio clariſſimo viro, & Mammea, *pia imprimis, & religioſa fœmina* genitus, Senatus militumque conſenſu, Imperator eſt ſalutatus: *Milites Alexandrum Imperatorem conſalutatum, in aulam Palatinam deduxerunt*, ait Herodianus, *adoleſcentulum admodum* (annum quippe quintumdecimum vix attigerat), *atque adhuc matris & aviæ, tamquam pædagogorum præceptis obtemperantem*.

Euſeb. lib. 6. 21.
Dio lib. 79.
Herod. lib. 5.

2. Hic moribus, & ingenio ita ornatus erat, ut optimis Imperatoribus Tito, Trajano, Hadriano, M. Aurelio æquari poſſet, ut pluribus narrant hiſtorici: a faſtu vero, & libidine ita alienus, ut Antonini, & Magni titulos a Senatu oblatos recuſaverit dicens: *Quid enim magni hactenus feci? & ne quæſo Patres Conſcripti ad hanc neceſſitatem vocetis, ut cogar tanto nomini ſatisfacere*. A chriſtiana etiam Religione non abhorrebat; immo matris exemplo Chriſtianis favebat, & Chriſtum aliquali proſequebatur cultu, ut narrat Lampridius: *Matutinis horis in larario ſuo, in quo, & divos Principes, & optimos electos, & animas ſanctiores, in queis & Apollonium, & Chriſtum, & Abraham, & Orpheum, & hujuſcemodi deos habebat, ad majorum effigies rem divinam faciebat*. Et poſt multa: *Chriſto templum facere voluit, eumque inter deos recipere, quod & Hadrianus cogitaſſe fertur*: quemadmodum anno 126. num. 4. in Hadriano adnotavimus.

De Alexandri Imp. moribus & religione.

Lamprid. cap. 11. 15. 18. &c.

Quomodo Chriſtum coluit Alexander.

3. Porro Alexander non ſolum chriſtianæ Religionis ſtudioſus fuiſſe videtur, ſed ejus quoque inſtitutorum, quantum fas fuit, diligens imitator, in his præſertim, quæ ad regimen Reipublicæ pertinebant, ut idem narrat Lampridius: *Et quia de publicandis diſpoſitionibus mentio contigit, ubi aliquos voluiſſet vel Rectores provinciis dare, vel Præpoſitos facere, vel Procuratores, ideſt, Rationales ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum, ut, ſi quis quid haberet criminis, probaret manifeſtis rebus: ſi non probaſſet, ſubiret pœnam capitis. Dicebatque grave eſſe, cum id Chriſtiani, & Judæi facerent in prædicandis Sacerdotibus, qui ordinandi ſunt, non fieri in provinciarum Rectoribus, quibus fortunæ hominum committuntur & capita*. Sed & illud: *Clamabatque ſæpius, quod a quibuſdam ſive Judæis, ſive Chriſtianis audierat, & tenebat; idque per præconem, cum aliquem emendaret, dici jubebat*:

Alexander Imp. Chriſtianæ diſciplinæ imitator.

JESU CHR. AN. 222.

bat: Quod tibi non vis, alteri ne feceris. Quam ſententiam uſque adeo dilexit, ut & in Palatio, & in publicis operibus perſcribi juberet. Recenſet præterea ejuſdem Imperatoris judicium pro Chriſtianis exhibitum: *Cum Chriſtiani quemdam locum, qui publicus fuerat, occupaſſent, contra popinarii dicerent ſibi eum deberi: reſcripſit, melius eſſe, ut quomodocumque illic Deus colatur, quam popinariis dedatur*. Hæc de Alexandro Imp. Lampridius.

Quinam ad Epiſcopatum ordinarentur. *Orig. lib. 8. contra Celſum in fin.*

4. Qua autem ratione, diligentique examine Eccleſiis ſacri præficerentur Miniſtri, paucis adnotare non inutile erit, de quibus hæc Origenes: *Nos, ut Eccleſias regant, eos hortamur, qui potentes ſermone, & quorum mores ſani ſunt. Qui dignitates amant, eos repudiamus; cogimus vero illos, qui præ multa modeſtia communem Eccleſiæ curam in ſe facile recipere nolunt*. Ne autem pietatis larva indutus quis, & ſub ovina pelle Eccleſiam falleret, Clero, populoque præſente Ordinationes fiebant. Unde Cyprianus ad Presbyteros, & plebem Eccleſiarum Legionis, Aſturiæ, & Emeritæ: *plena diligentia, & exploratione ſincera oportet, eos ad Sacerdotium deligi, quos a Deo conſtet audiri*; cum ipſa, ut ſubdit, poteſtatem habeat vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recuſandi: ac ea ordinatio juſta, & legitima ſit, quæ omnium ſuffragio, & judicio fuerit examinata. Quod & in Mathiæ Apoſtoli, & Diaconorum ordinatione ſervatum fuiſſe adnotat.

Cypr. epiſt. 67.

Plebis ſuffragium in Epiſcoporum ordinatione expetitum.

De Hippolyto Epiſcopo, & Martyre, ejuſque ſcriptis. *Hier. epiſt. 70.*

5. Hippolytos plurimos novit antiquitas: cæteris tamen illuſtrior eſt Portuenſis Epiſcopus, quem generis nobilitas, utpote Senatorii Ordinis (ut auctor eſt Hieronymus), Epiſcopalis Dignitas, magna eruditio, & martyrii gloria poſteritati celeberrimum reddiderunt. Hoc anno, Alexandri Imperatoris primo, temporum canonem, & Paſchalem Cyclum edidit. *Hippolytus cujuſdam Eccleſiæ Epiſcopus rationem Paſchæ, temporumque Canones ſcripſit uſque ad primum annum Alexandri Imperatoris*, ait Hieronymus. Hunc, ſi Baronio, aliiſque recentioribus fides, in Arabia primum Epiſcopum, deinde a Callixto Papa ad Portuenſem Eccleſiam ad Oſtia Tiberina translatum, lateri ſuo ſanctus Pontifex inhærere voluit, ut in graviſſimis Romanæ Eccleſiæ negotiis haberet conſilium: quæ quidem ingenioſa magis, quam vera videntur; nam Euſebius, & Hieronymus, cui Eccleſiæ Hippolytus præfue-

Bar. an. 229. 4. Martyr. Rom. 22. Aug. Belland. ibid.

Euſeb. lib. 6. c. 22. Hier. de Vir. Illuſt. cap. 61.

Jeſu Chr. an. 222.

fuerit; ſe ignoraſſe teſtantur: *nomen quippe urbis ſcire non potui*, ait Hieronymus in Hippolyto. In Oriente tamen Epiſcopum fuiſſe veroſimilius eſt: quod & conjecturis aliquot confirmatur. Atque in primis, id teſtatur Gelaſius Pontifex, ſeu auctor de duabus in Chriſto naturis, aſſerens Hippolytum Arabiæ Metropolitam fuiſſe, quem ideo Beryllo Boſtrenſi in Arabia Epiſcopo conjungit Euſebius. Hinc etſi eum Portus Romani Epiſcopum nonnulli tradant; Portus tamen Romani in Arabia potius, quam ad Oſtia Tiberina fuiſſe contendunt, cujus nimirum Ptolomeus meminit, utpote totius Arabiæ Emporii, & in quo, teſte Philoſtorgio, Theophylus Conſtantini legatus Eccleſiam ædificavit: *Aliam ædificavit Eccleſiam*, ait, *eo loco, in quo Romanum erat Emporium ad exteriorem Oceanum vergens, vocatur autem Adane hic locus, quo cuncti, qui ex Romanorum ditione veniunt, appellere ſolent*. Sed & ejuſdem etiam opuſcula græce ſcripta Orientalem fuiſſe indicant, ejuſque homilia de laude Salvatoris in Eccleſia, ut narrat Hieronymus, coram Origene habita: quæ quidem in Arabia contigiſſe probabile eſt, cum Origenes eo non ſemel ſe contulerit, ut ex Euſebio conſtat.

Nat. Alex. ſæcul. 3. cap. 4. art. 3.
Baſnag. ann. 222.
Tillem. tom. 3. not. 2. p. 674.
Ptolem. Geograph. lib. 7. 8.
Philoſtorg. lib. 3. 4.
Tillem. ut ſupra num. 2.
Hier. de Vir. Illuſt. cap. 61.
Euſeb. lib. 6. 19. 33. & 37.

Hippolytus inter martyres recenſetur.

6. Martyrum albo Hippolytum inſcribunt Hieronymus, Gelaſius, Theodoritus, aliique: quapropter in Martyrologio Romano legitur, ſub Alexandro Imperatore, ob præclaram fidei confeſſionem, manibus pedibuſque ligatis in altam foveam aquis plenam præcipitatum occubuiſſe, cui & alios in martyrio ſocios ex Actis S. Aureæ addit Baronius. Inter apocrypha tamen tum Hippolyti, cum S. Aureæ Acta recenſenda eſſe dubitari vix poteſt, utpote quæ, ut idem inquit Baronius, *mendis plena in multis reſtituenda eſſent*. In Maximini vero, aut Decii perſecutione eum martyrii coronam adeptum fuiſſe, veroſimile inde redditur, quod hoc anno, Alexandri Imperatoris primo, temporum canonem, Paſchalemque Cyclum edidit, cui alia opuſcula addidit, ut ex ejuſdem Operum catalogo videre eſt.

Hier. præf. in Matthæum.
Gelaſius ut ſup. tom. 4. Bibbl. Patrum
Theod. Dialogo 3. de impaſibili.
Martyr. Rom. die 22. Aug.
Baron. ann. 229. 7.
Martyr. Rom. die 5. & 22. Aug.

Tres Hippolyti diſtinguendi.

7. De Hippolyto quidem Martyre nonnulla cecinit Prudentius, quæ ſi Hippolyto Epiſcopo aptari poſſent, certiora Actis eſſent: *noſtrum Hippolytum*, ideſt Epiſcopum, *invenit Ruinartius in hymno Prudentii*, ait Baſnagius. Si attente tamen Ruinartii monitum in Prudentii carmina legiſſet, contrarium ab eo tradi didiciſſet; nam Hippolytum a Prudentio cele-

Ruinart. pag. 157.
Prudent. periſtheſ. carm. 11.
Baſnag. ann. 222. 8.

JESU CHR. AN.222.

celebratum ab altero, de quo agimus, cujuſque Opuſcula Euſebius, & Hieronymus memorant, diſtinguendum eſſe ibidem adnotat Ruinartius: quinimo tres ejuſdem nominis Martyres diſcernendos eſſe, quos a Martyrologiorum auctoribus in unum confuſos fuiſſe, Baronius, aliique tradiderunt. Et ſane Hipolytus a Prudentio laudatus, qui in Portu Romano ad Oſtia Tiberina martyrium ſubiit, diverſus omnino a noſtro eſt. Hic quippe Epiſcopus incertæ Sedis, ille vero Romanæ Eccleſiæ Presbyter, ac Novati opinionibus aliquando addictus, & martyrii tantum corona clarus; noſter vero non ſolum martyrio, ſed & eruditione, & ſcriptis celeberrimus. Ille demum, Prudentio teſte, furentibus equis raptatus interiit; noſter vero, ſi fides Martyrologiis, in foveam demerſus occubuit.

Baron. ann. 229. 9. ann. 255. 34.

Hippolytus Romæ Martyr occubuit, ejuſdem operum catalogus.

8. Hippolytum tamen Epiſcopum ex Arabia in Urbem tranſiiſſe, eamque doctrina, & ſanguine ſuo illuſtraſſe, unde fortaſſe Romani Epiſcopi nomen meruit, ut eum Orientales etiam in ſuis Dyptycis, ac Martyrologiis vocant, non eſt dubitandum; nam ſi cetera deeſſent, id aperte teſtatur marmorea illius Cathedra in Agro Verano, non procul ab Eccleſia S. Laurentii extra Urbem ſeculo XVI., ideſt anno 1551. inventa: ubi etiam Cœmeterium erat Hippolyti titulo inſignitum, quod vetuſtate collapſum Hadrianus Papa primus reſtauravit, ut auctor eſt Anaſtaſius in Hadriano. Nobile antiquitatis monumentum, ideſt marmorea Cathedra, cui Sanctus Martyr inſedit, in Bibliothecam Vaticanam translatum fuit, ibidemque ſervatur: ex eo etiam pretioſius, quod dextro Cathedræ lateri indiculus ſcriptorum Hippolyti inſculptus adhuc ſervetur, etſi in ſuperiori parte mutilus, quorum quidem memoriam alibi fruſtra Eruditi quæſiiſſent. In utriſque autem Cathedræ lateribus græcis characteribus Cycli Paſcales annorum ſexdecim leguntur: in dextro latere quartarum decimarum, ſeu feriæ quartæ decimæ Paſchales: in ſiniſtro vero Dominicæ Paſchales indicantur. Utramque tabulam eruditis notis illuſtravit poſt Scaligerum, Petavium, & Bucherium, Præclariſſimus Stephanus Evodius Aſſemanus Archiepiſcopus Apameæ, in Præfatione Generali ad Catalogum Codicum manuſcriptorum Bibliothecæ Vaticanæ. Nos vero rem paucis abſolvimus, atque Hippolyti indiculum hæc opuſcula continere tantum adnotamus: in Pſalmos ſcilicet, ſeu, ut

Scaliger. de emend. temp. lib. 7.

Petavius de doctrin. temp. lib. 11.

Bucherius in Hippolyti Canonem p. 295. Tom. 1. pag. 25. & ſeqq.

Digitized by Google

ut alii legendum putant, in Pſalmos pœnitentiales: de Pythoniſſa: de Joannis Evangelio, & Apocalypſi: de chariſmatibus Apoſtolica traditio: Chronicon ad Græcos, ſeu ad Gentes: contra Platonem, ſive de univerſo: exhortatio ad Severinam, ſeu ad Severam Auguſtam Philippi Imperatoris uxorem, quam litteris ſuis Origenem quoque compellaſſe, auctor eſt Euſebius: Demonſtratio temporum, ſeu Canon Paſchalis: de Deo trino & uno, de Verbi incarnatione, de reſurrectione carnis, de bono, & unde ſit malum. Quæ quæſtio ea ætate multis veterum commentariis agitata eſt contra Gentiles, & Hæreticos, qui boni, & mali duo diverſa principia tamquam duos deos ſibi invicem contrarios confingebant. Sed præter hactenus recenſita, quæ in indiculo cathedræ leguntur, alia multa Hippolyto inſcribuntur opuſcula, quorum Euſebius, Hieronymus, alique meminerunt. Ejus generis ſunt, adverſus Marcionem, in Cantica Canticorum, in capita quædam Ezechielis, adverſus omnes hæreſes, in Exodum, in Geneſim, in Zachariam, in Iſaiam, de Daniele, de Proverbiis, de Eccleſiaſte, de Antichriſto, de laude Salvatoris homilia, quorum ad præſens vix fragmenta ſuperſunt. De quibuſdam vero dubitari poteſt, num Hippolyto ſint inſcribenda: ſed de his, ne actum agamus, ſi lubet, Cellierium, Dupinium, Caveum, alioſque conſulat Lector. Hippolyti opera, quotquot hactenus inventa ſunt, Fabricius in unum collecta edidit, notis, diſſertationibuſque illuſtravit: de quo nonnulla, & quidem erudito viro digna, nuperrime adnotavit Auctor editionis libri Danielis juxta ſeptuagintaviralem editionem.

JESU CHR. AN. 222.

Euſeb. lib. 6. 36.

Cellier. hiſt. auct. Eccleſ. to. 2. cap. 17. Dupin. tom. 1. Biblioth. pag. 295. Tillem. not. 6. 7. in Hip. pag. 678. tom. 3. Caveus tom. 1. pag. 102. Nat. Alex. ſæcul. 3. cap. 4. art. 1. Præfat. pag. 29. 30.

JESU CHRISTI AN. 223. URBANI PAPÆ I.
ALEXANDRI IMPERATORIS 2.
COSS. MARIO MAXIMO II., ET ROSCIO ÆLIANO.
OLYMPIAD. 250. AN. 3. URBIS AN. 976.

I. *Cum quinquennio* in Pontificatu, *ſuperſtes vixiſſet Calliſtus, Urbano regendam Eccleſiam reliquit*, ait Euſebius. De illius vero martyrio etſi nulla apud eumdem Auctorem occurrat mentio, inter Martyres tamen eum eſſe numerandum, non ſolum Acta, & Martyrologia, ſed & antiquiſſimus Bucherii Catalogus teſtantur, pridie nempe Idus Octobris Romæ

Calliſti Papæ obitus, cui ſuccedit Urbanus.

Euſeb. lib. 6. 21.

JESU CHR. AN. 223.

Tillem. nu. 4. in Calliſt. pag. 682.
Boll. 10. Maii.
Baron. ann. 226.
Pag. ibid.
Martyrolog. Rom. die 14. Octob.
Bucher. de Victoris Cyclo pag. 269.
Bar. 226. 2.

via Aurelia martyrium ſubiiſſe: quibus Romanum addit Martyrologium, Alexandri Imperatoris juſſu diu fame in carcere cruciatum, fuſtibuſque cæſum, tandem e feneſtra domus, in qua cuſtodiebatur, præcipitatum, atque in puteum demerſum fuiſſe. Quæ quidem, utpote ex Callixti Actis deſumpta, vix fidem habent; eadem enim, uti animadvertit Baronius, *haud in omnibus ſincera ſunt*, neque ea probari poſſunt, quæ ibidem leguntur de excitata ab Alexandro Imperatore adverſus Chriſtianos perſecutione, quem ipſis potius faviſſe ex Gentilibus æque, ac Chriſtianis ſcriptoribus probavimus.

De Callixti geſtis, ſuppoſitiſque epiſtolis.

Tom. 2. an. 63. n. 11. pag. 128.
Thomaſſ. de jejuniis.
Murat. tom. 2. anecdot. latin. pag. 246.
Nat. Alex. ſaecul. 2. diſſert. 4.

2. De Callixti geſtis narrat Pontificale Damaſi, eum ſacram ædem in honorem Deiparæ Virginis trans-Tiberim ædificaſſe, ac jejunium quatuor temporum inſtituiſſe: quæ ſane, ſola Anaſtaſii fide, incerta ſunt. Cum tamen alias de jejunio quatuor temporum nonnulla a nobis ſint adnotata, ad eum locum Lectores ablegamus, aut ſi lubet, ad Thomaſſinum, Muratorium, Nat. Alex., aut Thomam Valfredi Ordinis Prædicatorum, qui nuperrime, atque hiſce diebus de uſu & inſtitutione jejuniorum quatuor temporum diſſertationem vulgavit. Epiſtolæ etiam duæ Callixto Pontifici ab Iſidoro inſcriptæ ſunt: prima ad Benedictum fratrem, & Coepiſcopum, *Antonino, & Alexandro viris clariſſ. coſſ.*, cujus duo ſunt capita, de jejuniorum ſcilicet temporibus quater in anno obſervandis, atque de Epiſcoporum accuſationibus. Altera Galliarum Epiſcopis data eſt, ſex capitibus conſtans: primo de iis, qui adverſus Epiſcopos conſpirant: 2. de his, qui cum excommunicatis communicant: 3. ne Epiſcopi ultra Dioeceſeos ſuæ limites quidquam præſumant: 4. de conjunctionibus conſanguineorum: 5. de his, qui ad teſtimonium reddendum admitti poſſunt: 6. ſi ſacerdos poſt lapſum miniſtrare poſſit. De geſtis, ſcriptis, deque eccleſia, & titulo S. Callixti Papæ & Martyris, & eccleſia Beatæ Virginis trans-Tyberim ex profeſſo agit Petrus Moretti ejuſdem eccleſiæ Canonicus.

De Alexandri uxoribus aliiſque geſtis.

Lamprid. cap. 20. 23. 25. & 49.
Herod. lib. 6.

3. Alexandrum Imperatorem plures uxores habuiſſe ſcimus, ex quibus cum Marciani filiam repudiaſſet, Memmiam duxit, Sulpicii conſularis viri filiam, interque alias & Salluſtia Barbia recenſetur. Quo autem tempore eas aut duxerit, aut repudiaverit, incertum eſt, nec multum id ſcire prodeſt, vel

Jeſu Chr. An. 223.

vel ignorare piget. De eodem Alexandro narrat Lampridius, viros præclariſſimos, ac præſertim jureconſultiſſimos in familiaritate habuiſſe, quorum conſiliis utebatur: Fabium ſcilicet Sabinum, ſui temporis Catonem, Domitium Ulpianum, Ælium Gordianum Gordiani Imperatoris patrem, Julium Paulum, Claudium Venatum oratorem ampliſſimum, Pomponium, Alphenum, Africanum, Florentinum, Martianum, Calliſtratum, Hermogenem, Venulejum, Triphonium, Martianum, Celſum, Proculum, Modeſtinum, omnes Papiniani diſcipulos, & Romanarum legum peritiſſimos, quibus addendi ſunt Catilius Severus cognatus ejus, *vir omnium doctiſſimus*, Ælius Serenianus *omnium vir ſanctiſſimus*, Quintilius Marcellus, *quo meliorem ne hiſtoriæ quidem continent*, ait idem Auctor. At etſi in iis Alexandri aſſeſſoribus maxima fuerit legum peritia, in Chriſtianos tamen eorum nonnullos infenſos fuiſſe, Lactantius conqueritur, ac præcipue de Domitio Ulpiano: *Domitius de officio Proconſulis libro ſeptimo, reſcripta Principum nefaria collegit, ut doceret, quibus pœnis affici oporteret eos, qui ſe cultores Dei confiterentur*.

Ulpianus, aliique juriſconſulti Chriſtianis infenſi. *Lact. lib. 5. cap. 11. 12.*

4. *Hoc etiam tempore*, ideſt, ſub initiis Alexandri Imp., ait Euſebius, *apud Antiochiam mortuo Aſclepiade, Epiſcopatum ejus Eccleſiæ ſortitus eſt Philetus*. Aſclepiadem fidei confeſſione inclaruiſſe, idem teſtatur Euſebius ex epiſtola Alexandri Hieroſolymorum Epiſcopi ad Antiochenos, qua de eodem hæc habet Alexander: *Expedita mihi, ac levia vincula Deus effecit cuſtodiæ meæ tempore, poſtquam comperi Aſclepiadem virum fidei, merito maxime idoneum, ſanctiſſimæ Eccleſiæ veſtræ Epiſcopatum divina providentia ſuſcepiſſe*.

Aſclep. Antioch. Epiſcopo Philetus ſuccedit. *Euſeb. lib. 6. 11. cap. 11.*

JESU CHRISTI An. 224. Urbani Papæ 2.
Alexandri Imperatoris 3.
Coss. Juliano II., et Criſpino.
Olympiad. 250. An. 4. Urbis An. 977.

1. Inter plurima Alexandri Imperatoris geſta, id laude dignum eſt, quod Reipublicæ officiis renuentes præficeret; dicebat enim, *invitos, non ambientes in Rempublicam collocandos*. Ex his Domitius Ulpianus Præfectus Prætorii invitus fere electus eſt, *quem pro tutore habuit, primum repugnante matre*, ait Lampridius, *dein gratias agente, quem ſæpe a militum*

De Alex. Imp. geſtis. *Lamp. in Alex. cap. 19. cap. 26. 55.*

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 224.

tum ira, objecta purpura, defendit. Ulpiano collegam in Prætorii præfectura Paulum juriſconſultum dedit: *Ulpianum, & Paulum in magno honore habuit*.

De Cœmeteriis, eorumque nominibus, & uſu.

2. Cœmeteriorum apud antiquos ſcriptores frequens occurrit mentio, quæ etiam Catacumbæ, Cryptæ, Arenariæ dicta ſunt: quare de iiſdem nonnulla hoc loco juvat adnotare. Romana præ ceteris celebriora fuiſſe lippis, tonſoribuſque notum eſt; quorum catalogum hoc fere ordine exhibet Baronius. Præter cœmeteria duo Callixti, & Calepodii, de quibus Callixti Pontificis Acta loquuntur, illud fuit in primis nobiliſſimum in Vaticano poſitum, in quo S. Petri, & aliorum plurium ſummorum Pontificum corpora condita ſunt: aliud Oſtianum dictum via Salaria, in quo idem S. Petrus baptizaſſe fertur, & cujus mentio eſt in Actis Liberii Papæ: quintum ad Nymphas via Numentana in Prædio Severæ, ſeptimo ab Urbe lapide: ſextum Soteris haud longe a Cœmeterio Callixti, juxta quod illud erat Zephyrini dictum: deinde Prætextati via Appia, Pontiani, Cyriacæ matronæ in Agro Verano, Lucinæ via Aurelia, Aproniani via Latina, Felicis Papæ via Aurelia ſecundo ab Urbe Lapide, & Priſcillæ via Salaria, tertio ab Urbe lapide juxta Cryptam ſancti Creſcentionis: Timothei etiam via Oſtienſi in loco, ubi nunc eſt Baſilica S. Pauli: Novellæ dictum via Salaria: S. Balbinæ inter viam Appiam, & Ardeatinam, idemque nominatum Marci Papæ: tria Julii nomine inſcribebantur via Flaminia, Aurelia, atque Portuenſi: his adde Cœmeterium Damaſi inter viam Ardeatinam, & Appiam, illudque Anaſtaſii Papæ dictum in Exquilino: ſequitur illud Hermetis, & Nicomedis via Ardeatina, S. Agnetis via Nomentana, S. Felicitatis via Salaria, Nerei item, aliudque ſanctorum Felicis, & Adaucti, Tiburtii, & Valeriani: inſuper ſanctorum Petri, & Marcellini via Lavicana, Marci, & Marcelliani, aliudque Quarti & Quinti appellatum: item illud ſanctæ Agathæ via Aurelia, Urſi quoque, & illud inter duas Lauros dictum: aliud vero ad clivum Cucumeris via Salaria, necnon Thraſonis ad S. Saturninum: item Cyriaci via Oſtienſi, Petronillæ, ac Januarii; denique Simplicii, & Serviliani. Quorum omnium in libro de Romanis Pontificibus, & aliis in locis habetur mentio.

Cœmeterii Priſcillæ deſcriptio. *Bar. an. 129. num. 2.*

3. De Cœmeterio Priſcillæ ſua ætate invento diſtinctius agens Baronius, *Vidimus*, ait, *ſæpiuſque luſtravimus Priſcil-*

læ

læ Cœmeterium, haud pridem inventum, atque refoſſum via Salaria, tertio ab Urbe lapide, quod nullo magis proprio vocabulo dixerimus præ ejus amplitudine, multiſque, atque diverſis ejuſdem viis, quam ſubterraneam civitatem: quippe quod ipſius ingreſſu primaria via cæteris amplior pateat, quæ hinc inde vias diverſas habeat, eaſdemque frequentes, quæ rurſum in diverſos viculos dividantur, & angiportus: rurſus, ut in civitatibus, ſtatis locis velut fora quædam ampliora ſint ſpatia ad conventus ſacros agendos, eademque Sanctorum imaginibus exornata: nec deſint, licet nunc obſtructa, ad lumen recipiendum deſuper exciſa foramina. Obſtupuit Urbs, cum in ſuis ſuburbiis abditas ſe novit habere civitates, Chriſtianorum tempore perſecutionis olim colonias, modo autem ſepulcris tantum refertas; & quod legebat in chartis, vel videbat ex aliis Cœmeteriis aliqua ſolum ex parte recluſis, tunc plenius intellexit; quæ enim de iiſdem apud S. Hieronymum, vel Prudentium legerat, ſuis ipſius oculis intuens, vehementer admirabunda ſpectavit.

Hier. in Ezech. 40.
Prudent. Periſt. in Hippol.

4. Ejuſmodi loca recenſens Onuphrius, de eorumdem origine, nominibus, & uſu multa adnotat ab eruditiſſimis viris poſtea retractata: quibus hoc unum addimus, Chriſtianos perſecutionis tempore in iis conventus agere conſueviſſe, ac defunctorum corpora, Martyrum præcipue, collocaſſe, unde Arearum nomen iis, & Cœmeteriorum inditum eſt, de quibus illud Tertulliani, ex Gentilium voto *Areæ non ſint*, ideſt, loca Chriſtianorum non ſint, ſeu Chriſtianorum conventus interdicantur. De Æmiliano etiam Ægypti Præfecto narrat Euſebius, Chriſtianis intimaſſe, *nullatenus licebit vobis, nec quibuſcumque aliis conventus agere, aut ea, quæ vocantur cæmeteria adire*. Poſt pacem vero Eccleſiis redditam, a fidelibus haud minus cœmeteria fuiſſe frequentata, teſtis eſt Hieronymus, qui de ſe ipſo narrat: *Dum eſſem Romæ puer, & liberalibus ſtudiis erudirer, ſolebam cum cæteris ejuſdem ætatis, & præpoſitis diebus Dominicis ſepulcra Apoſtolorum, & Martyrum circumire, crebroque Cryptas ingredi, quæ in terrarum profunda defoſſæ ex utraque parte ingredientium per parietes habent corpora ſepultorum, & ita obſcura ſunt omnia, ut propemodum illud propheticum compleatur: Deſcendant in infernum viventes: & raro deſuper lumen admiſſum horrorem temperet tenebrarum, ut non tam feneſtram, quam foramen demiſſi luminis*

Chriſtianorum conventus in cœmeteriis celebrati.

Panvinii Onuph. de ritu ſepeliendi apud Chriſt. & Cœmet.
Aringh. Rom. ſubterr. Boſari.
Tertull. ad Scap. cap. 3.
Euſeb. lib. 7. cap. 11.
Hier. in Ezech. cap. 40.
Pſal. 54.

Jesu Chr. an. 224. *minis putes, rurſumque pedetentim acceditur, & cæca nocte circumdatis illud Virgilianum proponitur:*

Horror ubique animos, ſimul ipſa ſilentia terrent.

Prud. hymn. 11. Prudentius vero de Cœmeterio Cyriacæ in agro Verano cecinit:

Haud procul extremo culta ad pomœria vallo,
Merſa latebroſis crypta patet foveis.
Hujus in occultum gradibus via prona reflexis,
Ire per anfractus, luce latente, docet.
Primas namque fores ſummo tenus intrat hiatu,
Illuſtratque dies limina veſtibuli.
Inde ubi progreſſu facili nigreſcere viſa eſt,
Nox obſcura loci per ſpecus ambiguum.
Occurrunt cæſis immenſa foramina tectis,
Quæ jaciunt claros antra ſuper radios.
Qualibet ancipites texant hinc inde receſſus,
Arcta ſub umbroſis atria porticibus:
Attamen exciſi ſubter cava viſcera montis,
Crebra terebrato fornice lux penetrat.
Sic datur abſentis per ſubterranea ſolis
Cernere fulgorem, luminibuſque frui.

Et inferius de frequentia illuc accedentium, ut corpus S. Hippolyti venerarentur, addit:

Mane ſalutatum concurritur, omnis adorat
Pubes: eunt, redeunt ſolis ad uſque obitum.

A Cœmeteriis autem adeundis Chriſtiani ceſſarunt, cum ea, quæ ibidem ſita erant, corpora ſanctorum Martyrum, intra Urbem delata, in diverſis eccleſiis honorificentius ſunt collocata.

Intra urbes mortuorum corpora ſepelire antiquitus vetitum. *Cicero de legibus lib. 2.*

5. Cur vero iis in locis Martyrum, aliorumque Chriſtianorum corpora tribus primis Eccleſiæ ſæculis recondita fuerint, ratio in promptu eſt, quod ſcilicet Romanorum legibus vetitum eſſet intra urbes mortuos cujuſcumque dignitatis, aut conditionis ſepelire: quare ad Arenarias extra Urbem

Jesu Chr. An.224.

bem ſitas mortuorum corpora deferebantur. Tum etiam quia Chriſtiani a Gentilium conſuetudine abhorrebant, qui defunctorum corpora rogo impoſita ſæpe cremabant, & collectis cineribus, ſepeliebant: Chriſtiani econtra integrum corpus terra tegebant, vel ſi mortui ſanctitas, vel dignitas exigeret, exquiſitis aromatibus condiebant, ut quantum fieri poterat illæſum, atque intactum ſervarent. Unde Tertullianus ad Gentiles: *Si Arabiæ queruntur, ſciant Sabei, pluris & cariores ſuas merces Chriſtianis ſepeliendis profligari, quam Diis fumigandis*. Hunc defunctorum corpora curandi morem Gentilis apud Minucium Felicem Chriſtiano his verbis exprobrat: *Inde execrantur rogos, & damnant ignium ſepulturas, quaſi non omne corpus etſi flammis ſubtrahatur, annis tamen, & ætatibus in terram non reſolvatur*: cui Chriſtianus ſic reſpondet: *Nec ut creditis, ullum damnum ſepulturæ timemus, ſed veterem, & meliorem conſuetudinem ſervamus*. Tertullianus vero non ſemel Gentiles, eo quod mortuorum cadavera igni traderent, arguit: *Ego magis ridebo vulgus, tunc quoque cum ipſos defunctos atrociſſime exurit, quos poſtmodum guloſiſſime nutrit: iiſdem ignibus, & promerens, & offendens. O pietatem de crudelitate ludentem!*

Tertull. Apolog. cap.42.

Minut. Dial. pag. 32. Apud Coteler.

Ibid. pag. 101.

Tertull. lib. de reſurrect. cap. 1.

Unde orta ſit conſuetudo ſepeliendi in eccleſiis.

6. Antiqua quidem conſuetudo extra urbes defunctorum corpora ſepeliendi diu ſub chriſtianis Imperatoribus perſeveravit, immo & Theodoſius lata lege illam confirmavit: unde Chryſoſtomus homilia 37. in Matthæum: *Cogita, quia nullum in civitate ſepulcrum ſtruitur, quare nec tu, qui peccator es, in ſupernam poteris intrare. Nam ſi in terreſtri civitate hoc interdictum eſt, multo magis in cœleſti*. Et iterum expoſitione in Pſalmum 5. *Si mortua corpora extra urbem ſepelimus*. Temporis decurſu intra urbium mœnia, aut etiam in atriis eccleſiarum defunctorum corpora ſepulta ſunt, quod Imperatoribus, Regibuſque primo conceſſum eſt, ut de Conſtantino Imperatore teſtes ſunt Euſebius, & Joannes Chryſoſtomus. Cæteris deinde cujuslibet conditionis, ut prope muros eccleſiæ, aut in atrio mortuorum cadavera ſepelirent, conceſſum fuit. Intra eccleſiam vero, ſexto ineunte ſæculo, Imperatores, Principes, Epiſcopi, Abbates etiam quandoque, aliæque illuſtriores ſanctitate, aut dignitate perſonæ ſepultæ ſunt. Unde Muguntiaca Synodus anno 813. habita canone 52. *Nullus mortuus intra eccleſiam ſepeliatur, niſi Epiſcopi, aut Abbates*,

Cod. Theod. lib.6. de ſepul. lib.9. tit.17.

Chryſoſt. hom. 26. In 2. ad Corinthios.

Euſeb. Vita Conſtant. lib.4 cap.71.

Harduin concil. tom. 4. pag. 1016.

JESU CHR. AN.224.

bates, aut digni Presbyteri, vel fideles laici: Tandem hæreditariis ſepulturis poſt ſæculum X. in uſum receptis, quo cuique de eadem familia jus erat in eodem ſepulcro intra eccleſiam humari, non ſolum plurimis, ſed & cunctis denique fidelibus commune fuit.

JESU CHRISTI AN. 225. URBANI PAPÆ 3.
ALEXANDRI IMPERATORIS 4.
COSS. FUSCO II., ET DEXTRO.
OLYMPIAD. 251. AN. 1. URBIS AN. 978.

Optimus Reipublicæ ſtatus ſub Alexandro Imperatore. *Lamprid. cap. 24. in Alexand. vita.*

1. Inter præclara ab Alexandro Imp. geſta narrat Lampridius, eum lenonum vectigal, & meretricum, & exoletorum in ſacrum ærarium inferri prohibuiſſe, ſed ſumptibus publicis, ad inſtaurationem ſcilicet theatri, circi, amphitheatri, & ærarii, deputaſſe. *Habuit in animo, ut exoletos vetaret, quod poſtea Philippus fecit, ſed veritus eſt, ne prohibens publicum dedecus, in privatas cupiditates converteret, cum homines illicita magis poſtulent, prohibitaque furore proſequantur*. Urbem tamen, & Orbem ab hiſce ſordibus expurgare Evangelio reſervatum erat: hinc de Conſtantino refert Hieronymus: *Inter ſcorta quoque in fornicibus ſpectaculorum pueri ſteterunt publicæ libidini expoſiti, donec ſub Conſtantino Imperatore, Chriſti Evangelio coruſcante, & infidelitas univerſarum gentium, & turpitudo deleta eſt.*

Hier. in Iſaj. cap. 2.

JESU CHRISTI AN. 226. URBANI PAPÆ 4.
ALEXANDRI IMP. 5. COSS. ALEXANDRO AUG. II.,
ET QUINTILLIO MARCELLO.
OLYMPIAD. 251. AN. 2. URBIS AN. 979.

Parthicum Imperium ad Perſas rediit.

1. Inſequens Chriſti annus translatione Imperii Parthorum ad Perſas nobilitatus eſt; nam Artaxerſes, Parthis ter prælio victis, regeque eorum Arthabano occiſo, Parthicum Imperium Perſis reſtituit, ut Dio, Agathias, aliique hiſtorici tradunt. Quo ea tempore acciderint, his verbis Agathias memorat: *Illud addiderim, quod annis quingentis triginta octo poſt magnum illum Alexandrum Macedonem, quarto vero alterius illius Alexandri Mammeæ filii regni anno, quum Artaxerſes, quo dictum eſt modo, Perſarum Regnum occu-*

Agathias lib. 4. pag. 134. edit. Pariſ. Græco lat. an. 1640.

occupaſſet, quindecim in eo annos peregit, duobus menſibus demptis. Hoc itaque anno, cum Imperii ſui quartum nondum abſolviſſet Alexander, hæc contigerunt: de quibus idem Agathias: *Quum Romanorum res ſub Alexandro Mammeæ filio eſſent conſtitutæ, ſub id tempus Choſrois progenies apud nos regnare cœpit, Perſarumque gubernatio, quæ in hunc uſque diem durat, tunc temporis initium habuit. Siquidem Artaxares, idem ac Artaxerſes quidam nomine, vir Perſa, ingloriꝰ quidem primum, & obſcurus, induſtrius tamen, magniſque rebus gerendis peraptus, conjuratorum manu collecta, Arthabanum Regem adortus obtruncat, & cidari capiti ſuo impoſita, Parthicaque potentia ſubverſa, Perſis denuo priſtinum Imperium recuperavit, quod ad medium fere ſeculum ſeptimum perſeveravit, cum a Perſis ad Arabes translatum eſt*, ut ſuo loco videbimus. JESU CHR. AN. 226. Pag. 64.

JESU CHRISTI AN. 227. URBANI PAPÆ 5.
ALEXANDRI IMPERATORIS 6.
COSS. M. NUMMIO ALBINO, ET MAXIMO.
OLYMPIAD. 251. AN. 3. URBIS AN. 980.

1. Artaxerſes, Parthico occupato Imperio, ut anno proximo diximus, Romanis continuo bellum indixit: *Irruit in Armeniam*, ait Dio, *ex qua pulſus ab incolis, Mediſque nonnullis, & filiis Arthabani, in fugam ſe conjecit, ut quidam putant. Nam alii ſe receſſiſſe ajunt, ut majores copias compararet. Hic igitur nobis formidoloſus fuit, quod maximis copiis, non modo Meſopotamiam invaderet, ſed etiam Syriam, minareturque ſe recuperaturum omnia, quæ Perſæ olim tenuiſſent*. Sed de his iterum ſequentibus annis. Artaxerſes bellum Romanis indicit, *Dio lib. 80.*

JESU CHRISTI AN. 228. URBANI PAPÆ 6.
ALEXANDRI IMP. 7. COSS. T. MANILIO MODESTO,
ET SERGIO CALPHURNIO PROBO.
OLYMPIAD. 251. AN. 4. URBIS AN. 981.

1. Inter Prætorianos milites, & plebem magna utrinque clade per tres dies Romæ hoc anno pugnatum eſt: cumque Prætoriani ignem Urbi admoviſſent, ne tota periret, cum iiſdem plebs vel invita reconciliatur. Ea ſeditione Ul- Ulpianus occiditur. *Dio lib. 80. Zozim. lib. 1.* 11.

 pia-

Jesu Chr. An. 228. pianus Prætorio Præfectus a Militibus intempeſta nocte, vel ipſo Alexandro Imperatore obnitente, occiditur, ut Dio, & Zoſimus narrant.

Mors Phileti Epiſcopi Antiocheni, cui Zebinus ſuccedit.
Euſeb. Chron. pag. 741. biſt. lib. 6. 23. Hier. de Vir. Illuſt. 64.

2. Hoc tempore, *mortuo Phileto Antiocheno Epiſcopo, Zebinus eam Eccleſiam regendam ſuſcepit*, ait Euſebius. Tempore vero Alexandri Imperatoris Zebinum Antiochenam Eccleſiam gubernaſſe, tradit Hieronymus his verbis: *Geminus pauca ingenii ſui monumenta compoſuit, florens ſub Alexandro Principe, & Epiſcopo urbis ſuæ Zebino.*

Origenes Presbyter ordinatur.
Euſeb. lib. 6. cap. 16. 27.

3. Hoc quoque tempore, ideſt, poſt Zebini ordinationem, dum Origenes, ob eccleſiaſtica negotia in Achajam profectus, per Palæſtinam tranſiret, Presbyterii gradum per impoſitionem manuum Cæſareæ ab illius regionis Epiſcopis accepit. Tanta quippe erat apud Palæſtinæ Epiſcopos Origenis fama, ut interpretationem ſacræ Scripturæ, ac reliquum omne eccleſiaſticæ doctrinæ officium illi permiſerint; quin etiam Firmilianus Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopus tam propenſo erga illum animo erat, ut eum in ſuam Provinciam ad Eccleſiarum utilitatem ſæpe vocaret, aut ad ipſum viſendum Judæam uſque proficiſceretur, ut majorem rerum divinarum notitiam perciperet.

Demetrii in ordinatores Origenis querelæ.
Euſeb. lib. 6. 8.

4. Itaque quum undique inclareſceret Origenes, ac ab Epiſcopis, aliiſque inſignibus doctrina, & pietate viris in honore haberetur; Demetrius, qui eum inſtruendis catechumenis præfecerat, quique illius eruditionem, ac fidei ardorem commendaverat, *humani quidpiam paſſus, litteris ad omnes ubique terrarum Epiſcopos ſcriptis, facinus illud Origenis proſcindere tamquam abſurdiſſimum cœpit*, quod ſcilicet in adoleſcentia patraverat, cum ſe ipſum continentiæ ſtudio imprudens caſtraverat: atque eos, qui eum ad Presbyterii honorem evexerant (Theotiſtum nempe Cæſareæ, & Alexandrum Hieroſolymitanum Epiſcopum) accuſationibus ſuis involvere conatus eſt. *Qui deinceps motus ejus cauſa fuerint concitati, & quæ ſuper iiſdem motibus a Præſulibus Eccleſiarum conſtituta ſint, in ſecundo libro defenſionis, quam pro illo conſcripſimus, ſufficienter a nobis ſunt expoſita*, ait Euſebius.

Euſeb. lib. 6. 23.

An juſtæ fuerint Demetrii querelæ.
Bar. an. 230. 4. 5. Ath. epiſt. ad Solit.

5. Juſte quidem adverſus Origenis ordinatores commotum fuiſſe Demetrium, ſcribit Baronius, eo quod Sacerdotio hominem exornaverint, ne laica quidem communione dignum, ut de Leontio, qui ſe ipſum caſtraverat, teſtatur Athanaſius.

Lon-

Digitized by Google

Longe tamen diverſa utriuſque cauſa erat ; Origenes enim eccleſiaſticæ communionis, ipſo Demetrio ſciente & conſentiente, particeps hactenus fuerat, ejuſque juſſu catecheticæ ſcholæ præfectus, quem etiam, Hieronymo teſte, ſuis ipſe Demetrius litteris commendaverat, ejuſque teſtimonio Sacerdotem Alexander ordinaverat. Leontius vero non ſolum Arianæ factionis vir erat, ſed & impuriſſimus ſycophanta, qui, ut liberius cum Euſtolio amaſia ſua abſque libidinis ſuſpicione viveret, ſe ipſum caſtraverat; idque non juvenili imprudentia, uti Origeni contigerat, ſed matura ætate, poſtquam Nicæno canone vetitum fuerat : quare quod Origeni parcendum videbatur, in Leontio excuſari non poterat.

Hier. de Vir. Illuſ. cap. 62.

JESU CHRISTI an. 229. Urbani Papæ 7.
Alexandri Imperatoris 8.
Coss. Alexandro Aug. III., et Cassio Dione II.
Olympiad. 252. An. 1. Urbis an. 982.

1. Cum Ulpiano facile periiſſet & Dio Caſſius, inter Græcos Romanæ hiſtoriæ ſcriptores celeberrimus, & in Præfecti Prætorio dignitate ſocius, niſi eum a Prætorianorum inſidiis Alexander Imperator liberaſſet, quem etiam in Conſulatu collegam dixit, ut idem auctor enarrat. Hiſtoriam vero ſuam uſque ad hunc annum, quo iterum conſul fuit, perduxiſſe paulo ante teſtatur: *Cæterum, quæ ſupra dicta ſunt* (ante Alexandri Imperium) *ego quidem accurate, diligenterque conſcripſi, ut potui : quæ vero reſtant*, uſque ad hunc annum, *mihi non licuit perſequi pari diligentia, quod Romæ non ſum diu commoratus, quodque in morbum incidi, quum ex Aſia in Bithyniam veniſſem, ex qua profectus ſum ad præfecturam Ægypti, poſt ubi reverti in Italiam, pene recta via in Dalmatiam, atque inde in Pannoniam ſuperiorem miſſus ſum, ut eis præeſſem; quod cum feciſſem, atque in urbem Romam, & deinde in Campaniam revertiſſem, ſtatim domum redii, quibus ex rebus factum eſt, ut ea, quæ ſequuntur, non potuerim pariter cum iis, quæ præceſſerunt intelligere; dicam tamen in ſumma ea, quæ uſque ad ſecundum conſulatum meum geſta ſunt*. Hæc Dio Caſſius, officia ab ſe, Alexandro imperante, geſta commemorans. Libris octoginta eius hiſtoria conſtabat, quorum triginta quatuor primi magno hiſtoriæ damno perierunt.

Dio hiſtoriam ſuam abſolvit.

2. De

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 229.

Alexander in Perſas expeditionem ſuſcipit.

Euſeb. Chr. pag. 742. apud Hier. tom. 8. Not. in Orig. lib. 1. 10. 17. Herod. lib. 6. Tillem. hiſt. Imp. tom. 3. Pag. not. 11. 12. ad an. 229. Baſnag. an. 229. 2.

2. De epocha belli Perſici ab Alexandro Imperatore geſti, veteres, recentioreſque diſſident. Primis ejuſdem Imperii annis alligavit Euſebius, ſeu Hieronymus in Chronico, ubi ad annum 224. hæc leguntur: *Alexander Xerſem Regem Perſarum glorioſiſſime vincit*, cui chronologiæ ſubſcribit Huetius; Herodianus vero anno Alexandri decimotertio eam differt expeditionem: *Cum ad hunc modum tredecim annos ſine querela cujuſquam gubernaſſet Imperium, litteræ afferunt Artaxerſem Syriæ minitari*. Erraſſe tamen in chronico Euſebium, vel Hieronymum, & in Herodiani textu mendum irrepſiſſe, ex eodem Herodiano adnotant eruditi, atque ad hæc tempora in Perſas expeditionem Alexandrum ſuſcepiſſe docent: quod & Dionis auctoritate confirmant, qui cum labenti anno Conſul iterum deſignatus hiſtoriæ ſuæ finem impoſuerit, atque duobus exactis in conſulatu menſibus, Alexandrum Imperatorem in Campania, ad Orientem profecturum, adierit, ut idem in hiſtoria narrat; exinde manifeſte innuit, hoc anno Alexandrum in Orientem profectum fuiſſe, quem lacrymis proſecuti ſunt Romani: *Neque popularium quiſquam fuit*, ait Herodianus, *qui ſine lachrymis Alexandrum deduxerit abeuntem. Quippe omnem multitudinem ſui cupidam habebat, educatus ab ipſis, Imperioque tam multos annos modeſtiſſime adminiſtrato*.

MammeaOrigenem advocat. An chriſtiana fuerit.

Euſeb. lib. 6. 21.

3. Cum in Orientem perveniſſet Alexander, Antiochiæ aliquandiu commoratus eſt, ut ad bellum neceſſaria pararet: ubi cum mater ejus Mammea eſſet, tunc accidit, quod de Origene narrat Euſebius, a Mammea ſcilicet, quum illic moraretur, Origenem accerſitum fuiſſe, ut quæ in eo divinarum rerum ſcientia undique celebrabatur, de ea & ipſa experimentum faceret. Quapropter, miſſo militari ſatellitio, hominem accerſivit, qui cum innumera illi documenta exhibuiſſet, ad Domini gloriam, & ad divinæ illius prædicationis potentiam declarandam, paulo poſt ad ſuas ſedes reverſus eſt. His porro indicat Euſebius Mammeam aut chriſtianam fuiſſe, aut tunc temporis Chriſto nomen dediſſe: quod & Oroſius, aliique tradiderunt: *Mater Mamæa chriſtiana*, ait Oroſius, *Origenem presbyterum audire curavit*: quorum ſententiam uti probabiliorem Tillemontius tuetur. Quin tamen dubia hæc & incerta ſint, negari non poteſt; equidem etſi Mammeam religioſam, piamque dixerit Euſe-

Oroſ. lib. 7. 18. Vincent. Lirin. cap. 23. Tillem. tom. 3. hiſt. Imp. pag. 158., & 475. Halcix. Orig. vit. lib. 1. 13.

Euſebius, nihilominus chriſtianam fuiſſe exinde non ſequitur, cum pia religioſaque dicta ſit ob morales quaſdam virtutes, quibus exornata erat, vel quia chriſtianæ Religioni ejuſque aſſeclis favebat, quo ſenſu Dionyſius Alexandrinus Gallienum Imperatorem *religioſiſſimum*, *Deique amantiſſimum* dixit. Quod vero Origenem audire voluerit, ejuſque doctrinam, eruditionemque admirata fuerit, chriſtianam fuiſſe nequaquam probat; alioquin & Agrippa Rex chriſtianus eſſet, qui Paulum de chriſtiana Religione diſſerentem audire concupivit: quare utrum Mammea chriſtiana fuerit, nec ne in incerto relinquimus, quam poſt obitum Apotheoſi donatam fuiſſe, Herodianus, & Lampridius teſtantur.

JESU CHR. AN. 229.

Euſeb. lib. 7. 23.

Acta 25. 22.

JESU CHRISTI AN. 230. PONTIANI PAPÆ 1.
ALEXANDRI IMPERATORIS 9.
COSS. VIRIO AGRICOLA, ET SEX. CATIO CLEMENTINO.
OLYMPIAD. 252. AN. 2. URBIS AN. 983.

1. Annos octo in Pontificatu exegiſſe Urbanum Euſebius, & Bucherii Catalogus tradunt, ab anno ſcilicet 223., Coſs. *Maximo*, & *Æliano*, uſque ad *Agricolæ*, & *Clementini* conſulatum, ut in eodem indiculo legitur, quo menſes undecim, dies duodecim adduntur. Ex Euſebio tamen, & Conſulum parilibus in indiculo notatis conſtat, annos octo, quibus Pontificatum Urbanus tenuit, incompletos fuiſſe, nempe a menſe Octobri anni 223. ad diem 24. Maii labentis, quo obiit. Martyrio vitam finiiſſe, tradit Baronius, de quo hæc in Martyrologio Romano: *Romæ via Nomentana natalis B. Urbani Papæ, & Martyris, cujus exhortatione, & doctrina multi, in quibus fuerunt Tiburtius, & Valerianus, Chriſti fidem ſuſceperunt, & pro ea martyrium ſubierunt. Ipſe quoque in perſecutione Alexandri Severi pro Eccleſia Dei multa paſſus, tandem cervicibus abſciſſis, martyrio coronatus eſt.* Eadem exhibent Rosweidi, & Adonis Martyrologia; ejuſque martyrii Acta a Notariis Eccleſiæ Romanæ excerpta, uti ſincera, ad diem 25. Maii recitat Henſchenius. Minus tamen accurata, aut cum Tillemontio apocrypha etiam eadem Acta cenſenda eſſe non eſt dubitandum, de quibus plura apud Tillemontium videri poſſunt.

Urbani Papæ obitus.

Euſeb. lib. 6. 23.

Bucher. pag. 1.

Tillem. tom. 3. pag. 685.

Pagi ad an. 230.

Coutan. in Urbano.

Baron. ann. 233. 1.

Martyr. Rom. 25. Maii.

Bolland. 25. Maii.

2. Cum vero Urbani Acta inter apocrypha ablegamus, eidem

Urbanus Papa Martyr occubuit.

Jesu Chr. An. 230.

eidem nihilominus martyrii palmam non invidemus; ſed cauſam, vel martyrii modum nos ignorare fatemur: cujus Reliquias Romæ ſumma veneratione, ac una cum ſanctis Martyribus Cæcilia, Valeriano, Tiburtio reconditas fuiſſe, teſtis eſt Anaſtaſius, qui de Gregorio, hujus nominis inter Romanos Pontifices tertio, ad annum 731. narrat: *Cæmeterium BB. Martyrum Januarii, Urbani, Tiburtii, Valeriani, atque Maximi, & eorum tectum in ruinis poſitum, de novo perfecit*. Sed & Paſchalis Papa primus in epiſtola de revelatione ſibi facta a S. Cæcilia, *properante*, inquit, *in Cæmeterium S. Sixti (alias Prætextati) foris portam Appiam ſitum, Corpus S. Cæciliæ inter Collegas Epiſcopos in aureis indumentis cum Venerabili Sponſo Valeriano reperimus, & honeſte infra muros hujus Romanæ Urbis induximus... & Titulum in meliorem ſtatum a nobis fecimus reſtaurari: & ejuſdem Virginis corpus cum cariſſimo Sponſo, atque Tiburtio, & Maximo Martyribus, nec non Urbano, & Lucio utriſque Pontificibus ſub ſacro altari dedicantes collocavimus*.

An. 817.

De Epiſtola Urbano ſuppoſita, aliiſque ab eo geſtis.

3. Una tantum Urbani nomine epiſtola circumfertur, Chriſtianis omnibus inſcripta, Antonino, & Alexandro viris clariſſimis Coſs., Nonis Septembris data, quam vel ipſa ſubſcriptio apochrypham eſſe denotat, dum Imperatorem inter Conſules, & viros clariſſimos numerat. De eodem Pontifice addit auctor libri Pontificalis apud Anaſtaſium: *Hic fecit miniſteria ſacra omnia argentea, & patenas vigintiquinque argenteas appoſuit*. Nec mirum patenas aureas, & argenteas tunc temporis Romanam Eccleſiam habuiſſe, quam & lucernas ex argento conſiatas poſſediſſe alibi adnotavimus. De ſacris Eccleſiæ vaſis argenteis, & aureis, tum ad oblationem deſtinatis, cum ad ſuſtinendos cereos in S. Laurentii hymno cecinit Prudentius:

Anaſt. tom. 1. pag. 18.

Libant, ut auro Antiſtites
Argenteis ſcyphis ferunt
Fumare ſacrum ſanguinem,
Auroque nocturnis ſacris
Adſtare fixos cereos.

Aug. tom. 9. brevic. collect. Contra Creſconium lib. 3. pag. 451.

In Africana quoque Eccleſia ejuſmodi fuiſſe vaſa ex Donatiſtarum hiſtoria ſcimus, ut apud Auguſtinum videre eſt.

4. Ur-

Digitized by Google

4. Urbano defuncto, Romanæ Eccleſiæ, ait Euſebius, Pontificatum ſuſcepit Pontianus, de quo hæc adnotat Bucherii catalogus: *Pontianus annis quinque, menſibus duobus, diebus ſeptem. Fuit temporibus Alexandri, a conſulatu Pompejani, & Peligniani. Eo tempore Pontianus Epiſcopus, & Hippolytus presbyter exules ſunt deportati in inſulam nocivam Sardiniam, Severo, & Quintiano Coſs. In eadem inſula diſcinctus eſt IV. Kal. Octob., & loco ejus ordinatus eſt Anteros XI. Kal. Decemb. Coſs. SS.* De Pontiani Pontificis exilio, & martyrio infra, cum hæc Maximini Imperatoris tempore acciderint: hic tantum adnotamus, quod Bucherii catalogus initia Pontiani Conſulibus ſequentis anni conjungit, qui tamen labenti, quo Urbanus obiit, ordinatus eſt, cum vacaſſet ſedes dies 30., ut in chronico Damaſi legitur. Sed cum is auctor per Conſules annos numeret, idcirco Pontificis obitum uno anno alligat, ac ſub Conſulibus anni ſequentis ſucceſſoris initia refert, etſi aliquando uno, eodemque anno, quo alter obiit, alter ſucceſſerit, ut in Pontiano contigit: de quibus plura non addimus, utpote a Pagio, aliiſque chronologis diffuſiſſime pertractata.

JESU CHR. AN. 230. Pontianus Urbano ſuccedit. *Euſeb. hiſt. lib. 6. 23.*

JESU CHRISTI AN. 231. PONTIANI PAPÆ 2.
ALEXANDRI IMPERATORIS 10.
COSS. POMPEJANO, ET PELIGNIANO.
OLYMPIAD. 252. AN. 3. URBIS AN. 984.

1. Cum Origenes Alexandria Cæſaream migraturus, ſcholam ad fideles ejus loci inſtituendos Heraclæ dereliquiſſet, pauloque poſt Demetrius Alexandrinorum Epiſcopus fato functus eſſet, poſtquam tres, & quadraginta annos eam Eccleſiam adminiſtraſſet, nempe anno decimo Alexandri Imperatoris; Heraclas Demetrio ſuffectus eſt, catechumenoſque docendi munus Dionyſii curæ mandavit, *qui & ipſe unus e diſcipulis fuerat Origenis*, ut refert Euſebius. Mira quidem ſunt, ſed fabuloſa, quæ de Demetrio, tum de ejuſdem contra Origenem geſtis, narrant nonnulli Orientales ex Eutychio, ejuſque exſcriptoribus, Severo præſertim, & Elmacino; ſuamque de rebus eccleſiaſticis inſcitiam produnt, nec minus librorum ejus, geſtorumque ignari, de eo tantum fabulas enarrant. Cur vero tam male de Origene inferioris ævi ſenſerint

Demetrii Alex. Epiſcopi obitus, cui ſuccedit Heraclas.

Euſeb. lib. 6. 26. 30.

Renaudot. hiſt Patriarch. Alex. pag. 22.

JESU CHR. AN. 231. rint Orientales, hanc Renaudotius rationem affert; quod cum iidem Juſtiniani de fide edictum adverſus Origenem, & Origeniſtas vulgatum, non aliter ac Nicænos canones ſuſcipiant, cuncta, quæ ibidem adverſus Origenem leguntur, ea in ſuos libros tranſtulerunt: præſertim Jacobitæ Ægyptii, qui cum Cyrilli diſcipulos ſe eſſe glorientur, & Theophili Alexandriæ Epiſcopi, qui adverſus Origenis defenſores totis viribus decertarunt, beatos ſe eſſe crediderunt, ſi in virum magnum contumelioſiſſimi forent.

Heraclas Epiſcopus Alex. ordinatur. — *Pearſ. vindic. Ignat. part. 1. cap. ult. tom. 1. PP. Apoſt.* — *Hammundus diſſert. 3. c. 10.*

2. De Heracla etiam poſt Demetrium in Epiſcopatu ſuffecto plurima iidem Ægyptii hiſtorici a veritate, & hiſtoria aliena referunt, quæ vel ſummatim recitare piget: miramurque eruditos viros Dalleum, Seldenum his uni ſcriptoribus, ipſorumque fabulis tantopere delectatos fuiſſe, ut eorum auctoritate Epiſcoporum ordinem cum presbyteris confunderent, quos Pearſonius, & Hammundus, ut catholicos prætereamus, abunde confutarunt.

JESU CHRISTI AN. 232. PONTIANI PAPÆ 3.
ALEXANDRI IMPERATORIS 11.
COSS. LUPO, ET MAXIMO.
OLYMPIAD. 252. AN. 4. URBIS AN. 985.

De Alexandri Imp. geſtis, ejuſque de Perſis triumpho. — *Hærod. lib. 6.* — *Lamprid. in Alex. cap. 44.*

1. Bello Perſico feliciter confecto, Antiochiam hoc anno Alexander Imperator iterum petiit, ut ſi quid novi iterum in Romanos Perſæ molirentur, præſto eſſet. Interea, ut auctor eſt Lampridius, civitatibus quamplurimis, quæ poſt terræmotus deformes erant, ad inſtaurationem operum magnam pecuniæ copiam ſubminiſtravit. De exitu tamen belli Perſici nonnihil inter ſe diſſident Herodianus, & Lampridius Romanæ hiſtoriæ ſcriptores; nam primus, mutuis ex utraque parte cladibus acceptis, ac aeris intemperie, æſtiviſque caloribus attritos Romanos æque, ac Perſas ad ſua rediiſſe narrat, ubi de Alexandro ſubdit: *Confecto celeriter itinere, conſtitit ad Rheni ripas, atque ibi res ad bellum Germanicum neceſſarias comparabat*. Lampridius vero Imperatorem Romam reverſum de Perſis triumphaſſe refert, quod & Capitolinus confirmat: unde de Perſico triumpho dubitari non poteſt. Quo autem anno Romam redierit Alexander, ibique de Perſis triumphum egerit, non una eruditorum opinio eſt: uno, aut

Capitol. in Alexand. c. 54. & 59. — *Pag. an. 230. num. 3. 4.*

aut altero ab hinc anno, id contigiſſe exiſtimandum, atque nobis hæc adnotaſſe ſat erit.

Jesu Chr. An. 232.

2. Poſt triumphum ingreſſus Senatum ſeptimo Kal. Octob. de bello geſto orationem habuit, qua inter cetera: *Perſas P. C. vicimus*, ait, *longa eloquentia opus non eſt*; *ſcire tantum debetis, quæ illorum arma fuerint, qui apparatus. Jam primum elephanti ſeptingenti, idemque turriti, cum ſagittariis, & onere ſagittarum. Ex his tercentos cepimus, ducenti interfecti jacent, decem & octo perduximus, centum viginti millia equitum fudimus &c.* His, aliiſque cum plauſu exceptis, acclamatum eſt: *Salva Roma, quia ſalvus eſt Alexander*; atque inter innumeras civium turmas triumphali curru, quem elephanti quatuor trahebant, ad Palatium rediit. Die vero ſequenti circenſes, ac ludicra celebravit, populoque congiarium diſtribuit, ut narrat Capitolinus.

Murat. an. 232. Tillem. tom. 3. hiſt. Imp. Baſnag. ann. 234.

Alexandri Imp. oratio in Senatu habita.

JESU CHRISTI An. 233. Pontiani Papæ 4.
Alexandri Imperatoris 12.
Coss. Maximo, et Paterno.
Olympiad. 253. an. 1. Urbis an. 986.

1. Origenem a Demetrio exagitatum, excommunicatumque fuiſſe, ſuo loco adnotavimus, cui non ſolum caſtrationis crimen objecerat, ſed & hæreſeon quoque inſimulaverat: quare *graviſſime criminatus eſt*, ait Euſebius, *tum etiam conatus involvere criminationibus ſuis eos, qui eumdem ad presbyterii honorem evexerant*. Epiſtolarum vero, quas ea de cauſa vulgaverat Demetrius, his verbis idem meminit Origenes: *Inimico adverſus nos acerbiſſime pugnante, per ſuas novas litteras revera Evangelio inimicas*: hæreſis vero labem a ſe repellit, dicens, ſcripta ſua ab hæreticis fuiſſe corrupta, errorem illum nominatim confutans, quaſi dæmones ſalutem æternam aliquando ſint conſecuturi: *Quidam eorum, qui libenter habent criminari proximos ſuos, adſcribunt nobis, & doctrinæ noſtræ crimen blaſphemiæ, quod a nobis nunquam audierunt; de quo ipſi viderint volentes obſervare mandatum illud, quod dicit, quia maledici Regnum Dei non poſſidebunt, dicentes aſſerere me Patrem malitiæ; & perditionis eorum, qui de Regno Dei ejiciuntur, ideſt, Diabolum eſſe ſalvandum, quod ne aliquis quidem mente motus, & manifeſtæ inſaniæ dicere poteſt.*

Origenes Apologiam ſcribit. Alia ejuſdem geſta Cæſareæ.

Orig. in Matth

Orig. apud Hier. lib. 2. contra Ruffin.

 2. Scri-

Jesu Chr. An. 233.

Quomodo Origenes errores ſuos excuſet.

2. Scripta autem ſua ab hæreticis, corrupta fuiſſe exemplis confirmat Origenes: inter reliqua, quum diſputationem coram multis cum hæretico quodam habuiſſet, ſcripto acceptam hæreticus corrupit, ac pluribus auctam, vel imminutam circumferebat, Origeni inſultans, quaſi ex ea victor diſceſſiſſet: quapropter qui in Palæſtina erant Origenis amici, rei indignitate permoti, Athenas hominem miſerunt, ut ab eo authenticum exemplar diſputationis haberent, cujus quidem lectione impoſtoris fraus detecta eſt; hæreticum vero cum conveniſſet Origenes, ac quare id feciſſet, interrogaſſet, veluti ſatisfaciens reſpondit: *Quoniam magis exornare volui diſputationem illam, atque purgare*, tali nempe purgatione, ſubdit Origenes, quali Marcion *Evangelia purgavit, vel Apoſtolum, vel quaſi ſucceſſor ejus Apelles. Nam ſicut illi ſubverterunt Scripturarum veritatem; ſic & iſte ſublatis, quæ vere dicta ſunt, ob noſtri criminationem inſeruit, quæ falſa ſunt*. In Epheſo etiam alterum offenderat hæreticum, qui etſi cum eo congredi renuiſſet, diſputationem nihilominus tamquam cum eo habitam, qualem voluit, vulgavit, & ad diſcipulos miſit, tum ad eos, qui Romæ erant, cum ad alios alibi, præcipue vero apud Antiochiam; quem cum demum Origenes conveniſſet, coram multis impoſturæ arguit, & *popoſci*, inquit, *ut liber deferretur in medium*, quod cum recuſaſſet, convictus ab omnibus, & confutatus eſt falſitatis. Quæ quidem etſi ad purgandum Origenem ab hæreſis labe ſatis idonea ſint, Hieronymus tamen hæc ab eodem Origene, vel a Ruffino in ejus apologia allata, ſuſpecta eſſe, falſoque in illius excuſationem jactari adnotat: *Intelligimus, in hoc tantum Dialogo ab Origene argui falſitatem hæreticam, & non in ceteris libris, de quibus nunquam quæſtio fuit. Alioquin, ſi omnia, quæ hæretica ſunt, non erunt Origenis, ſed hæreticorum (omnes autem propemodum illius tomi his erroribus pleni ſunt) nihil Origenis erit, ſed eorum, quorum ignoramus vocabula*. Appoſite vero a Baronio adnotatum eſt, quod utcumque res ſe habuerit, cum Origenes & verbo, & ſcriptis teſtatus ſit, ſe eos errores nunquam docuiſſe, ſine injuria hæreticus dici non potuit; ubi enim pertinacia non eſt, hæreſis eſſe non poteſt. Nam, ut ajebat Auguſtinus, qui ſententiam ſuam quantumvis falſam atque perverſam nulla pertinaci animoſitate defendunt, nequaquam ſunt inter hæreticos deputandi.

Bar. 232. 10.

Auguſt. epiſt. 43.

3. Nunc

Digitized by Google

Gregorius, & Athenodorus Origenis diſcipuli : eorum vitæ initia.

Euſeb. lib. 6. 30.

3. Nunc reliqua de geſtis hoc tempore ab Origene, dum in Palæſtina eſſet, ſunt adnotanda. Cum Cæſareæ catechumenis erudiendis præfectus eſſet, inter plurimos auditores, quos exemplo ſuo, & eruditione Chriſto lucrifecit, Gregorius & Athenodorus recenſendi ſunt, utpote qui Eccleſiam ſanctitate, doctrina, & miraculis illuſtrarunt: Gregorius ſcilicet Neoceſareæ Epiſcopus, Athenodorus vero alterius Eccleſiæ, cujus nomen ignoratur. Ii quidem ex gentilibus parentibus geniti, Alexandriæ philoſophicis diſciplinis primo operam dederant, Berytum deinde deſtinati ſunt, ut ad legum, & juriſprudentiæ ſtudia gradum facerent, *quæ civitas*, Gregorio teſte, *harum legum communis ſchola, & auditorium eſt*: deſtinati inquam, eo quod incertum ſit, num revera, quod deſtinaverant, perfecerint, etſi id Socrates & Hieronymus narrent; plerique namque eruditorum in ea opinione ſunt, eos Cæſareæ, ubi Originem invenerant, ſubſtitiſſe, ejuſque conſilio & hortatu, ex ſecularibus diſciplinis ad ſacrarum litterarum ſtudia, & Chriſtianæ philoſophiæ præcepta revocatos, toto quinquennio perſeveraſſe. De Gregorii, & Athenodori ſtudiis audiatur Hieronymus: *Theodorus*, ait, *qui poſtea Gregorius appellatus eſt Neoceſareæ Ponti Epiſcopus, ob ſtudia Græcarum, & Latinarum litterarum de Cappadocia Berytum, & inde Cæſaream Palæſtinæ tranſiit, juncto ſibi fratre Athenodoro, quorum cum egregiam indolem vidiſſet Origenes, hortatus eſt eos ad philoſophiam, in qua paulatim fidem Chriſti ſubintroducens, ſui quoque ſectatores reddidit. Quinquennio itaque eruditi ab eo remittuntur ad matrem, e quibus Theodorus (Gregorius ſcilicet) proficiſcens orationem panegyricam, convocata grandi frequentia, ipſo quoque præſente recitavit, quæ uſque hodie extat*: in eaque converſionis ſuæ initia, ac progreſſus mirifice deſcribit, gratiaſque plurimas Deo reddit, quod eum Origenis opera ad Evangelii lucem pertraxerit.

Socrat. lib. 4. 27.
Hier. de Vir. Illuſt. in Gregorio Thaumat.
Tillem. hiſt. Eccl. tom. 3. pag. 320.
Baſnag. ann. 240. 3.
Dupin. tom. 1. pag. 539. biblioth.
Hier. de Vir. Ill. cap. 65.

Gregorius patienter calumniam ſuſtinet.

Niſſen. In vita Greg. Thau. pag. 246.

4. Quantum autem tanto ſub magiſtro in ſacris diſciplinis profecerit Gregorius, tota vitæ ſeries demonſtrat, ac illuſtri ſane exemplo confirmat Niſſenus enarrans, quod cum Alexandriæ eſſet, tanta ob vitæ puritatem integritatemque laude fulgebat, ut coæqualibus probro & moleſtiæ eſſet: ac propterea, ut aliquam excuſationem intemperantes, libidinoſique haberent, ſi ipſi non ſoli tales eſſe viderentur, inſidias com-

JESU CHR. AN.233.

commenti ſunt, & vafrum quoddam conſilium excogitarunt; notam ſcilicet, & maculam illius vitæ inurere conati, & mulierculam quamdam, quæ corporis uſu quæſtum faciebat, quaſi mercedem turpitudinis poſtulaturam ad eum mittunt. Cum Gregorius itaque pro conſuetudine cum viris doctis atque delectis, in habitu gravi, & honeſto, de quadam quæſtione philoſophica diſputaret, ad eum impudica mulier accedens, tamquam in ſcena ludens, mercede ſua fraudatam fuiſſe dixit: qua de re, etſi illi, qui ejus vitæ puritatem, & continentiam noverant, indignarentur, & ira adverſus mulierculam commoverentur; ipſe neque perturbatus eſt, ne quidquam protulit, ut ſe a calumnia tueretur, petulantemque fœminam propulſaret, ſed ſubmiſſa, atque ſedata voce, converſus ad quemdam familiarem, *Heus tu*, inquit, *numera ei pecuniam, ne diutius importunitate ſua propoſitæ quæſtionis tractatum conturbet*. Vix tamen impudens fœmina manu pecuniam acceperat, cum a ſpiritu maligno correpta eſt, fremituque immani, atque ferali ingemiſcens, collabitur prona in medio cœtu congregatorum: *ſpectaculum horrendum, atque terribile præſentibus repente facta; cum & capillus, quem ſuis manibus vellebat, dilaceratus, atque disjectus, & oculi inverſi eſſent, & os ſpumas emitteret. At non prius a dæmonio ſuffocari deſiit, quam Magnus ille Deum pro ea invocaſſet, atque placaſſet*.

Deus ultor calumniæ in Gregorium conflatæ.

JESU CHRISTI AN. 234. PONTIANI PAPÆ 5.
ALEXANDRI IMPERATORIS 13.
COSS. MAXIMO II., ET CÆLIO URBANO.
OLYMPIAD. 253. AN. 2. URBIS AN. 987.

Alex. Imperator in Germanos proficiſcitur.

Lamprid. in Alex. cap. 59.

Herod. lib. 6.

1. Cum Germani Rhenum, Danubiumque tranſgreſſi in Romanorum fines illapſi, urbes, vicoſque excurrendo vaſtarent, Alexander, exercitu coacto, *ad Germanicum bellum profectus eſt*, ait Lampridius, *deducentibus cunctis per centum quinquaginta millia, confectoque celeriter itinere, conſtitit ad Rheni ripas, atque ibi res ad bellum Germanicum neceſſarias comparabat*: quibus addit Herodianus, *Pontemque primo junctis inter ſe navibus fecit, ut eum exercitus tranſgrederetur*.

JESU

Digitized by Google

JESU CHRISTI an. 235. Anteri Papæ 1.
Maximini Imperatoris 1.
Coss. Severo, et Quintiano.
Olympiad. 253. an. 3. Urbis an. 988.

1. Annum Eccleſiæ, & Imperio infauſtum auſpicamur, quo Alexander Imperator, meliori fato, longiorique Imperio dignus, Maximini perfidia prope Mogontiam occiſus eſt, cum annum ageret vigeſimum nonum ætatis, Imperii decimum tertium. Maximinus vero, ob immanem crudelitatem, humani generis carnifex dictus, Imperio potitus ingenitam feritatem adhuc auxit, perſuaſus *Imperium teneri non poſſe niſi crudelitate*: ac primo in Alexandri miniſtros, amicos, adeo ſæviit, ut ſanguine quatuor hominum millium, ea de cauſa occiſorum, exſatiari non potuerit; nam toto, quo imperavit, triennio truculentior in dies evaſit, unde Cyclopis, Baſiridis, Scironis, Phalaris nomen ſortitus eſt.

Alexander Imp. occiditur, cui Maximinus ſuccedit.

Lamprid. in Alex. 64. Herod. lib. 6. & 7. Capitol. cap. 8.

2. Ad rem noſtram quod attinet, adnotare ſufficiet, eum in Chriſtianos perſecutionem, eamque ſæviſſimam excitaſſe, quæ ſexta ab Euſebio, Hieronymo, Auguſtino, & Oroſio dicitur. *Cæſo Alexandro Imperatore*, ait Euſebius, *in ejus locum ſuccedit Maximinus, qui gravi odio ſuccenſus in familiam Alexandri, in qua plerique erant Chriſtiani, perſecutione excitata, ſolos Eccleſiarum Antiſtites, utpote Evangelicæ prædicationis auctores interfici juſſit: quo tempore Origenes librum de martyrio compoſuit, (ſeu de exhortatione ad martyrium) quem Ambroſio, & Protocteto Cæſarienſis Eccleſiæ Presbytero dedicavit; eo quod uterque in ea perſecutione non mediocre diſcrimen ſubierat*. Cum Eccleſiæ antiſtitibus presbyteros quoque, alioſque Eccleſiæ miniſtros fuiſſe vexatos, auctor eſt Origenes, qui Protoctetum presbyterum, & Ambroſium diaconum tunc temporis multa pertuliſſe narrat. Chriſtianorum autem res Maximini Imperio perturbatas fuiſſe, idem Origenes indicat eodem de exhortatione ad martyrium libro: *Paulus equidem dicat: Si ſecundum hominem cum beſtiis pugnavi Epheſi, nos vero dicamus, ſi ſecundum hominem interemptus ſum in Germania*. Ubi vero Germaniæ nomine urbs fuerit, non conſtat: alii Germaniciam Euphrateſiæ intelligunt, alii urbem in Thraciæ, & Illyrici finibus

In Chriſtianos perſecutionem excitat Maximinus.

Euſeb. lib. 6. 28.

Hier. de Vir. Ill. cap. 56.

Orig. exhortat. ad Martyr. tom. 1. pag. 301. c. 41.

Baſnag. annal. 235. 5.

Pag. crit. 3. an. 235.

Jesu Chr. an. 235. Procop. hiſt. Vand. lib. 1. 2. nibus ſitam, ubi, teſte Procopio, Beliſarius ortum habuerat. Ejuſdem vexationis particeps fuit Origenes, non ſolum ut Eccleſiæ presbyter, ſed etiam eo quod Mammeæ Alexandri Imperatoris matri notus, & carus fuerat. Quo autem animo eſſet, quove ardore martyrium concupiſceret, ejuſdem verba ad Ambroſium, & Protoctetum indicant: *Horum ergo verborum cauſa optarim tot bonis affluere, quot tu, aut etiam pluribus, & ſic Martyr eſſe Deo in Chriſto, quo multoties plura accipiam, aut, ut Marcus ait, centuplicia. Quapropter ſi Martyr fuero, velim & liberos relinquere, & agros, & domos, ut apud Deum & Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, a quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur, multo plurimorum, & ſanctiorum pater dicar, aut, ut definite dicam, centuplorum.* Hactenus Origenes, qui & alibi de eadem perſecutione verba faciens, non in miniſtros Eccleſiæ tantum tunc ſævitum fuiſſe ait; ſed & in ipſas Eccleſias: *Scimus autem, & apud nos terræmotum factum in locis quibuſdam, & factas fuiſſe quaſdam ruinas; ita ut qui erant impii extra fidem, cauſam terræmotus dicerent Chriſtianos, propter quod & perſecutiones paſſæ ſunt Eccleſiæ, & incenſæ ſunt.* Hæc Decianam perſecutionem præceſſiſſe compertum eſt; nam Origenes, teſte Euſebio, temporibus Philippi Imp. in Matthæum homilias digeſſit.

Orig. de exhort. Martyr. pag. 283.

Orig. in Matth. hom. 28.

Euſeb. lib. 6. 36.

Terræmotus cauſa Chriſtiani vexantur. *Cyprian. epiſt. 75.*

3. Terræmotus variis in locis excitati, cujus cauſa in Chriſtianos acrius ſævitum eſt, meminit Firmilianus in epiſtola ad Cyprianum: *Ante viginti & duos fere annos, temporibus poſt Alexandrum Imperatorem, multæ iſtic conflictationes, & preſſuræ acciderunt, vel in commune omnibus hominibus, vel privatim Chriſtianis. Terræ etiam motus plurimi, & frequentes extiterunt, ut per Cappadociam, & Pontum multa ſubruerent, quædam etiam civitates in profundum receptæ diſrupti ſoli hiatu devorarentur, ut ex hoc perſecutio quoque gravis adverſum nos Chriſtiani nominis fieret, quæ poſt longam retro ætatis pacem repente oborta, de inopinato & inſueto malo ad perturbandum populum noſtrum terribilior effecta eſt. Serenianus tunc fuit in noſtra Provincia Præſes acerbus, & dirus perſecutor.* Hunc Ælium Serenianum ex Conſiliariis Alexandri virum clariſſimum, omniumque ſanctiſſimum Lampridius nominat, ut plane appareat, qui apud eos religioſiores, ac ſanctiores haberentur, eos acerbiori odio Chriſtianos, uti deo-

Serenianus perſecutor.

Lamprid. in Alexandro.

deorum contemptores, perſecutos fuiſſe. Sed cœptam deinceps narrationem Firmilianus proſequitur: *In hac autem perturbatione conſtitutis fidelibus, & huc atque illuc perſecutionis metu fugientibus, & patrias ſuas relinquentibus, atque in alias partes regionum tranſeuntibus (erat enim tranſeundi facultas, eo quod perſecutio illa non per totum Mundum, ſed localis fuiſſet).* Hanc Maximini perſecutionem pro ingenio ſuo minuit Dodwellus, atque intra anni ſpatium exortam, & extinctam fuiſſe tradit. At, ut a Baſnagio adnotatum eſt, biennio ſaltem viguit, ſeu potius toto, quo imperavit, triennio.

Dodwell. in Cypr. nu. 50. Baſnag. ann. 235. 5. Ruinart Praef. pag. 49.

4. Quot in ea victimæ pro Chriſto mactatæ fuerint, ignoratur. Inter eas Pontianus Romanus Pontifex recenſetur, qui, ut narrat Bucheriani catalogi Auctor, una cum Hippolyto Presbytero in Sardiniam relegatus, ibidem *quarto Kal. Octobris Severo, & Quintiano Coſs. diſcintus eſt*, ſeu, ut alii Catalogi habent, defunctus eſt. Pontiani exilium Alexandro Imperatori tribuit Baronius, eaque de cauſa, Deo vindice, Maximini inſidiis periiſſe addit: ſub Maximino tamen Pontiani Papæ exilium æque, ac martyrium contigiſſe non eſt dubitandum.

Pontiani Papæ Martyrium.

Papebroch. conat Chron. hiſt. Chronol. Rom. Pontif. Contan. pag. 115. Baron. ann. 237. 1.

5. Demetrii Alexandriæ Epiſcopi epiſtolis, quibus Origenem ab eccleſiaſtica communione arcebat, ſubſcripſiſſe Pontianum, Ruffini verba teſtantur: *Damnatur a Demetrio Epiſcopo* (Origenes), *in damnationem ejus conſentit urbs Roma; ipſa contra hunc cogit Senatum, non propter dogmatum novitatem, non propter hæreſim, ut nunc adverſus eum rabidi canes ſimulant; ſed quia gloriam eloquentiæ ejus, & ſcientiæ ferre non poterant.* Hæc autem initio Pontificatus Pontiani anno 230., aut 231. contigiſſe patet. Nec mirum Demetrii geſtis conſenſiſſe Pontianum; id enim Eccleſiarum exigebat diſciplina, Nicæno deinde canone confirmata, ut a proprio Epiſcopo excommunicatus a ceteris abſtineretur: unde in ſimili fere cauſa dicebat Auguſtinus: *Creditum eſt litteris Concilii, neque enim aliter oportebat. Salva enim conſcientia litteris Concilii crediderant; neque enim ab hominibus de aliis hominibus aliquid incredibile dicebatur, aut eis contra Evangelium credebatur.*

Pontianus Origenis excommunicationi conſentit.

Hier. Apol. 2. adver. Ruffin.

Aug. de Unit. Eccleſ. cap. 25.

6. Pontiani nomine duæ extant epiſtolæ ab Iſidoro confictæ, prima ad Felicem de honore, quo ſacerdotes proſe-

De Pontiani epiſtolis, cui Anteros ſuccedit.

JESU CHR. AN. 235.

quendi ſunt : de fraterna dilectione , & vitandis malis altera , cui hæc eſt inſcriptio : *Pontianus ſanctæ , & univerſalis Eccleſiæ Epiſcopus , omnibus recte Dominum colentibus* . Utraſque apocryphas eſſe ſcimus , demonſtratque Blondellus in Opuſculo , cui Iſidorus , & Turrianus vapulans nomen dedit .

Anteros Papa ordinatur : poſt menſem obiit: illi ſuccedit Fabianus .
Bucher. catal. pag. 271.
Euſ l. lib.6. 29.

7. Defuncto Pontiano Anteros ſubſtitutus eſt : *Ordinatus undecimo Kal. Decembris* , ut habet Bucherii catalogus , *Conſulibus ſupraſcriptis , qui Pontificatum tenuit menſe uno , diebus decem , dormiit* III. *Nonas Januarii Maximino , & Africano Conſulibus* anni proximi , cui conſentit Euſebius : *Hic* (ideſt Anteros) *intra unius menſis ſpatium Sacerdotio perfunctus , Fabianum ſucceſſorem reliquit* .

De martyrio Anterotis Papæ , ejuſque ſcriptis.
Ruinart. præf in Act. martyr. pag. 49.
Anaſtaſ. to. 1. pag. 19.
Blondell. Iſid. vapul.
Cautan. epiſt. Rom. Pontif. pag. 1.
Pag. ann. 236. &c.

8. De Anterotis martyrio etſi nil exploratum habeamus , uti Ruinartius adnotavit ; Martyrem tamen occubuiſſe , & brevitas Pontificatus , & Maximini in Eccleſiæ Antiſtites tunc vigens perſecutio ſuadet : unde in Roſveidi , aliiſque Martyrologiis inter Martyres recenſetur . De Antero hæc etiam apud Anaſtaſium leguntur : *Hic geſta Martyrum diligenter a Notariis exquiſivit , & in Eccleſia recondidit* , quæ Fabiano potius ejuſdem ſucceſſori conveniunt . Iſidorus autem unicam illi epiſtolam inſcripſit , ad Epiſcopos Bœticæ , & Toletanæ provinciæ datam , quam ſuppoſititiam apud eruditos compertum eſt .

JESU CHRISTI AN. 236. FABIANI PAPÆ 1.
MAXIMINI IMPERATORIS 2.
COSS. JULIO VERO MAXIMINO AUG., ET JULIO AFRICANO .
OLYMPIAD. 253. AN. 4. URBIS AN. 989.

De mira Fabiani ordinatione .
Euſeb. lib.6. 29.

1. Fabianus loco Anterotis ordinatus , de quo in Bucheriano catalogo , difficillimis quidem temporibus Romanam Eccleſiam ſanctiſſime adminiſtravit *annos quatuordecim , menſem unum , dies decem* ; ſub Imperatoribus ſcilicet Maximino , Gordiano , & Philippo , a Maximini , & Africani conſulatu uſque ad annum 250. , quo , Coſs. Decio II. , & Grato , duodecimo Kal. Februarii occubuit . Miram fuiſſe illius ordinationem , atque a Deo magis , quam ab hominibus electum , innuit Euſebius , dum refert , quod cum Romæ fratres ſucceſſoris ordinandi cauſa in eccleſia eſſent congregati , Fa-

Fabiani capiti ex agro illuc advenientis columba e ſublimi repente delapſa inſederit: *Quo ſpectaculo permotus populus, ac divino Spiritu incitatus, ſumma cum alacritate uno conſenſu ſimul omnis exclamare cœpit, dignum eſſe; ſtatimque comprehenſum ſacerdotali Cathedræ impoſuit*. Inter cetera illius geſta, hæc auctor Bucheriani catalogi habet: *Hic regiones diviſit Diaconibus, & multas fabricas per cœmeteria fieri juſſit*; auctor vero Pontificalis: *Hic regiones diviſit Diaconibus, & fecit ſeptem Subdiaconos, qui ſeptem Notariis imminerent, ut geſta Martyrum in integro colligerent*.

Jesu Chr. an. 236.

De Fabiani geſtis.

JESU CHRISTI AN. 237. FABIANI PAPÆ 2.
MAXIMINI IMPERATORIS 3.
COSS. OVINIO CORNELIANO, ET TITIO PERPETUO.
OLYMPIAD. 254. AN. I. URBIS AN. 990.

1. Quum Germanos, alioſque Barbaros anno proximo multis præliis fugaſſet Maximinus, Sirmium deinde hiematum repetiit, ut vere redeunte bellum inſtauraret. Interea ad Senatum ſcripſerat: *Brevi tempore P. C. tot bella geſſi, quot nemo veterum. Tantum prædæ in Romanum ſolum attuli, quantum ſperari non potuit. Tantum captivorum adduxi, ut vix ſola Romana ſufficiant*. Pictiſque tabulis in ea expeditione hactenus geſta Romæ exhiberi juſſerat, ut & oculis ſubjicerentur.

Maximini Imp. in Germanos victoriæ, ejuſque in Romanos Cives crudelitas, & avaritia.
Capitol. cap. 12. & 13.
Herod. lib. 7. cap. 2.

2. Dum vero in Barbaros nova ab eodem expeditio paratur, domeſticum, & civile bellum exoritur. Quum enim in ditiſſimos quoſque ſæviret, inexplebilemque cupiditatem cum privatæ, tum publicæ divitiæ, aut ſacræ, Templorum ſcilicet ſpolia, nequaquam exatiarent; in Africa primum, tum Romæ, alibique in eum rebellio excitata eſt. Hujuſce autem ſeditionis principes Afri fuerunt, qui Procuratoris fiſci acerbitate irritati, Gordianos patrem, & filium Imperatores his verbis acclamarunt: *Gordiane Auguſte, Dii te ſervent, feliciter Imperator es, cum filio imperes*. Mox Gordianum Africæ tunc Proconſulem vel invitum purpura induunt, eodemque tempore filius ejus a militibus Imperator eſt ſalutatus: miſſis deinde Romam legatis, a Senatu fauſtis acclamationibus Gordianorum inauguratio excepta, & confirmata fuit his vocibus: *Gordiane Auguſte, Dii te ſervent, per te ſal-*

Gordiani Imperatores creantur.
Herod. lib. 7.
Capitol. in Maxim. c. 16.

Jesu Chr. an. 237.

va Reſpublica, omnes tibi gratias agimus: tum Conſul, *de Maximinis P. C. quid placet*, cui reſponſum eſt: *hoſtes, hoſtes, qui eos occiderit præmium merebitur*. Senatus itaque conſulto utrique Gordiani Imperatores declarantur, quorum tamen Imperium vix bimeſtre perduravit. Nam Capellianus Numidiæ Procurator Maximino fidiſſimus, quique cum Gordianis inimicitias gerebat, coacto exercitu, Carthaginem properans Gordianum profligavit: quo prælio cum Gordianus junior occubuiſſet, ſenior ne in victoris poteſtatem incideret, laqueo vitam cum Imperio finivit: quare de Gordiani Imperio Herodianus, *in quadam*, ait, *imagine principatus extinctus eſt*. Capitolinum vero erraſſe, dum annum unum cum dimidio eos imperaſſe ſcribit, compertum eſt.

Capitol. in Maxim. c. 16. Pag. not. 7. in an. 238. Bar. Baſnag. ann. 237.

Maximus & Balbinus Imperatores a Senatu dicuntur.

Capitol. in Maximin. cap. 20.

3. Gordianorum interitu, civile bellum non eſt deletum; nam Senatus ſententia Maximus & Balbinus Imperatores conſalutantur, ſeptimo Idus Julii *ludis Apollinaribus*, ideſt, Julio menſe, ut nos docet vetus Calendarium Romanum, a Bucherio editum. Romana tamen plebs, cui Maximi ſeveritas ſuſpecta erat, Senatus ſententiæ obſtitit, nec novis Imperatoribus ad Palatium ire licuit, niſi poſtquam Gordiani nepotem Cæſarem dixiſſent, qui illico raptus, & in Curiam ductus, Cæſar eſt appellatus.

Civile bellum Prætorianos inter, & Plebem.

4. Interea novis diſcordiis, iiſque graviſſimis Urbs ipſa exarſit; nam cum Maximus adverſus Maximinum exercitum educturus eſſet, omniaque ad id neceſſaria paraſſet, domeſticum in Urbe inter Prætorianos milites & plebem bellum exoritur, quod non ſine maxima civium ſtrage, & Urbis devaſtatione ob immiſſum ædibus ignem, extinctum eſt, ut pluribus narrat Herodianus.

Herod. lib. 7.

Maximinus in Italiam redit.

5. Maximinus autem audita Africæ defectione, & Gordianorum inauguratione, interituque, vir natura ſua ſævus multo furore flagrans, Italiam verſus cum exercitu iter aggreſſus, Aquilejam uſque progreditur, a qua repulſus, cum ſubſiſtere, ac hiemare cogeretur, ibidem a militibus ſequenti anno interfectus eſt.

Pſeudoprophetiſſa multos decipit.

Inter Cypr. epiſt. num. 75.

6. De rebus eccleſiaſticis nonnulla addimus, atque cum Firmiliano Epiſcopo adnotamus, hoc tempore, quo Serenianus Ponticas Eccleſias affligeret, mulierem quamdam illic emerſiſſe, quæ in extaſi conſtituta prophetem ſe, & ſancto Spiritu plenam eſſe dicebat, ita ut per longum tempus fratres

tres ſollicitaret, & deciperet, mirabilia quædam, & portentoſa perficiens, & ſe terram quoque movere poſſe affirmans, non quod dæmoni tanta eſſet poteſtas, ſed quod ſpiritus nequam intelligens terræmotum futurum, id ſe facturum ſimularet. Illud etiam frequenter auſa eſt, ut & ſanctificare ſe panem, & Euchariſtiam facere ſimularet, ſacrificium offerret, baptizaret multos, uſitatam ac legitimam verborum formam uſurpans, ut nihil diſcrepare ab eccleſiaſtica regula videretur. His, aliiſque dæmonis fallaciis plurimorum mentes ſibi ſubegerat, ut eam, quocumque vellet, ſequerentur, atque inter ceteros ex Presbyteris quemdam nomine Ruſticum, alterumque Diaconum, ut cum ea commiſcerentur, ſeduxerat. Non defuit tamen de exorciſtis unus, qui & exhortatione fratrum excitatus, ſe contra ſpiritum illum erexerit, a quo etiam ſubtili fallacia fuerat ante prædictum, venturum quemdam averſum, & tentatorem infidelem. Sed, divina opitulante gratia, fortiter reſtitit, & eſſe illum nequiſſimum ſpiritum, qui prius ſanctus putabatur, oſtendit. Hactenus de his, quæ pertinent ad hujus temporis hiſtoriam, cum adhuc Maximini vigeret perſecutio, ut Firmilianus ibidem tradit.

Jesu Chr. an. 237.

Exorciſta impoſturam redarguit.

7. Hoc eodem tempore, *mortuo Zebino Antiochenorum Epiſcopo, ſubrogatus eſt Babylas*, ait Euſebius, cum de Fabiani Pontificis electione agit, indicans eodem fere tempore Babylam Antiochenæ Eccleſiæ præpoſitum fuiſſe, quam annis duodecim ſanctiſſime rexit: ſub Decio deinde circa annum 250. martyrio coronatus eſt. Sed de ejuſdem geſtis, & paſſione infra ſub Philippo, & Decio Imperatoribus.

Obitus Zebini Ep. Antioch., cui ſucceditBabylas. *Euſeb. lib. 6. 29.*

JESU CHRISTI an. 238. Fabiani Papæ 3.
Gordiani III. Imperatoris 1.
Coss. Pio, et Pontiano.
Olympiad. 254. an. 2. Urbis an. 991.

1. De nomine, aut prænomine Conſulum hujus anni contendunt inter ſe Chronologi, an ſcilicet Pius, vel Ulpius dicendus ſit primus; Pontianus, aut Proculus ſecundus: nos vero cum clariſſimo Noriſio Pium, & Pontianum eos appellamus. His itaque Conſulibus, cum Maximinus Imperator irrito conatu Aquilejam obſediſſet, a militibus rerum penuria laborantibus, tantoque labore fatigatis, una cum filio occidi-

Maximini Imp. interitus. *Noriſ. Pag. Murat. Baſnag.*

Jesu Chr. an. 238. Maximinus Imp. a Militibus occiditur. *Capitol. in Maxim. cap. 6. 7.*

ciditur, quorum capita Romam delata Urbem Maximini adventu trepidantem liberarunt; milites vero armis depoſitis, ut intra oppidum reciperentur, ſimulque ad victum neceſſaria ſibi concederentur, ab Aquilejenſibus deprecati ſunt. Nec voti compotes fuerunt, uſquedum illuc adveniſſet Maximus, qui eos Aquilejam primum exceptos, in varias deinde provincias diſperſit. Idem vero Romam reverſus cum Balbino, & Gordiano, triumphans & laureatus a Senatu conſalutatur.

Maximus, & Balbinus occiduntur: Gordianus junior Imperator dicitur. *Capitol. in Balb. c. 14. 15. Herod. lib. 8. cap. 8. Capit. in Gord. c. 19. 20. &c. Herod. lib. 7. Euſeb. hiſt. lib. 6. 34. Oroſ. lib. 7. cap. 19.*

2. Poſt Maximini interitum, cum inter ſe diſſiderent Maximus, & Balbinus, Prætoriani intelligentes, *facile diſcordes Imperatores poſſe interfici*, ut ait Capitolinus, *dum Ludi Capitolini celebrarentur*, vixque annum imperaſſent, utrumque e medio ſuſtulerunt: ut populum vero de Auguſtorum cede exacerbatum mitigarent, *relictis in ipſa via cadaveribus*, ait Herodianus, *tollentes in altum manibus Gordianum Cæſarem, quando aliud nihil occurrit, Imperatorem conſalutabant*: ſicque *hic finis belli inteſtini fuit, cum eſſet delatus Gordiano puero conſulatus*. Decimum tertium annum circiter agebat Gordianus, decimo tertio Kal. Februarii anni 226. genitus, ut habet Romanum Calendarium a Bucherio editum: Gordiani quidem ſenioris nepos; incertum tamen, num ex fratre, an ex ſorore. Ex Gordiani filia genitum fuiſſe tradit Herodianus: *Erat puer quidam infans adhuc ex Gordiani filia natus, nomen avi referens*, qui, uti plures referunt, optimis moribus, & diſciplinis inſtructus, etſi adoleſcentiam vix attigiſſet, judicii tamen maturitate ætatem vincebat: immaturius porro ſublatus vix annos ſex imperavit.

Cenſorini Epocha adnotatur. *Cenſor. de die nat. cap. 21. Petav. de doct. temp. lib. 9. cap. 42.*

3. Ut celebrioribus epochis Annales noſtros illuſtremus, quas hoc anno Cenſorinus in unum collegit, Lectorum oculis ſubjicimus: *Quod admirabili quadam Dei providentia factum videtur*, ait Petavius ad hunc locum, ut nempe antiquiſſimorum memoria temporum, atque inſignium epocharum tituli incolumes ad nos, & incorrupti, hoc fidejuſſore, pervenirent, eſſetque in hiſtoria certi & explorati aliquid, quod omnium conſenſu conſtaret. *Hic itaque annus*, ait Cenſorinus, *cujus velut index, & titulus quidam eſt Ulpii, & Pontiani conſulatus, ab Olympiade prima milleſimus eſt & quartus decimus ex diebus dumtaxat æſtivis, quibus Agon Olympicus celebratur; a Roma autem condita nongenteſimus nonageſimus primus,*

mus, & quidem ex parilibus, unde Urbis anni numerantur. Eorum vero annorum, quibus Julianis nomen, eſt ducenteſimus octogeſimus tertius, ſed ex die Kal. Jan. unde Julius Cæſar anni a ſe conſtituti fecit principium. At eorum, qui vocantur anni Auguſtorum, ducenteſimus ſexageſimus quintus, perinde ex Calendis Januarii, quamvis ante diem decimum ſextum calend. Februarii Imperator Cæſar Divi filius, ſententia L. Munacii Planci, a Senatu, cæteriſque civibus Auguſtus appellatus eſt ſeptimum, & M. Vipſanio Agrippa Coſſ. Sed Ægyptii, quod biennio ante in poteſtatem, ditionemque Pop. Rom. venerunt, habent hunc Auguſtorum annum ducenteſimum ſexageſimum ſeptimum. Nam ut a noſtris, ita ab Ægyptiis quidam anni in litteras relati ſunt, ut quos Nabonazari nominant, quo a primo Imperii ejus anno conſurgunt, quorum hic nongenteſimus octogeſimus ſextus eſt. Item Philippi, qui ab exceſſu Alexandri Magni numerantur, & ad hunc uſque perducti, annos ſexaginta duos conſumant. Sed horum initia ſemper a primo die menſis ejus ſumuntur, cui apud Ægyptios nomen eſt Thot, quique hoc anno fuit ante diem ſeptimum Kal. Jul. cum abhinc annos centum, Imperatore Antonino Pio II., & Brutio Preſente Coſſ. Romæ, iidem dies fuerint ante diem duodecimum Kal. Aug., quo tempore ſolet canicula in Ægypto facere exortum. Quare ſcire etiam licet anni illius magni, qui, ut ſupra dictum eſt, ſolaris, & canicularis diei annus vocatur, nunc agi vertentem annum centeſimum. Hæc Cenſorinus, quibus conſtat, labentem Chriſti annum Pii, & Pontiani conſulatu inſignitum, juxta Dionyſianam Æram, annum 238. eſſe, non vero 240., ut apud Baronium legitur, qui uſque ad Diocletiani tempora Chriſti Æram biennio antevertit, non ſine maxima Chriſtianæ hiſtoriæ confuſione. De Natalibus librum, ex quo inſignem exſcripſimus locum, Quinto Cerellio, *virtute non minus, quam pecuniarum diviti*, Cenſorinus nuncupavit. Hoc etiam anno hiſtoriam ſuam Herodianus abſolvit, quam a Marci Aurelii exitu uſque ad Gordiani III. Imperium ducit, ideſt, ad labentem annum: *Hujus Scriptoris dictio clara eſt, atque perſpicua, quin & jucunda*, ait Photius: *Ad hæc nec ſupervacuis tumet, neque neceſſarium quid omittit, ſed ut uno verbo abſolvam, omnibus hiſtoriæ virtutibus paucis ſane cedit.*

JESU CHR. AN. 238.

Phot. Cod. 99.

JESU

Jesu Chr. an. 239.

JESU CHRISTI an. 239. Fabiani Papæ 4.
Gordiani Imperatoris 2.
Coss. M. Ant. Gordiano Aug., et M. Acilio Aviola.
Olympiad. 254. an. 3. Urbis an. 992.

Afrorum rebellio cito compreſſa. *Capitol. in Gord. cap.* 23. *Zozim. Hiſt. lib.* 1.

1. Gordiani Imperatoris adoleſcentiam Afri ſpernentes, duce Sabiniano, ab eo defecerunt, quos ad tyranni deditionem Mauritaniæ Præfectus cito compulit, venia rebellibus conceſſa, ut pluribus narrant Capitolinus, & Zozimus.

JESU CHRISTI an. 240. Fabiani Papæ 5.
Gordiani Imperatoris 3.
Coss. Sabino II., et Venusto.
Olympiad. 254. an. 4. Urbis an. 993.

Privatus hæreticus ab Africana Synodo damnatus. *Cypr. epiſt.* 59.

1. In Africana ſynodo Privatus Lambeſitanus nonaginta Epiſcoporum ſententia hoc anno damnatus eſt, quam Fabianus Romanus Pontifex, & Donatus Carthaginenſis Epiſcopus confirmarunt, ut auctor eſt Cyprianus in ſua ad Cornelium Pontificem epiſtola: *Per Felicianum autem ſignificavi tibi, frater, veniſſe Carthaginem Privatum veterem hæreticum, in Lambeſitania Colonia ante multos fere annos* (id eſt decem annos) *ob multa gravia delicta, nonaginta Epiſcoporum ſententia eſſe damnatum, Anteceſſorum etiam noſtrorum, quod & veſtram conſcientiam non latet, Fabiani, & Donati litteris ſeveriſſime notatum*. Quinam fuerint Privati errores, non conſtat. Veteris alicujus hæreſis aſſeclam fuiſſe magis, quam novæ, vero proximum eſt; qui propterea cum communionis epiſtolas, Sede vacante, a Clero Romano ſurripere tentaſſet, repulſus eſt, ut ejuſdem Cleri epiſtola ad Cyprianum, anno 251. ſcripta, docet: *Quod autem pertinet ad Privatum Lambeſitanum, pro tuo more feciſti, qui rem nobis ſollicitam nunciare voluiſti... ſed nos etiam ante litteras tuas fraus callidi hominis latere non potuit; nam cum antehac quidam ex ipſius nequitiæ coborte veniſſet vexillarius Privati futurus, & fraudulenter litteras a nobis elicere curaret, nec quis eſſet latuit, nec litteras, quas volebat, accepit*.

Cypr. hiſt. num. 36.

Origenes in Iſaiam, & Ezechielem, alioſque libros commentaria ſcribit.

2. Rebus Imperii, & Eccleſiæ ſedatis, Origenes poſt Maximini perſecutionem Cæſaream rediens in ſacram Scripturam

Digitized by Google

ram commentaria edidit, in Iſajam ſcilicet, & Ezechielem, ex quibus in tertiam partem Iſajæ uſque ad viſionem illam quadrupedum in ſolitudine triginta volumina ad Euſebii ætatem pervenerant; in Ezechielem vero quinque & viginti, cujus expoſitionem Athenis poſtea abſolvit, ibique illam in Canticum Canticorum inchoavit, quam ad quintum uſque librum ibidem agens produxit. Deinde Cæſaream reverſus ejuſmodi opus libris decem confecit, ut auctor eſt Euſebius. Jesu Chr. an. 240. *Euſeb. lib. 6. 32.*

3. Interea cum Cæſareæ eſſet Origenes, Gregorius Thaumaturgus ad patriam rediturus, coram eodem & magna virorum frequentia orationem habuit in Origenis laudem, qua ſe invitum ab eo abſtrahi teſtatus eſt. Ad hunc vero quum ſcripſiſſet Origenes, multis quoque laudibus exornavit, dominum, filium, & ſanctiſſimum appellans: quem etiam, quomodo ad Chriſtianæ fidei profectum ſæcularibus diſciplinis uti poſſet, pluribus ibidem edocet, & ut orationi vacaret impenſe hortatur. Nec fruſtra; nam Gregorius paulo poſt ſæculo valedicens, divinæ ſapientiæ ſtudio totum ſe dedit: quod ut facilius exequeretur, relicta Neoceſarea, in ſolitudinem ſeceſſit, quam & aliquando mutavit, ut ignotus Mundo, Deo ſoli viveret, cavens etiam, ne Presbyterali, aut Epiſcopali dignitate exornaretur.

Gregorius Thaumaturgus orationem in Origenis laudem recitat. *Orig. in Philocal. cap. 13.*

4. Dum autem Epiſcopatum totis viribus refugeret, invitus fere ordinatus eſt, ut pluribus narrat Niſſenus. Nam cum Phædinus Amaſenorum Eccleſiæ Antiſtes omni ſtudio contenderet, ut magnum Gregorium Eccleſiæ adminiſtrationi præficeret, Gregorius econtra latitandi cauſa ex una in alteram tranſiret ſolitudinem; divino quodam impetu motus Phædinus, etſi trium dierum itinere ab eo diſtaret, abſentem ordinavit, ſeu potius Neoceſarienſem Epiſcopum deſtinavit, quem paulo poſt præſentem manuum impoſitione ordinatum fuiſſe, hæc Niſſeni verba indicant: *Sic igitur jugum ſubire coactus, omnibus poſt hæc, quæ fieri ſolent, ſolemnibus in eo peractis, cum exiguum tempus ad miniſterium exactius cognoſcendum ab eo, qui Sacerdotium ipſi aſſignaverat, petiiſſet, non amplius, ut inquit Apoſtolus, carni, & ſanguini adhærendum eſſe, & acquieſcendum putabat, ſed a Deo ſibi occulta manifeſtari petebat.*

Gregorius Thaumaturgus Epiſcopus ordinatur. *Niſſ. vita Greg. tom. 3. pag. 54.*

5. Cogitanti itaque Gregorio, diu multumque quærenti, quænam eſſet Eccleſiæ catholicæ vera genuinaque doctrina, cæle-

Fidei ſymbolum divinitus Gregorio oſtenſum.

Jesu Chr. An.240.

cæleſti viſione dignatus eſt. Nocte enim quadam vir ſenilis formæ eidem apparuit, a quo, cum Gregorius perterritus, & quis eſſet, cujuſve rei gratia advenisset, ſciſcitatus eſſet, ille perturbationem mentis ejus ſubmiſſa voce ſedavit, ac ſe juſſu divino apparuiſſe reſpondit, ut, quæ apud ipſum controverſæ, & ambiguæ res eſſent, aperiret. Hic Joannes Evangeliſta erat, quem Beatiſſima Dei Mater hortata eſt, ut myſterium veræ pietatis eidem declararet; *atque illum dixiſſe, ſe paratum eſſe etiam in hoc Matri Domini gratificari, quoniam hoc ei cordi eſſet; atque ita expoſito ſermone, qui & rei quæſitæ conveniret, & admodum bene definitus, & circumſcriptus eſſet*, evanuit viſio, quam Gregorius litteris mandavit, ut ſecurus in Eccleſia ſermones proferret, ac poſteris, tamquam patrimonium aut legatum divinitus datum, relinqueret. Myſticæ porro illius diſciplinæ verba hæc ſunt: *Unus eſt Deus Pater Verbi viventis, ſapientiæ ſubſiſtentis, & potentiæ, & figuræ æternæ, perfectus perfecti Genitor, Pater Filii unigeniti. Unus Dominus, ſolus ex ſolo, Deus de Deo, figura & imago Deitatis, Verbum efficax, ſapientia conſtitutionis rerum univerſarum comprehenſiva, & potentia totius creaturæ effectrix: Filius verus veri Patris: inviſibilis ejus, qui eſt inviſibilis, & incorruptibilis corruptioni non obnoxii, ac immortalis mortis prorſus neſcii, & ſempiternus ſempiterni. Unuſque Spiritus ſanctus ex Deo exiſtentiam habens, & qui per Filium apparuit*, ſcilicet hominibus, *imago Filii, perfecti perfecta. Vita viventium cauſa, Fons ſanctus, Sanctitas, ſanctificationis ſuppeditator, in qua manifeſtatur Deus Pater, qui eſt ſuper omnia, & in omnibus, & Deus Filius, qui per omnia eſt. Trinitas perfecta, quæ gloria, atque æternitate, & regno non dividitur, neque abalienatur &c.* Hucuſque revelatio Gregorio facta, quam etſi Dodwellus in ſua de viſionibus diſſertatione referat, illius tamen ſinceritatem in dubium revocat: Baſnagius vero humanam fidem hæc ſuperare addit; ea enim ætate, inquit, *animæ Virginis, & Joannis nondum e Cælo in Terram migrare didicerant*. Cur autem Cœlites eo tempore in Terram migrare nondum didicerint, nullam rationem affert; quin ex veteri novoque Teſtamento, ad Dei placita ſignificanda, eos quam ſæpiſſime ad homines deſcendiſſe, ita exploratum eſt, ut probari non debeat: atque ab Apoſtolica uſque ad Cypriani ſaltem ætatem ejuſmodi revelationes, viſioneſ-

Biblioth. PP. to.3. pag.303.

Dodwel. diſſ. Cyp. §.16.

Baſn. annal. an.240. n.5.

Digitized by Google

ſioneſque in Eccleſia catholica frequentes fuiſſe, vel ipſe Dodwellus ſingulari diſſertatione inter Cyprianicas *de Viſionibus* inſcripta, demonſtrat. Cur itaque de revelatione Gregorio Thaumaturgo exhibita dubitemus, nulla ſane occurrit ratio, quam uti genuinam, ut alios prætereamus, vindicat Bullus in ſua Nicænæ Fidei defenſione, ad quam lectorem remittimus.

Dodwel. diſſert. 4. inter Cypr. de viſionibus.

Bullus defenſ. fidei Nicenæ lib. 2. 12.

6. Accidit eo tempore, ut Cumanæ Eccleſiæ Paſtore viduatæ egregius ſanctitate vir, divinis humaniſque litteris inſtructus præficeretur, Alexander ſcilicet, qui carbonariam exercens artem, ingenitam nobilitatem, animique dotes occultabat, ac veluti larvatus Cumis tunc degebat, de quibus plura narrat Niſſenus; nos tamen paucis contenti erimus. Quum Cumas itaque adveniſſet Gregorius, atque una cum Provinciæ Epiſcopis Cumanorum Principes & Magiſtratus conveniſſent, omnium ſtudia eo ſpectabant, ut Epiſcopum generis nobilitate, eloquentia, ac reliquo vitæ ſplendore illuſtrem eligerent; ſed diu ſciſſis hac de cauſa ſuffragiis, aliiſque alium præoptantibus, divinitus aliquod ſibi conſilium ad propoſitum negotium ſuppeditari expectabat Gregorius. Cum autem ii tantum producerentur, quorum honorificam quiſque mentionem faciebat, ut viliorum etiam (quod ad vitæ ſpecimen attinet) rationem haberent, eos adhortatus eſſet, addens, in talibus poſſe aliquem reperiri, qui animi bonis ſuper ceteros vitæ ſplendore præſtantes emineret; hanc Gregorii ſententiam non ſine ſtomacho acceperunt ex electoribus præcipui, immo quidam cum irriſione addidit: *Si hæc jubes, ut hi quidem tales, qui ex omni numero civium electi ſunt, prætereantur, atque ex quiſquiliis, & ex infima plebe aſſumamus aliquem ad adminiſtrandum Sacerdotium, qui tali civitati præſit, tempus tibi deinceps fuerit carbonarium Alexandrum ad Sacerdotium vocandi, atque ad hunc tranſitione facta, ſi videtur, ſuffragiis inter nos univerſi cives conſentiemus*. His per jocum dictis, & *quis eſt iſte Alexander, cujus mentionem feciſti?* ſerio Gregorius ſubjunxit. Quidam vero ex iis, qui intererant, cum riſu memoratum Alexandrum in medium produxit, pannis vilioribus, ac ſordidis, nec toto quidem corpore amictum, opificium & quæſtum manibus pariter, ac facie, reliquoque corpore carbonibus infecto oſtendentem: quod etſi ceteris riſus materiam præbuerit, Gregorius tamen

Alexander Philoſophus & Carbonarius Cumanorum Epiſcopus creatur.

Pp 2 rem

Jeſu Chr. an. 240.

rem tacitus conſideravit, ac Alexandrum extra concilium ductum, de ejuſdem ſtatu, conditione diligenter eſt ſciſcitatus, cognovitque eum non urgente paupertate, ſed philoſophiæ ſtudio ad id vitæ genus deveniſſe, ut ita carbonario pulvere ſordidatus tum ſæculo lateret, cum etiam ingenitam vultus venuſtatem tegeret; periculoſum quippe ducebat ei, qui continentiam ſibi ſectandam propoſuiſſet, corporis ſui pulchritudinem patefacere, pleriſque gravium offenſionum, & delictorum occaſionem. Ut hæc non ſine admiratione Gregorius accepit, Alexandrum quidem familiaribus ſuis tradidit, imperans, ut Sacerdotalibus eum induerent veſtibus, atque carbonarium pulverem repetita lotione detergerent: ipſe vero in concilium reverſus congregatos inſtituebat de Sacerdotii officio plurima exponens.

Alexander ex Carbonario prodit Epiſcopus.

7. Cumque in ejuſmodi ſermonibus Gregorius conventum detineret, Alexander novis veſtibus indutus, ac fuligine deterſa ſupervenit. Omnibus autem in illum converſis, & ad novam hominis ſpeciem admirantibus: *Nihil novi*, inquit Gregorius, *accidit vobis, ſi oculis decepti eſtis, & ſenſui ſoli judicium pulchritudinis permiſiſtis. Fallax enim, & incertum rerum veritatis judicium ſenſus eſt, aditum per ſe ad profunditatem mentis & intelligentiæ præcludens. Simul autem etiam pietatis inimico dæmoni prorſus id ſtudio erat, ut vas electionis ignoratione contectum otioſum, & inutile eſſet; neu prodiret in medium vir, qui ipſius principatum everſurus eſſet. Hæc locutus, cum eum juxta conſuetum morem, rituſque ſolemnes ad hoc munus idoneum effeciſſet, per Sacerdotium Deo virum dedicat. Omnibus autem novum Sacerdotem intuentibus, rogatus, ut aliquam ad Eccleſiam haberet orationem, ſtatim ipſo initio ſuæ adminiſtrationis Alexander oſtendit, haud falſum in ſe ſe Gregorii judicium fuiſſe*. At de Alexandro Philoſopho, & Carbonario hactenus, qui poſtea ſub Decio ſummi Sacerdotii amplitudinem nobiliſſimo martyrio illuſtravit.

Concionatur Alexander.

Gregorius eccleſiam ædificat.

Nyſſen. in vita Gregor. ut ſup. Theod. lector collect. lib. 2.

8. Inter Gregorii geſta non eſt prætereundum, quod, cum ejus induſtria, laboribus, & miraculis fidelium numerus in immenſum Neoceſareæ creviſſet, Eccleſiam, fideli populo operam & pecuniam præſtante, ædificaverit, quæ Niſſeni, & Theodori lectoris ætate integra perſeverabat, etſi frequentioribus terræmotibus tum publica, cum privata ædificia proſtrata fuiſſent: & quod magis mirum, integra etiam

etiam permanſit Diocletiani tempore, cum alia templa ubique fere diruta fuerunt. Sed de Gregorio Thaumaturgo hactenus: de ejuſdem geſtis, aut miraculis infra.

Jesu Chr. an. 241.

JESU CHRISTI AN. 241. FABIANI PAPÆ 6.
GORDIANI IMPERATORIS 4.
COSS. M. ANTON. GORDIANO AUG. II.,
ET POMPEJANO CIVICA.
OLYMPIAD. 255. AN. I. URBIS AN. 994.

Gordianus uxorem ducit, adverſus Perſas proficiſcitur.

Capit. in Gord. cap. 25.

1. Quum Perſæ adverſus Romanos hoc anno bellum moviſſent, Gordianus antequam ad eos proficiſceretur, uxorem duxit Furiam Sabinillam Miſithei filiam viri doctiſſimi, *quem cauſa eloquentiæ*, ait Capitolinus, *dignum parentela ſua putavit, & Præfectum ſtatim fecit. Poſt quod non puerile jam, & contemptibile videbatur Imperium, ſiquidem optimi ſoceri conſiliis adjuvaretur*. Spadonum caterva ſtipatus, eorum conſiliis hactenus Rempublicam adminiſtraverat, quorum avaritia fiebat, ut officia, & dignitates venales eſſent; a ſocero tamen admonitus, & cautior factus, eidem Miſitheo gratias agens dixit: *Niſi Dii omnipotentes Romanum tuerentur Imperium, etiam nunc per emptos Spadones velut in haſta poſiti venderemur. Mi Pater, verum audias, velim: miſer eſt Imperator, apud quem vera reticentur*.

Terræmotus pluribus locis ſentiuntur.

2. Alia etiam clade, bello Perſico tetriore, infauſtus hic annus plurimis evaſit; nam eodem Capitolino teſte: *Fuit terræmotus eo uſque gravis, ut civitates etiam terræ hiatu cum populis deperirent; ob quæ ſacrificia per totam Urbem, totumque Orbem terrarum ingentia celebrata ſunt, & Cordus quidem dicit inſpectis libris ſibyllinis, celebratiſque omnibus, quæ illic juſſa videbantur, mundanum malum eſſe ſedatum*. Hos terræmotus, cæteraſque Orbis calamitates chriſtianorum cauſa advenire gentiles credebant: unde Origenes adverſus Celſum ſcribens: *Denuo calumniatores noſtri cauſam tantorum motuum, quibus nunc res Romanæ agitantur in multitudinem fidelium conferre cœperunt, quod non impugnentur a Principibus, ſicut ſuperiore tempore*. Hæc non multis abhinc annis, ſub Gordiano ſcilicet, & Philippo Imperatoribus, ſcribebat Origenes.

Orig. adverſ. Celſum lib. 3.

JESU

Jesu Chr. an. 242.

JESU CHRISTI an. 242. Fabiani Papæ 7.
Gordiani Imperatoris 5.
Coss. Vettio Attico, et Asinio Prætextato.
Olympiad. 255. an. 2. Urbis an. 995.

De Gordiani geſtis in bello Perſico. Capit. in Gord. cap. 27.

1. Gordianus bellum Perſis illaturus, *aperto Jano gemino*, ait Capitolinus, *quod ſignum erat indicti belli, profectus eſt contra Perſas cum exercitu ingenti, & tanto auro, ut vel auxiliis, vel militibus facile Perſas vincere poſſet. Fecit iter in Meſiam, atque in ipſo procinctu, quidquid hoſtium in Thraciis fuit, delevit, fugavit, expulit, atque ſubvertit. Inde per Syriam Antiochiam venit, quæ a Perſis jam tenebatur, illic frequentibus præliis pugnavit, & vicit, Sapore Perſarum ſummoto Rege*. Carras deinde, ac Niſibim, celeberrima Perſarum oppida, occupavit; tantuſque metus hoſtes invaſit, ut ultra Euphratem fugerent, idem refert Capitolinus. Felicem armorum exitum Miſitheo ſocero Gordianus adtribuit, hæc ad Senatum ſcribens, dum Saporis Regiam ire meditaretur: *Si Dii faverint, Cteſiphontem uſque veniemus, valeat tantum Miſitheus Præfectus, & parens noſter, cujus ductu hæc tranſigimus, & reliqua tranſigemus. Veſtrum eſt igitur ſupplicationes decernere, nos Diis commendare, Miſitheo gratias agere*. His litteris in Senatu lectis, Gordiano & Miſitheo triumphus decernitur, ut ille elephantorum quadriga, hic equorum curru Urbem ingrederentur.

JESU CHRISTI an. 243. Fabiani Papæ 8.
Gordiani Imperatoris 6.
Coss. Arriano, et Papo.
Olympiad. 255. an. 3. Urbis an. 996.

Mors Miſithei. Capit. in Gord. cap. 28.

1. Gravem Gordiano Imperatori, ac Imperio calamitatem attulit Miſithei obitus, cujus conſilio cuncta adminiſtrabantur. Cum enim alvi proſluvio laboraret, juſſus accipere medicinam, qua ſiſteretur fluxus, Philippi perfidia altera propinatur, qua laxaretur alvus, atque ita extinctus eſt. Præfecturam Prætorii idem Philippus obtinuit, qua adepta, viam ſibi ad Imperium facile aperuit, ut anno ſequenti videbimus.

JESU

Digitized by Google

Jesu Chr. an.244.

JESU CHRISTI an. 244. Fabiani Papæ 9.
Philippi Imperatoris 1.
Coss. Peregrino, et Fulvio Æmiliano.
Olympiad. 255. an. 4. Urbis an. 997.

1. Miſitheo ſubmoto, ut anno proximo diximus, Philippus Gordiano Imperatori vix decimum nonum ætatis annum attingenti inſidias facile ſtruxit, quem uti juniorem, ac ad Imperium regendum minus aptum, militibus ſuaſit, ipſoſque etiam eo deduxit, ut Annonæ penuria tumultuantes, ſe in Imperii ſocietatem vocarent. Imperii itaque primum Collega dictus, paulo poſt iterata perfidia benefactorem ſuum Imperio vitaque privavit. Gordianus enim cognita ignobilis hominis improbitate, cum apud duces, & milites, adſtante Metio Gordiano affine ſuo ad Tribunal proceſſiſſet, ſperans ſe, querelis ſuis apud exercitum delatis, Philippo Imperium abrogare; eouſque exaſperatos militum animos expertus eſt, ut cum minorem ſe haberi cerneret, rogaverit, ut æquale ſaltem inter eos eſſet Imperium: quod cum negatum eſſet, atque petiiſſet, ut loco Cæſaris haberetur, nec id obtinuit. Petiit etiam, ut Præfecti loco eſſet Philippo, quod & ipſum negatum eſt. Poſcenti demum, ut eum Philippus pro duce haberet, & pateretur vivere, cum ſecum ipſe cogitaret Philippus amorem populi, & Senatus circa Gordianum, immo & totius Orbis Romani, ac metueret, ne quandoque milites Imperium eidem redderent; dum adhuc horum ira famis cauſa arderet, ante omnium conſpectum duci, ſpoliari, & occidi juſſit: quod cum primum dilatum eſſet, eo demum urgente impletum eſt, ſicque *Philippus impie, non jure obtinuit Imperium*, poſtquam annos ſex ſumma omnium laude illud adminiſtraverat Gordianus, cujus ſepulcro apud Circejum in Perſarum finibus oppidum hæc inſcriptio Græcis, Latinis, Perſicis, Judaicis, Ægyptiaciſque litteris addita fuit: *Divo Gordiano, Victori Perſarum, Victori Gothorum, Victori Sarmatarum, Depulſori Romanarum ſeditionum, Victori Germanorum, ſed non Victori Philipporum*; ſed & Romæ ampliſſimum funus celebratum, ejuſque memoria Senatus conſulto inter Divos relata, uti narrat Euſebius. Gordiani vero ſepulcrum ſua adhuc ætatate extitiſſe Ammianus Marcellinus teſtatur.

Philippi in Gordianum Imp. inſidiæ, cui ſuccedit.

Capit.inGord. cap.29.

Capit.inGord. cap.33. 34.

Euſeb.lib.6. 34. Pag.not.1. ad hunc an.

2. Ob-

Digitized by Google

Philippus filium Imperio ſociat.

Euſeb. ut ſupra, & Chron.

Philippus Imperator ab Eccleſiæ ingreſſu a S. Babyla arcetur.

Euſeb. lib. 6. 34.

2. Obſcuriſſimo loco, atque ex Arabum ſtyrpe, patre latronum duce, genitus fuerat Philippus, qui, ut Imperium invaſit, filium ſuum ſeptennem ex Otacilla Severa ſuſceptum eidem ſociavit, ac Cæſarem dixit: tum pace cum Sapore Perſarum Rege inita, per Syriam Romam profectus eſt. Quo tempore cum Antiochiæ eſſet, id accidiſſe putamus, quod de eo narrat Euſebius, eum ſcilicet ab Eccleſiæ ingreſſu repulſum fuiſſe in pervigilio Paſchatis: *Fama eſt*, inquit, *hunc utpote chriſtianum in poſtrema Paſchæ vigilia precationum in eccleſia participem ſimul cum populo reliquo fieri voluiſſe, ſed Epiſcopum, qui tum Eccleſiæ præerat, non prius illi aditum permiſiſſe, quam confeſſionem ſcelerum feciſſet, iiſque, qui humanitus lapſi fuerant, & in pœnitentium ordine ſtabant, ſe ſe adjunxiſſet. Quippe ob multa, quæ commiſerat, crimina nunquam ab Epiſcopo fuiſſet admiſſus, niſi id prius feciſſet; & Imperator quidem libenter obtemperaſſe dicitur, ſincerumque, ac religioſum affectum timoris Dei operibus ipſis declaraſſe.* Epiſcopum, & locum, ubi hæc contigerunt, Euſebius præteriit; auctor tamen Chronici Alex., & S. Chryſoſtomus in oratione de Sancto Babyla, Antiochiæ hæc accidiſſe innuunt, & quidem hoc anno, cum Philippus ex Oriente Romam rediret. Ad Decium vero, vel Numerianum eadem alii referunt. *Quodam tempore*, ait Philoſtorgius, *Numerianum Romanum Imperatorem, ſive, ut alii dicunt Decium, a dæmone invecta cupiditas inceſſit ingrediendi in Eccleſiam Chriſtianorum, cum populus ad eam frequentiſſimus conveniſſet. Verum Sacerdos Dei ad eccleſiæ veſtibulum ſtans aditum ei interclusit, aſſerens non paſſurum ſe, quantum quidem in ipſo erat, ut lupus in ovile irreperet. Imperator vero ab incepto deſtitit, ſeu quod ſeditionem reformidaret, ſeu ob aliam cauſam mutata ſententia. Epiſcopum vero primum quidem temeritatis accuſavit, deinde dæmonibus ſacrificare juſſit . . . Epiſcopus vero, cum iis, quæ ipſi proponebantur, forti & generoſo animo reſtitiſſet, martyrii coronam adeptus eſt.* Hæc Philoſtorgius, S. Babylam, qui ſub Decio martyr occubuit, deſignans. Romæ hæc ſub Fabiano Pontifice eveniſſe tradit Baronius: quæ ſane opinionum varietas rem incertam reddit, ac fama tantum veri falſique nuncia vulgatam.

Chron. Alex. pag. 630.

Chriſoſt. lib. to. 1

Philoſ. lib. 7. cap. 8.

Bar. an. 244. 9. & 249. 3.

An Philippus Imp. chriſtianus fuerit.

3. Inter Chriſtianos Philippum Imp. eruditorum quamplurimi accenſent, quod Euſebii, Chryſoſtomi, Hieronymi, Ori-

Origenis, Oroſii, aliorumque auctoritate confirmant. *Fama eſt illum* (ideſt Philippum) *utpote chriſtianum &c.*, ait Euſebius: clarius adhuc Hieronymus, qui de Origene loquens, hæc habet: *Ad Philippum Imperatorem, qui primus de Regibus Romanis chriſtianus fuit, & ad matrem ejus litteras fecit, quæ uſque hodie extant*. Harum litterarum & Euſebius meminit: *Extat ejus epiſtola ad Imperatorem ipſum Philippum, & altera ad conjugem ejus Severam*. Poſt Euſebium, ac Hieronymum eidem ſententiæ ſubſcripſerunt alii, tum veteres, cum recentiores, in quam & Pagius primo ierat; re tamen maturius examinata, ſententiam mutavit, atque Philippum Auguſtum nunquam Chriſtianum fuiſſe, non ſolum tradit, ſed & invictis fere argumentis comprobat: quam quidem opinionem veriorem putamus. Nam tota geſtorum ſeries, atque Philippi Auguſti vita, eum a chriſtiana Religione alieniſſimum fuiſſe indicant, ritusque gentiles toto vitæ ſuæ curriculo obſervaſſe, ſcriptores teſtantur. Occulte Chriſtum coluiſſe Philippum, tradit Natalis Alexander, *ne quid inde res ſuæ detrimenti caperent*: novo ſane & inaudito chriſtianitatis cultu, aperte gentiliter vivere, occulte vero Chriſtum colere, a quo prolatum eſt: *Qui me erubuerit, & meos ſermones: hunc Filius hominis erubeſcet*. Ad Euſebii auctoritatem, quæ inter ſcriptores Philippi chriſtianiſmo ſuffragantes potiſſima eſt, adnotare ſufficiet, eum ex fama tantum ea tradidiſſe: *Fama eſt, illum utpote chriſtianum &c.* qui & alibi, Conſtantinum ex Imperatoribus primum Chriſto nomen dediſſe, apertiſſime teſtatur: *Cum ſolus ex Romanis Imperatoribus Deum omnium Regem excellenti quadam pietate coluiſſet, ſoluſque doctrinam Chriſti univerſis ore libero prædicaſſet*. Euſebio conſentit Lactantius: *Quod opus nunc nominis tui auſpicio inchoamus, Conſtantine Imperator Maxime, qui primus Romanorum Principum, repudiatis erroribus, majeſtatem Dei ſingularis, ac veri cognoviſti, & honoraſti*. Sulpicius vero: *Tum Conſtantinus rerum potiebatur, qui primus Romanorum Principum chriſtianus fuit*. Ambroſius etiam de eodem: *Quia primus Imperator credidit, magni meriti locum habuit*: quæ Theodoretus, aliique confirmant. Cum itaque Euſebio, Lactantio, Ambroſio, Sulpicio Severo, Theodoreto teſtibus, Conſtantinus inter Imperatores primus fuerit, qui Chriſto nomen dederit, nullus Philippo in-

Jesu Chr. An. 244.

Bar. an. 246. 9. 249. 3.
Tillem. hiſt. Imp. to. 3. hiſt. Eccleſ. tom. 3.
Huetius Origen. lib. 1. c. 3. num. 1. 2.
Nat. Alex. ſæcul. 3. c. ult.
Euſeb. lib. 6. 34.
Chryſoſt. hom. de S. Babyla.
Hier. de Script. Eccl. c. 54.
Euſeb. lib. 6. 36.
Vincent. Lirin. commonit. cap. 23.
Oroſ. hiſt. lib. 7. 13.
Pag. an. 244. not. 4. 5. 6. 7.
Philippus Auguſt. nunquam Chriſti fidem profeſſus eſt.
Monelia diſſert. de relig. Phil. Aug.
Franciſ. Blanchin. in Fabian. tom. 2. Anaſtaſ.
Baſnag. ann. 244. 6.
Blondell. de primat. Papæ. Capit. in Gord. cap. 31.
Euſeb. lib. 6. 34.
Euſeb. vita Conſtant. l. 4.
Lact. lib. 1. inſt. cap. 1.

JESU CHR. AN. 245.

ter chriſtianos Principes locus relinquitur: de quibus plura apud Pagium, & Moniliam videri poſſunt.

Sulp. Sever. hiſt. Theod. lib. 5. 30.

JESU CHRISTI AN. 245. FABIANI PAPÆ 10.
PHILIPPI IMPERATORIS 2.
COSS. M. JULIO PHILIPPO AUG., ET FABIO TITIANO.
OLYMPIAD. 256. AN. 1. URBIS AN. 998.

Philippus Romam advenit. *Zon. lib. 1. 19. Murat. ann. 245.*

1. Pace cum Perſis inita, rebuſque in Oriente compoſitis, Romam Philippus hoc anno rediit, ubi Senatorii ordinis animos blanda oratione promereri ſtuduit, ampliſſimiſque dignitatibus ſui fidiſſimos exornavit: *Priſcum fratrem Syriacis exercitibus præfecit, Severiano genero Mœſiæ, Macedoniæque copiis creditis*. Ejus adventum ſuperiori anno contigiſſe Pagius tradit, quem commodius cum labenti alligari adnotat Muratorius.

Fabianus Pontifex Apoſtolicos viros in Galliam mittit, ad Evangelium prædicandum *Euſeb. lib. 6. 36. Greg. Tur. hiſt. Franc. lib. 1. 30. Sulp. Sever. hiſt. ſacr. l. 2. pag. 173. edit. Veron.*

2. Philippi Imperatoris ætate, *cum fides noſtra*, ut ait Euſebius, *augeretur in dies, & doctrina Chriſtianorum ſumma ubique libertate frueretur*, Fabianus Romanus Pontifex, pro demandata ſibi omnium Eccleſiarum ſollicitudine, in varias Orbis provincias ad prædicandum Evangelium Apoſtolicos viros deſtinavit. Horum aliquos Gallicanas illuſtraſſe provincias, teſtes ſunt Gregorius Turonenſis, & Sulpicius Severus. Nam, etſi Apoſtolica fere ætate Evangelii ſemina ibidem ſparſa fuerint, ut Tomo primo adnotavimus, atque ſub M. Aurelio Martyrum ſanguine irrorata; hoc tamen tempore altiores egerunt radices, ac Religio fuſius propagata eſt. *Hujus tempore*, ait Gregorius, ideſt ſub Decio Imperatore, *ſeptem viri Epiſcopi ordinati ad prædicandum in Gallias miſſi ſunt, ſicut hiſtoria paſſionis S. Martyris Saturnini narrat*; ait enim ſub Decio, *& Grato Conſulibus* (nempe anno 250.) *ſicut fideli recordatione retinetur, primum, ac ſummum Tholoſana civitas S. Saturninum habere cœperat Sacerdotem. Hi ergo miſſi ſunt, Turonicis Gratianus Epiſcopus, Arelatenſibus Trophimus, Narbonæ Paulus, Tholoſæ Saturninus, Pariſiis Dionyſius, Arvernis Stremonius, Lemovicis Martialis eſt deſignatus Epiſcopus*. Dionyſii nomen, qui primus horum fuit, in antiquiſſimis etiam Arelatenſis Eccleſiæ Dypticis ante Trophymum legitur, eo quod ibidem Evangelium, antequam Pariſios pergeret, prædicaſ-

Mabill. anal. Vet. Tom. 3. pag. 432.

dicaſſet. Hos quidem Galliarum Epiſcopos, Fideique Satores a S. Petro, aut Clemente Romano Pontifice illuc miſſos fuiſſe, antiquorum, recentiorumque plurimi tradiderunt: quorum opinionem invictis adeo argumentis eruditi viri confutarunt, ut de his dubitari ultra non liceat, quemadmodum apud Tillemontium præcipue, aut Launojum videri poteſt.

Tillem. hiſt. Eccl. tom. 3., & tom. 4.
Sirmond. de duob. Dionyſiis.
Launoj. de ſentent. Sulp. Sever.

JESU CHRISTI AN. 246. FABIANI PAPÆ 11. PHILIPPI IMPERATORIS 3. COSS. BRUTTIO PRÆSENTE, ET NUNNIO ALBINO. OLYMPIAD. 256. AN. 2. URBIS AN. 999.

1. Romam redierat Philippus Imperator, cum hoc anno alteram contra Carpos expeditionem ſuſcepit, quos Iſtro vicina loca populantes, Romaniſque infeſtos, non ſemel fugavit, ac tandem pacem petere coegit: qua firmata, Romam reverſus eſt, ut ſæcularem annum maxima cum ſolemnitate, ut mox videbimus, celebraret.

Philippi victoria de Carpis.
Zozim. lib. 1. 20.

2. Hoc tempore (ideſt Philippo imperante) *Origenes, jam ſexagenario major, cum ex diuturna exercitatione maximum dicendi uſum ſibi comparaſſet, conciones, quas habebat ad populum, a Notariis excipi permiſit*, ait Euſebius. Hieronymus vero: *Homilias mille, & eo amplius in Eccleſia locutus eſt. Sub idem tempus octo libros compoſuit adverſus librum quemdam Celſi Epicurei contra Chriſtianos, qui de vera doctrina inſcribitur*. De quo quidem opere, quod, Ambroſio hortante, ſe elucubraſſe tradit in præfatione, utpote ceteris præſtantiſſimo, ea dici poſſunt, quæ Hieronymus de ejuſdem Commentario in Cantica ſcripſerat: *Non mihi nocebit, ſi dixero, Origenes cum in ceteris libris omnes vicerit, in Cantica Canticorum ipſe ſe vicit*; iis enim libris octo, contra Celſum ſcriptis, quidquid adverſus chriſtianam Religionem excogitatum, inventum, aut dictum a Gentilibus, aut a Judæis fuerat, diligentiſſime confutat. Duos vero Epicureæ Sectæ Celſos fuiſſe, his verbis admonet: *Traditur autem, duos fuiſſe Celſos Epicureos, alterum antiquiorem Neronis ætate, hunc autem Hadriani, & poſterioribus temporibus*. Hic eſt ille Celſus, cui Lucianus Pſeudomantem nuncupavit. Quo autem anno contra Chriſtianos ſcripſerit Celſus, non conſtat; vigente tamen in eos perſecutione, veroſimile eſt, indicantque verba ab Origene citata:

De Origenis geſtis, & ſcriptis.
Euſeb. lib. 6. 36.
Orig. præf. in lib. contra Celſum.
Hieron. epiſt. 84. ad Pammach. num. 8.
Orig. contra Celſum lib. 1. 8.

JESU CHR. AN. 246.

Euſeb. ut ſupra.

tata: *Primum criminationis caput Celſo eſt a Chriſtianis clancularios conventus haberi ſolere, legibus vetitos.* Edidit etiam hoc tempore Origenes *viginti volumina in Evangelium Matthæi, & in duodecim Prophetas expoſitiones, quarum quinque & viginti dumtaxat libros reperimus.* Scripſit & ad Imperatorem Philippum, ac Severam ejus conjugem, & ad alios epiſtolas, ex quibus ſupra centum ab Euſebio collectis vix aliquæ ſuperſunt, tomo primo Origenianorum Operum editæ. *Ad Fabianum Romanæ Urbis Epiſcopum, & ad complures alios Eccleſiarum Antiſtites de recta fidei ſuæ ratione epiſtolas ſcripſit*, addit idem Euſebius. Primæ etiam meminit Hieronymus: *Ipſe Origenes in epiſtola, quam ſcribit ad Fabianum Romanæ Urbis Epiſcopum pœnitentiam agit, cur talia ſcripſerit, & cauſam temeritatis in Ambroſium refert, quod ſecreto edita in publicum protulerit.* Utrum vivente adhuc Heracla Alexandrino Epiſcopo, hoc vel ſuperiori anno has ad Fabianum litteras miſerit, an ſequenti, cum jam Dionyſius eidem ſucceſſiſſet, incertum eſt. Dionyſii tempore fuiſſe datas, exinde autumat Baronius, quod, Heracla extincto, qui Origeni favebat, quique turbas ſub Demetrio excitatas conſopiverat, *cum in ejus locum ſuffectus fuiſſet Dionyſius, licet ejuſdem Origenis olim diſcipulus; attamen veritatis ardore æſtuans, nullam ejus rei ducens rationem, & Deo omnia poſthabens, Origenem, qui jam ſcripta ſua multis erroribus aſperſa evulgaverat, cœpit acriter impugnare, & in multis hæreſeos accuſare.* Qua de cauſa, ut famæ ſuæ conſuleret Origenes, *rectæ fidei profeſſionem primo ad Fabianum Romanum Pontificem, tamquam ad totius catholicæ Eccleſiæ Præſulem, mox ad alios miſit Epiſcopos.* In eo tamen falli virum doctum dubitari non poteſt; nam, ut & ab Huetio, & Haloixio adnotatum eſt, & veterum ſcriptorum teſtimonio confirmatur, Heraclas æque, ac Demetrius deceſſor infenſo in Origenem animo fuerunt, Dionyſius e contra benevolo. De Heracla narrans Gennadius in libro de viris illuſtribus, Theophylum Alexandrinum Epiſcopum tradidiſſe inquit, non a ſe primum, *ſed ab antiquis Patribus, & maxime Heracla fuiſſe Origenem a Presbyterio ejectum, & de Eccleſia pulſum, & de civitate fugatum*; auctor vero vitæ S. Pachomii, & epiſtola ſynodica Epiſcoporum Ægypti, cujus fragmentum recitat Juſtinianus in epiſtola ad Mennam: *Cum impias orationes habere cœpiſſet, beatæ memoriæ Heraclas Epiſco-*

Hieron. epiſt. 84. num. 10.

Bar. an. 248. num. 1. 2.

Huet. Orig. lib. 1. cap. 2. n. 15. & cap. 3. num. 10.

Haloix. in Orig. Apol. lib. 1. 22.

Gennad. de Vir. Illuſt. in Theoph.

Labb. Concil. tom. 5. p. 651.

ſcopus, qui tunc florebat, tamquam arator, & vinitor veritatis, Origenem e medio pulchræ ſegetis, tamquam malam zizaniam evellit: qua etiam in epiſtola Juſtinianus ex Beati Petri Alexandrini Epiſcopi myſtagogia tradit: *Quid autem dicam Heraclam, & Demetrium Beatos Epiſcopos, quales tentationes ab inſano Origene paſſi ſunt?* Tandem Photii auctoritate conſtat, Demetrii decreto contra Origenem lato ſubſcripſiſſe, quotquot antea eidem ſuffragati fuerant, inter quos & Heraclas Alexandrinæ tunc Eccleſiæ presbyter accenſetur. Dionyſium vero Heraclæ ſucceſſorem in Originis amicitia perſeveraſſe teſtes ſunt, tum liber ad eum, dum in vinculis eſſet, de Martyrio nuncupatus, cum epiſtola ad Theotectum, qua Origenem defunctum laudat, ut apud Photium videre eſt.

Phot. Cod. 118.

Euſeb. lib.6. 46.

Phot. Cod. 232.

3. Nec ſolum litteris apud Fabianum fidei ſuæ Apologiam egiſſe Origenem Baronius tradit, ſed & viva voce; eumque, imperante Philippo, Romam ea de cauſa adveniſſe, ex Plotini vita a Porphyrio conſcripta probare nititur, ubi hæc leguntur: *Cum Origenes aliquando veniſſet in ſcholas, Plotinus ſtatim genas pudore ſuffuſus aſſurgere voluit. Sermonem vero ab Origene continuare rogatus reſpondit, ſtudium loquendi ceſſare, quando qui loquitur animadvertit, ſe ad illos, qui idem ipſi noverint, verba facturum, atque ita cum pauca quædam diſſeruiſſet, inde ſurrexit.* Hæc Porphyrius de Plotini geſtis, dum Romæ, imperante Philippo, doceret. Fallitur tamen Annalium Parens, dum Origenem Plotini auditorem cum noſtro Origene Adamantio confundit, qui diverſus omnino fuit, ut ab eruditiſſimis viris adnotatum eſt; duo quippe hoc ſæculo, eademque ætate floruerunt Origenes, Adamantius ſcilicet Leonidis Martyris filius, de quo nunc agimus, alter vero Plotini diſcipulus, & gentilis, cujus ſæpe Porphyrius in vita Plotini meminit.

Origenes, Philippo imperante, Romæ non fuit.
Bar. an. 248. num. 3. 4.
Porph. in vita Plotini.

Duo Origenes diſtinguendi.
Dupin. biblioth. to. 1. pag. 328.
Cellier. hiſt. auct. ecclet. tom. 2. p. 1.
Pag. not. 1. ad an. 248. Baron
Valeſ. in Euſeb. lib. 6. 19.
Baſnag. an. 203. num. 19.

4. *Eodem tempore* (ideſt, tertio Philippi Imperatoris anno) ait Euſebius, *alii rurſus in Arabia dogmatis cujuſdam a veritate prorſus alieni auctores extiterunt; aſſerebant enim hominum animas in præſenti quidem ſæculo una cum corporibus interire, atque corrumpi, rurſus vero reſurrectionis tempore ſimul cum iiſdem corporibus ad vitam eſſe redituras.* Quam ob cauſam convocato Concilio, Origenes iterum rogatus, cum ejuſmodi quæſtionem diſputandam ſuſcepiſſet, tanto robore, tantaque evidentia immortalitatem animæ comprobavit, ut in illius ſententiam omnes deſcenderint.

Concilium in Arabia habitum, cui Origenes adfuit.
Euſeb. lib. 6. 36.

5. Hæ-

JESU CHR. AN. 246.
De Helceſaitarum hæreſi.
Euſeb. lib. 6. cap. 38.

5. Hæreſi in Arabia extincta, erroreque depoſito, perniciosior alter, Helceſaitarum ſcilicet, eodem tempore excitatus eſt, ut ſequenti capite narrat Euſebius. Quæ vero portenta complecteretur, ex Origene in Homilia ad Pſalmum octogeſimum ſecundum, ad populum habita, idem refert Euſebius: *Quidam, inquit, nuper advenit, de ſe ipſe magnifice ſentiens, utpote qui impiam, & nefariam Helceſaitarum opinionem, quæ adverſus Eccleſiam recens coorta eſt, poſſit defendere. Exponam autem vobis, quæ, & quanta perperam aſſerat hæc ſecta, ne forte vos ab illa abripi ſinatis. Ex univerſo ſacræ Scripturæ canone quædam rejicit; quibuſdam vero utitur teſtimoniis tum ex vetere inſtrumento, tum ex Evangelio. Paulum quidem Apoſtolum integrum repugnat. Docet præterea, indifferentem rem eſſe Chriſtum negare; & eum, qui ſapit, ore quidem tenus in ipſo diſcrimine negaturum eſſe, ſed non ex animi ſententia. Librum etiam proferunt, quem e Cælo delapſum affirmant; eoſque, qui auſcultaverint illi, & crediderint, peccatorum veniam conſecuturos, & quidem diverſam ab illa peccatorum remiſſionem, quam Jeſus Chriſtus impetrtiit.* Helceſaitarum porro hæreſis ab Elceſai, ſeu Elxeo pſeudopropheta prognata, Ebioneorum hæreſeos quidam rivulus, ſeu progenies fuit, quam olim extinctam ab inferis, atque cineribus Elxai quidam, ſeu Helceſai revocavit, de quibus Auguſtinus, Theodoritus, & Epiphanius videantur.

Aug. de hær. cap. 32. Theodor. hær. fab. lib. 2. c. 7. Epiph. in Ebioneorum hæreſi.

JESU CHRISTI AN. 247. FABIANI PAPÆ 12.
PHILIPPI IMP. 4., ET PHILIPPI JUNIORIS I.
COSS. M. JULIO PHILIPPO AUG. II.,
ET M. JULIO PHILIPPO CÆS.
OLYMPIAD. 256. AN. 3. URBIS AN. 1000.

Ludi ſæculares a Philippo Romæ celebrantur.
Capit. in Gord. cap. 33. Norif. Epiſt. Conſul. Pag. ad an. 247. Baſnag. an. 247. Tillem. tom. 3. hiſt. Imp. Murat. an. 248.

1. Ut ſæcularibus ludis celebritatem adderet Philippus, filium ſuum, quem Cæſarem Imperii ſui initio dixerat, tribunitia poteſtate exornavit, Imperioque ſociavit. Multa cum pompa, & ſolemnitate eos celebratos fuiſſe, narrant Hiſtorici: *Fuerunt ſub Gordiano Romæ Elephanti triginta duo, quorum ipſe duodecim miſerat, Alexander decem: Alces decem, Tigres decem, Leones manſueti ſexaginta, Leopardi manſueti triginta, Belbi, ideſt Hyenæ decem, Gladiatorum fiſcalium paria mille, Hippopotamus, & Rhinoceros unus, Arcaleontes decem,*

tem, Camelopardali decem, Onagri viginti, Equi feri undecim, & cetera ejuſmodi animalia innumera, & diverſa, quæ omnia Philippus ludis ſæcularibus vel dedit, vel occidit. Ludorum ſæcularium meminit Oroſius: *Ita ludis magnificis auguſtiſſimus omnium præteritorum hic natalis annus, a chriſtiano Imperatore celebratus eſt*; quos a Gentilium ſuperſtitionibus fuiſſe immunes addit: *nec dubium eſt, quin Philippus hujus tantæ devotionis gratiam ad Eccleſiam reportarit, quando vel aſcenſum fuiſſe in Capitolium, immolataſque more hoſtias, nullus auctor oſtendit.* Oroſii opinioni Baronius, aliique ſubſcribunt, qui Philippum chriſtianum fuiſſe cenſent. Ex Scriptoribus tamen Oroſio antiquioribus, & ex numiſmatibus tunc editis, Gentilium ritu ſæculares ludos Philippum celebraſſe conſtat, de quibus Euſebius in Chronico: *Regnantibus Philippis milleſimus annus Romanæ Urbis expletus eſt, inbquam ſolemnitatem innumerabiles beſtiæ in Circo magno interfectæ, ludique in campo Martio theatrales tribus diebus, & tribus noctibus populo pervigilante celebrati.* Porro hæ vigiliæ, hi ludi theatrales, Terentini etiam dicti, in Deorum honorem peragebantur, de quibus Auſonius canit lib. 2.

JESU CHR. AN. 247.

Ludi ſæculares Gentilium ritu celebrati.

Oroſ. lib. 7. cap. 20.

Baron. 209. 5.

Pag. not. an. 247.

Trina Terentino celebrata trinoctia ludo.

Sed & hoſtias tunc a Philippo immolatas fuiſſe, narrat Victor de Cæſaribus, qui & addit: *Philippus ſumpto in conſortium filio annum Urbis milleſimum ludis omnium generum celebrat*: quare ſi cetera deeſſent, ex his, quæ hoc anno ludorum occaſione ſunt geſta, Philippum Imperatorem e Chriſtianorum albo expungendum eſſe probatur, de quibus apud Moneliam, & Pagium plura.

2. *Anno Philippi Imperatoris tertio* (qui cum labente excurrit), ait Euſebius, *cum Heraclas poſt ſexdecim Epiſcopatus annos diem extremum obiiſſet, Pontificatum Alexandrinæ Eccleſiæ ſuſcepit Dionyſius.* De geſtis Heraclæ vix quidquam ad poſteros demandatum eſt, etſi annos ſexdecim Alexandrinæ Eccleſiæ præfuerit. Quoſdam tamen de pœnitentia canones edidiſſe, ex Dionyſii epiſtola ad Philemonem Romanæ Eccleſiæ presbyterum conſtat: *Hanc ego regulam, & formam a Beatiſſimo Papa noſtro Heracla accepi; eos enim, qui ab hæreticis veniebant..., poſt multas preces, non prius admiſit, quam,*

Heraclas Alex. Epiſcopus obiit, cui Dionyſius ſuccedit.

Euſeb. lib. 7. 7.

Jesu Chr. An.247. De Dionyſii initiis uſque ad Epiſcopatum.

quam, quæcumque ab adverſariis audierant, palam expoſuiſſent, ac tum demum ad communionem eos admittebat, nequaquam exiſtimans iterato baptiſmate eis opus eſſe. De Dionyſio vero Heraclæ ſucceſſore narrant hiſtorici, eum generis nobilitate, & opibus illuſtrem fuiſſe, quem etiam eruditio, pietas, atque pro fide Chriſti repetitæ confeſſiones illuſtriorem reddiderunt, ut merito Magni Dionyſii cognomen meruerit. Suſcepta fide, Origenis auditor fuit, deinde in catecheſis cathedra ſucceſſor, atque ab Heracla presbyter ordinatus, hujus tandem loco Eccleſiæ adminiſtrationem ſuſcepit. Multa quidem pro Chriſti fide pertuliſſe vel invitus indicat in Apologia, contra Germanum quemdam ſui obtrectatorem ſcripta, in qua inter cætera hæc habentur: *Sed fortaſſe Germanus multis fidei confeſſionibus gloriatur, multa prædicare poteſt adverſus ſe geſta, quot vero enumerare poteſt, perinde atque ego, ſententias judicum, publicationes, proſcriptiones, direptiones bonorum, abjectiones dignitatum, contemptus gloriæ ſæcularis, laudum a Præfectis, ac Decurionibus profectarum deſpectus*, quibus fidei cauſa renunciaverat? *Minarum denique, quæ coram intentabantur, vociferationum, diſcriminum, perſecutionum, fugæ, ærumnarum, & cujuſquemodi malorum tolerantiam; cujuſmodi ſunt ea, quæ ſub Decio, & Sabino, & quæ in hunc uſque diem ſub Emiliano nobis contigerunt. Ubinam vero comparuit Germanus? quænam iſtius facta eſt mentio? verum ab imprudentia illa, in quam Germani cauſa delapſus ſum, tandem abſiſto*. Hactenus de rebus ſuis Dionyſius.

Euſeb. lib. 7. 11.

Dionyſius Alex. libros hæreticorum abſque damno legit. *Euſeb. lib. 7. 7.*

3. Cum presbyter eſſet, atque catechiſtæ munere fungeretur, ad quem non ſolum fideles, ſed & Judæi, ac Gentiles conveniebant, eaque de cauſa hæreticorum libros perluſtrabat, a presbytero quodam admonitus fuit, ut ab hujuſcemodi lectione ſe abſtineret; divina tamen revelatione confirmatus, in incepto perſeveravit, ut idem in epiſtola ad Philemonem Romanum presbyterum teſtatur: *Ego vero in libris, & traditionibus hæreticorum cognoſcendis operam poſui, execrandis quidem illorum ſententiis animum meum tantiſper coinquinans, hanc tamen ex iis utilitatem percipiens, ut illos tacitus apud me refutarem, multoque magis quam antea deteſtarer; & cum frater quidam ex presbyterorum ordine prohiberet me, veritus ne forte nequitiæ illorum cœno commiſcerer, quippe animum meum contaminatum iri ajebat, & quidem veriſſime, ut ipſemet*

met ſentiebam; *viſione cælitus miſſa*, *confirmatus ſum*, *&* *voce ad aures meas perlata diſerte mihi præcepit hoc modo*: *Lege omnia quæcumque in manus venerint*; *idoneus namque es*, *qui ſingula diſquiras*, *&* *examines*, *hacque primum occaſione ad Chriſti fidem impulſus es*. *Amplexus ſum viſionem illam*, *utpote quæ Apoſtolicæ voci conſentiret*, *robuſtiſſimos quoſque ita compellanti*: *Eſtote periti nummularii*.

Jesu Chr. an. 247.

4. Carthaginenſi ſynodo ab Agrippino habita anno 207. cautum fuerat, ut hæreticorum baptiſma rejiceretur: eumdemque errorem hoc tempore Iconienſis Synodus, cui Firmilianus præfuit, & Synnadenſis in Phrygia confirmarunt. Has ſynodos ad hæc tempora pertinere, teſtis eſt Firmilianus hæc ad Cyprianum ſcribens: *Hæretico etenim*; *ſicut ordinare non licet*, *nec manum imponere*, *ita nec baptizare*... *quod totum nos jampridem in Iconio*, *qui Phrygiæ locus eſt*, *collecti in unum*, *convenientibus ex Galatia*, *&* *Cilicia*, *&* *ceteris proximis regionibus*, *confirmavimus*, *tenendum contra hæreticos firmiter*, *&* *vindicandum*, *cum a quibuſdam de iſta re dubitaretur*. Synodorum Iconii, & Synnadæ habitarum meminit & Dionyſius Alexandrinus in ſupracitata epiſtola ad Philemonem, dum narrat, hunc morem de iterando hæreticorum baptiſmate, non ab Afris primum invectum fuiſſe; *ſed multo antea ſuperiorum Epiſcoporum temporibus*, *in Eccleſiis populoſiſſimis*, *&* *in conciliis fratrum apud Iconium*, *&* *Synnadam*, *&* *apud alios plurimos*: quibus verbis innuit Dionyſius, ante Stephani Pontificis ætatem eas ſynodos fuiſſe celebratas, quas perperam cum anno 258. Stephani Papæ ſecundo, Baronius, Binnius, Labbeus conjunxere. In iis autem conciliis de Montaniſtarum baptiſmate potiſſimum actitatum fuiſſe, Firmilianus teſtatur: *Plane quoniam quidam de eorum baptiſma dubitabat*, *qui etſi novos prophetas recipiunt*, *eoſdem tamen Patrem*, *&* *Filium noſſe nobiſcum videntur*; *plurimi ſimul convenientes in Iconio*, *diligentiſſime tractavimus*, *&* *confirmavimus*, *repudiandum eſſe omne omnino baptiſma*, *quod ſit extra Eccleſiam conſtitutum*. Sed de his hactenus.

De Synodis Iconii, & Synnadæ, quibus Rebaptizantium error firmatur.

Cypr. epiſt. 75.

Baron. ann. 258. 2.
Valeſ. ad Euſeb. lib. 7. 7.
Pag. not. ad an. 258.
Apud Cypr. epiſt. 75.

Jesu Chr. an. 248.

JESU CHRISTI An. 248. Fabiani Papæ 13.
Philippi Imp. 5., et Philippi junioris 2.
Coss. M. Julio Philippo Aug. III.,
Et M. Julio Philippo II.
Olympiad. 258. An. 4. Urbis An. 1001.

Tumultu populi Alexandriæ perſecutio in Chriſtianos excitatur.

Euſeb. lib. 6. 41.

1. Etſi Philippi Imperatoris clementia ſecuri hactenus Chriſtiani vixiſſent, hoc tamen anno repentina ſeditio, populariſque tumultus Alexandrinam turbavit Eccleſiam. Factionis auctorem ignoravit Dionyſius, quem his coloribus pinxit: *Infauſtus quidam vates, ac poeta, quiſquis ille fuit, commoverat jam antea, atque incitaverat adverſus nos Gentilium turbas, ad innatam genti ſuperſtitionem animos eorum inducens.* Ab hoc igitur homine, qui Alexandriæ erant gentiles, ſtimulati, omnemque ad patranda ſcelera licentiam nacti, dæmonibus ſuis Chriſtianos immolabant: nullo ſane Imperatoris edicto eos ad ejuſmodi perſecutionem concitante, *quippe quæ integro anno anteverterat* (nam ſequenti tantum, quo Decius imperare cœpit, ejuſdem auctoritate in Eccleſiam ſævitum eſt); ſed ipſorummet Ægyptiorum natura ad ſeditiones & rixas prona, præcipuè Alexandrinorum, de quorum furore in rixando, vel etiam dum jocarentur, cecinit Juvenalis:

Juven. Satyr. 15.

Hinc jejunum odium: ſed jurgia prima ſonare
Incipiunt animis ardentibus, hæc tuba rixæ:
Dehinc clamore pari concurritur, & vice teli
Sævit nuda manus paucæ ſine vulnere malæ,
Vix cuiquam, aut nulli toto certamine naſus
Integer: aſpiceres jam tota per agmina vultus
Dimidios, alias facies, & hiantia ruptis
Oſſa genis, plenos oculorum ſanguine pugnos.
Ludere ſe credunt, ipſi tamen & pueriles
Exercere acies, quod nulla cadavera calcent.

Hæc quidem, quaſi per jocum. Quum autem ſerio rixarentur, nullum ſæviendi ſervabant modum: unde idem Poeta:

Aſpicimus populos, quorum non ſufficit iræ
Occidiſſe aliquem, ſed pectora, brachia, vultum
Crediderint genus eſſe cibi &c.

Ex

Digitized by Google

Ex his ergo conjici facillime poteſt, quam immaniter, quove furore adverſus fortiſſimos Chriſti athletas exarſerint. Sed Dionyſium oculatum teſtem nunc præſtat audire. Jesu Chr. an.248. *Euſeb.lib.6.* 41.

2. *Primum itaque ſenem quemdam, Metram nomine, correptum, impia verba proferre jubent. Quod cum ille abnueret, fuſtibus hominem verberantes, & acutis arundinibus vultum ejus, oculoſque pungentes, deductum in ſuburbium lapidibus obruerunt. Poſt hæc fidelem quamdam mulierem, Quintam nomine, ad idoli templum perductam, adorare illud coegerunt. Quod cum illa averſaretur, atque exſecraretur, conſtrictis pedibus, eam per totius civitatis vicos aſpero ſilice conſtratos rapientes, ſaxis illiſam molaribus, flagris inſuper verberantes, ad ſuburbium itidem abducunt, ibique lapidibus interficiunt*. Deinde uno impetu in domos Chriſtianorum irruentes, quæ maxime pretioſa erant rapiebant: viliora autem, & lignea disjicientes concremabant. Chriſtiani interea fuga ſibi conſulentes, direptionem bonorum ſuorum cum gaudio excipiebant: *Nec eorum quiſquam, quod equidem ſciam, niſi fortaſſe unus aliquis in illorum manus incidens, hactenus quidem Deum negavit*.

Confeſſio fidei, & martyrium Metræ, & Quintæ. *Euſeb. ut ſup.*

3. Præ ceteris vero illuſtre fuit certamen Apolloniæ provectæ jam ætatis virginis, quam cum gentiles prehendiſſent, maxillas verberantes, cunctos ei dentes excuſſerunt: accenſo deinde extra urbem rogo; cum ſe vivam combuſturos minitarentur, niſi una cum ipſis impia verba pronuntiaſſet; illa veniam deprecari pauliſper viſa, atque interim dimiſſa, celeriter in ignem inſiliit, & conflagravit. Eam ſecutus, & imitatus eſt Serapio quidam, quem in ædibus ſuis deprehenſum, acerbiſſimis tormentis excruciatum, & membris omnibus confractum, ex cœnaculo præcipitem dejecerunt, reliquos etiam pari immanitate inſequentes: adeo ut Fidelium nemini per vias incedere noctu, aut interdiu liceret, cum omnes ubique gentiles clamitarent, quicumque impia verba proferre abnuiſſet, eum illico trahendum eſſe, & flammis abſumendum. Quæ quidem diutiſſime viguerunt, uſque dum ſecuta paulo poſt ſeditio, & bellum civile, crudelitatem, qua in Chriſtianos graſſati fuerant, in ſe ipſos mutuo converterunt. *Ac nos quidem paululum reſpiravimus, dum illorum ceſſaret furor; ſed continuo Imperii illius erga nos benigniſſimi mutatio nobis nuntiata eſt, & graviſſimus nobis minarum terror intentabatur*,

De martyrio Apolloniæ, & Serapionis. *Euſeb. ut ſup.*

Digitized by Google

Jesu Chr. an. 248.

cum nempe Decius imperare cœpit. Interea vero quantum luctuoſa fuerit Chriſtianorum conditio, ex eodem Dionyſio patet: *Multa quidem, & acerba ante hanc calamitatem* (peſtilentiam ſcilicet, de qua infra) *nobis contigerunt. Primum enim nos urbe expulerunt, cumque ſoli ab omnibus fugaremur, atque opprimeremur, nihilominus tunc quoque feſtos egimus dies. Quivis denique locus, in quo varias ærumnas ſigillatim pertulimus, ager, inquam, ſolitudo, navis, ſtabulum, carcer, inſtar templi ad ſacros conventus peragendos fuit. Sed omnium lætiſſimam feſtivitatem egerunt conſummati Martyres, qui in cælo epulati ſunt.*

De Cypriani origine.

4. Dum Alexandrina Eccleſia gentilium perſecutionibus vexaretur, Carthaginenſis ob Cypriani ordinationem eſt illuſtrata. Sed antequam de ejuſdem geſtis in epiſcopatu agamus, de primordiis nonnulla ſunt adnotanda. Eum Afrum fuiſſe aperte teſtatur Hieronymus, atque genere Senatorem, poſt Nazianzenum, ſcribit Baronius: quum tamen eo loco Nazianzenus Cyprianum Carthaginenſem cum altero Cypriano Antiocheno Martyre confundat, nec Pontius Diaconus illius vitæ ſcriptor de generis nobilitate id adnotet, in incerto rem relinquimus. Taſcium vero Cyprianum fuiſſe dictum ejuſdem ad Pupienum epiſtola teſtatur, quo nomine & in actis paſſionis ejus ſæpe inſignitus eſt.

Hier. de vir. Illuſ. cap. 67. Nazian. orat. 18. Bar. an. 250. num. 5. Cypr. epiſt. 66.

De Cypriani geſtis ante Epiſcopatum. *Cyprian. vita num. 5.*

5. Pontius quidem de Cypriani geſtis dicturus, ex tempore, quo Chriſti fidem ſuſcepit, auſpicatur: quapropter, *unde incipiam*, ait, *unde exordium bonorum ejus aggrediar, niſi a principio fidei, & nativitate cæleſti? Siquidem hominis Dei facta non debent aliunde numerari, niſi ex quo Deo natus eſt. Fuerint licet ſtudia, & bonæ artes devotum pectus imbuerint, tamen illa prætereo.* Antequam tamen ad fidem converteretur, *glorioſe Rhetoricam docuiſſe*, poſt Lactantium, tradit Hieronymus. Cæcilii autem Carthaginenſis presbyteri opera, ac favente Dei gratia, ab idolorum cultu ad Chriſtianam tranſiit Religionem, qua de cauſa Cæcilii nomen ob tanti beneficii memoriam induit, ut Hieronymus teſtatur, atque in Proconſulis ſententia legitur: *ſi quis tenet, vel poſſidet de bonis Cæcilii Cypriani &c.* Hunc Cæcilium presbyterum Diodumeni Imperatoris magiſtrum aliquando fuiſſe ſuſpicatur Baronius, qui tamen Cælianus a Capitolino dicitur, nihilque commune cum Cæcilio presbytero habuit. Carthagine

Lactant. lib. 5. 2. Hier. de vir. Illuſt.

Digitized by Google

ne vero hæc accidiſſe, ejuſdem indicat epiſtola ad Clerum Carthaginenſem data, qua inquit: *Ubi enim mihi, aut melius poſſit eſſe, aut lætius, quam illic, ubi me Deus credere voluit, & creſcere?* jamque matura ætate Chriſto credidiſſe, ex eo conjicit Baronius, quod ad Donatum ſcribens hæc habeat: *Qui poſſibilis, ajebam, eſt tanta converſio, ut repente, & perniciter exuatur, quod vel genuinum ſitu materiæ naturalis obduruit, vel uſurpatum diu ſenio vetuſtatis inolevit?* Hæc tamen vitia potius, quam ætatem deſignant, quæ etiam in adoleſcentia, aut virili ætate, vetuſta aliquando ſunt; hinc ſubdit: *quando parſimoniam diſcit, qui epularibus cœnis, & largis dapibus aſſuevit, & qui pretioſa veſte conſpicuus in auro, atque purpura fulſit, ad plebejum ſe, ac ſimplicem cultum quando deponit, faſcibus ille oblectatus, & honoribus privatus, & inglorius eſſe non poteſt:* quæ certe non tam de ſe ipſo, qui purpura veſtitus, aut faſcibus exornatus nuſquam fuit; ſed de homine loquitur, qui ex idolorum, Mundique vanitate ad Deum convertitur. Quo autem ætatis anno ab illorum cultu deſciverit, nos latet. Verum non multo poſtquam Chriſto nomen dediſſet, Epiſcopum ordinatum fuiſſe, aperte indicat Pontius, qui Apoſtolicum memorans Canonem de Neophytis non ordinandis, ſubdit: *Ille fuit primus, & puto ſolus exemplo, plus fide poſſe, quam tempore promoveri*; & poſt pauca: *mora denique circa gratiam Dei nulla, nulla dilatio. Parum dixi, Presbyterium, & Sacerdotium ſtatim accepit; quis enim non omnes honorum gradus crederet tali mente credenti?*

Jesu Chr. an. 248.

Ad Timoth. cap. 3.

6. Nec mirum, tam cito Epiſcopalem cathedram obtinuiſſe Cyprianum, qui eo ipſo tempore, quo in Chriſtum credidit, chriſtianæ perfectionis apicem attingens, continentiæ propoſitum, Apoſtolicamque paupertatem catechumenus adhuc amplexus eſt. *Inter fidei ſuæ prima rudimenta*, ait Pontius, *nil aliud credidit Deo dignum, quam ſi continentiam tueretur*; & infra: *Nondum ſecunda nativitas novum hominem ſplendore toto divinæ lucis oſculaverat, & jam veteres, & priſtinas tenebras ſola lucis paratura vincebat: deinde quod majus eſt, cum de lectione divina quædam jam non pro conditione novitatis, ſed pro fidei feſtinatione didiciſſet, ſtatim rapuit, quod invenit, promerendo Domino profuturum. Diſtractis rebus ſuis ad indigentiam pauperum ſuſtentandam, tota prædia pretio diſpenſans, duo bona ſimul junxit, ut & ambi-*

Cyprianus Catechumenus continentiam profitetur, ac bona pauperibus diſtribuit.

Baron. 250. num. 10.

ambitionem ſeculi ſperneret, & miſericordiam, quam Deus ſacrificiis ſuis prætulit, impleret. Eum quidem ſuſcepta fide, ac emiſſo continentiæ voto, cariſſimam conjugem, dulciſſimoſque liberos Cæcilio presbytero commendaſſe, tradit Baronius, his Pontii verbis deceptus: *Denique ille demulſus ejus obſequiis in tantum dilectionis immenſæ merito provocatus eſt, ut de ſeculo excedens, arceſſione jam proxima commendaret illi conjugem, ac liberos ſuos, & quem fecerat de ſectæ communione participem, poſtmodum faceret pietatis hæredem.* Locum tamen attentius legenti non obſcure patebit, Pontium de Cæcilio loqui presbytero, qui morti proximus & propriam uxorem, & filios Cypriano commendaverat.

De Presbyterorum continentia Cypriani ævo. Pearſ. annal. Cypr. an. 246. pag. 7. Cypr. epiſt. 52. Schelſt. de Eccleſ. Afric. diſſert. 3. 4.

7. Ex his autem Pontii verbis, tunc temporis presbyteros in Eccleſia Africana non ſolum uxoratos fuiſſe, ſed & gignendis liberis operam dediſſe conjicit Pearſonius: quod & aliis confirmat exemplis, Novati ſcilicet, quem uxoris prægnantis uterum calce percuſſiſſe, narrat Cyprianus, *quibus addi debent Felix cum uxore Victoria, & Numidicus, qui uxorem adhærentem lateri ſuo concrematam lætus aſpexit, ipſe ſemiuſtulatus.* Falſo tamen hæc adnotaſſe Pearſonium, non dubitamus; allatis enim exemplis, etſi conſtet, Conjugatos presbyterali ordine aliquando fuiſſe exornatos; poſt ordinationem vero gignendis liberis operam eos dediſſe, non probant, niſi fortaſſe in uno Novato, cujus uxor prægnans erat, dum eſſet presbyter. At quæ Novatus impurus homo, hæreticus, ſchiſmaticus egit, ceteris commune non erat, qui ab ordinationis tempore, ut plurimum, cœlibem vitam ducebant, ut Africani Patres in Carthaginenſi Concilio, anno 390. celebrato ſub Genethlio, teſtantur: *Epiſcopi, Presbyteri, vel Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes etiam ab uxoribus ſe abſtineant*; Genethlius vero ſubdit: *Ut quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſervavit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus.*

Tom. 2. Concil.

Cyprianus ad Donatum, & de idolorum vanitate librum ſcribit. Lactan. divin. inſt. lib. 5. 1.

6. Ad Cyprianum revertimur, cujus ad fidem acceſſio quemadmodum lætitia Fideles affecit, ita & Gentilibus bilem movit, ut & ſcurrilibus verbis ei inſultarent: *Audivi ego*, ajebat Lactantius, *quemdam hominem ſane diſertum, qui eum, immutata una littera, Coprianum vocaret* (idest Stercorarium) *quaſi quod elegans ingenium, & melioribus rebus aptum ad aniles fabulas contuliſſet; græcis quippe coprias ſtercus dicitur.*

tur. Cyprianus vero, ut primitias ingenii ſui Chriſto dicaret, ad Donatum epiſtolam, ſeu librum ſcripſit, quo chriſtianæ Religionis vim, & dignitatem commendat, idolorumque vanitatem confutat: idque tanto eloquentiæ ſtudio, ut Auguſtinus adnotaverit: *Eſt tale quid in epiſtola B. Cypriani, quod ideo puto vel accidiſſe, vel conſulto factum eſſe, ut ſciretur a poſteris, quam linguam doctrinæ chriſtianæ ſanitas ab iſta redundantia revocaverit, & ad eloquentiam graviorem, modeſtioremque reſtrinxerit, qualis in ejus conſequentibus litteris ſecure amatur, religioſe appetitur, ſed difficillime impletur*. Simpliciorem namque ſtylum divinis rebus magis, quam ornatum convenire, idem Cyprianus fatetur: *In judiciis, in concione, pro roſtris, opulenta facundia volubili ambitione jactetur. Cum de Domino Deo eſt, vocis pura ſinceritas, non eloquentiæ viribus nititur ad fidei argumenta, ſed rebus*. Ejus tamen elegantiam eo uſque admirati ſunt Lactantius, Hieronymus, & Nazianzenus, ut magnis eum Oratoribus comparaverint. *Erat enim*, tradit Lactantius, *ingenio facili, copioſo, ſuavi, &, quæ ſermonis maxima eſt virtus, aperto, ut diſcernere nequeas, utrumne ornatior in eloquendo, an facilior in explicando, an potentior in perſuadendo fuerit*. Quinimo Nazianzenus ſic eum ceteris præſtare ait, quantum brutis homines. *Sive me tibi doctrina tua atque eloquentia conciliet, qua tu tanto reliquos mortales anteibas, quanto nos brutis animantibus præſtamus*.

JESU CHR. AN. 248.

Aug. de doct. chr. lib. 4. 24.

Lact. lib. 5. 1. & 2.
Hier. de vir. Illuſ. 67.
Nazian. orat. 18.

7. *Tali mente credenti*, ait Pontius, *quis non omnes honorum gradus crederet?* & iterum de ejuſdem ordinatione, *Presbyterium, & Sacerdotium ſtatim accepit*. Temporis tamen aliquantulum ſpatii a baptiſmate ad Sacerdotium, & a Presbyteratu ad Epiſcopatum interceſſiſſe, non obſcure innuit: *Multa ſunt, quæ adhuc plebejus, multa, quæ jam presbyter fecit*. Prætermiſſo autem Diaconatus ordine, Sacerdotem ordinatum fuiſſe tradit Baſnagius: ſed falſo, dum & Eccleſiæ conſuetudo, & illa Pontii verba: *Quis.. non omnes honorum gradus crederet tali mente credenti?* Diaconum primo fuiſſe ſuadent. Nam ſi omnes honorum gradus eidem concrediti fuerunt, cur non & Diaconatus ordo? Sed & inſuper presbyteralem ordinem ab Epiſcopatu diſtinguit idem Auctor, hæc addens: *Presbyterium, & Sacerdotium ſtatim accepit*. Quod & Euſebius, & Hieronymus confirmant. *Cyprianus*, ait Euſebius, *primum Rhetor, dein Presbyter, ad extremum Carthaginen-*

Cyprianus presbyter primo, deinde Epiſcopus ordinatur.

Baſn. annal. an. 248. 4.

Euſeb. in Chronico.

Jesu Chr. an. 248.
Hier. de Vir. Illuſ. 67.
Blond. Apol. pro ſententia Hieronymi.

ginenſis Epiſcopus. Hieronymus vero : *poſt non multum temporis, electus in Presbyterum, etiam Epiſcopus Carthaginenſis conſtitutus eſt*. Blondellus tamen ex ſacro lavacro ad Epiſcopalem thronum raptum fuiſſe, *atque Presbyterium, & Sacerdotium* pro uno tantum ordine intelligendum eſſe ſcribit; quem tum Pontii verba, cum Euſebii, Hieronymique auctoritas refellunt, ut plura addere ſuperfluum ſit.

De Cypriani Epiſcopi ordinatione.

8. Quanto autem cleri, populique Carthaginenſis favore, quanta animi demiſſione, & quaſi coactus, epiſcopale munus Cyprianus acceperit, ſic Pontius teſtatur : *Non præteribo etiam illud eximium, quemadmodum cum in delectionem ejus, & honorem totus populus, aſpirante Domino, proſiliret, humiliter ille ſeceſſit, antiquioribus cedens, & indignum ſe titulo tanti honoris exiſtimans, ut dignus magis fieret*. Quanto autem populi ardore ad Epiſcopatum vocatus fuerit, paulopoſt narrat his verbis : *obſederat fores domus copioſa fraternitas, & per omnes aditus ſollicita charitas circuibat... Erat videre ceteros omnes ſuſpenſos, anxio ſpiritu expectare venturum, cum gaudio nimio venientem*. Nihilominus in tanta cleri populique concordia, non defuerunt, qui ordinationem ejus oppugnaſſent, de quibus Pontius : *Quidam illi reſtiterunt, ut vinceret; quibus tamen quanta lenitate, quam patienter, quam benevolenter indulſit, quam clementer ignovit, amiciſſimos eos poſtmodum, & inter neceſſarios computans, mirantibus multis*. Ex his quinque Presbyteri fuerunt, Fortunatus ſcilicet, Sovinus, Maximus, Donatus, & Gordius, qui ad Feliciſſimi Schiſma tranſeuntes, Carthaginenſem Eccleſiam turbarunt, de

Cypr. Epiſt. 43

quibus Cyprianus : *Quorumdam Presbyterorum malignitas, & perfidia perfecit, ne ad vos ante diem Paſchæ venire licuiſſet, dum conjurationis ſuæ memores, & antiqua illa contra Epiſcopatum meum, immo contra ſuffragium veſtrum, & Dei judicium, venena retinentes, inſtaurarunt veterem contra nos impugnationem ſuam, & ſacrilegas machinationes inſidiis ſolitis denuo revocant*.

Qui fuerit Cypriani præceſſor.
Cypr. Epiſt. 59

9. Quis vero immediatus in Sede Carthaginenſi Cypriani præceſſor fuerit, non conſtat. Donatum tamen fuiſſe non immerito creditur; nam ad Cornelium de Privato hæretico ſcribens, hæc idem ſubdit : *Anteceſſorum etiam noſtrorum, quod & veſtram conſcientiam non latet, Fabiani, & Donati litteris ſeveriſſime notatum fuiſſe*. Neque his obſtat, quod

quod Auguſtinus inter Cypriani prædeceſſores Agrippinum memoret; nam non de immediato ibidem loquitur, ut ejus verba indicant: *Cur enim Jubajanus*, ait, *de novitate turbaretur, ut cum per auctoritatem Agrippini ſanari oporteret, ſi ab Agrippino uſque ad Cyprianum hoc tenebat*. Sed & Cyprianus ipſe in epiſtola ad Jubajanum, Agrippinum immediatum deceſſorem ſuum non fuiſſe, teſtatur: *Quando jam multi anni ſunt, & longa ætas, ex quo ſub Agrippino bonæ memoriæ viro &c.* Quod & in epiſtola ad Quintum confirmat, dum multos annos, longioremque ætatem inter ſe & Agrippinum Epiſcopum interceſſiſſe narrat.

JESU CHR. AN.248.

Auguſt.de baptiſm. lib. 2. 27. lib. 3. 12. Cypr.epiſt.73.

10. Labenti quidem anno Epiſcopum fuiſſe ordinatum, dubitari vix ſinit ejuſdem Cypriani epiſtola ſub initium perſecutionis Galli, & Voluſiani, anno ſcilicet 252., ad Cornelium Romanum Pontificem data, qua quadriennio Carthaginenſi Eccleſiæ ſe præfuiſſe narrat: *Ceterum (dico enim provocatus, dico nolens, dico compulſus) quando Epiſcopus in locum defuncti ſubſtituitur, quando populi univerſi ſuffragio in pace deligitur, quando Dei auxilio in perſecutione protegitur, collegis omnibus fideliter junctus, plebi ſuæ in Epiſcopatu quadriennio jam probatus in pace ſerviens diſciplinæ, in tempeſtate proſcriptus applicito, & adjuncto Epiſcopatus ſui nomine*; eo quod a Proconſule dictum fuerat, *ſi quis tenet vel poſſidet bona Cæcilii Cypriani Epiſcopi Chriſtianorum*. Deinde in eadem epiſtola: *toties ad leonem petitus in circo, in amphitheatro dominicæ dignationis teſtimonio honoratus, his ipſis diebus, quibus has ad te litteras feci, ob ſacrificia, quæ edicto propoſito celebrare populus jubebatur, clamore popularium ad leonem denuo poſtulatus in circo &c.* Hæc Cyprianus anno 252., cum edicto Galli, & Voluſiani idolis ſacrificare Chriſtiani cogerentur.

Cyprianus Carth.Epiſcopus hoc anno ordinatus.

Cypr.epiſt.59.

11. Quæ autem vivendi ratio in Epiſcopatu Cypriano fuerit, *quis referre ſufficiet?* ait Pontius, *quæ illi pietas! qui vigor! miſericordia quanta! quanta cenſura! tantum ſanctitatis, & gratiæ ex ejus ore lucebat, ut confunderet intuentium mentes. Gravis vultus, & lætus, nec ſeveritas triſtis, nec comitas nimia, ſed admixta utrinque temperies; ut eſſet ambigere vereri plus, an diligi mereretur, niſi quod diligi, & vereri merebatur. Sed nec cultus fuit diſpar a vultu, temperatus & ipſe de medio. Non illum ſuperbia ſæcularis infla-*

Quomodo in Epiſcopatu ſe geſſerit Cyprianus.

Jesu Chr. an. 248.

verat, nec tamen prorſus affectata penuria ſordidarat; quia & hoc veſtitus genus a jactantia minus non eſt, quam oſtentata taliter ambitioſa frugalitas. Quid autem circa pauperes Epiſcopus faceret, quos catechumenus diligebat, viderint pietatis antiſtites &c. Hæc de moribus Cypriani, qui non ſolum exemplo, & viva voce, ſed & ſcriptis commiſſum ſibi gregem enutriendum curavit: ac primo virginum, quæ Chriſtiani gregis illuſtrior portio dicitur, ſollicitudinem gerens, de earum habitu tractatum edidit, edocens, qui cultus, quæque veſtium diſciplina ab iis ſervanda eſſet.

Oblationes offerri vetat pro eo, qui teſtamento presbyterum tutorem dixerat. *Cypr. epiſt.* 1.

12. Ad Epiſcopatus quoque initia pertinent epiſtolæ plurimæ variis de argumentis ſcriptæ, ut ſexageſima ſexta presbyteris, diaconibus, & plebi Furni conſiſtentibus, qua juſſit, ne pro Geminio Victore, qui teſtamento ſuo Fauſtinum presbyterum tutorem dixerat, oblationes offerrentur, ſicuti ab anteceſſoribus ſuis ſtatutum fuerat: *Ut ſi quis frater excedens ad tutelam, vel curam clericum nominaret, non offerretur pro eo, nec pro dormitione ejus celebraretur.* Altera etiam ad Euchratium Epiſcopum epiſtola Hiſtrionem, qui a theatro ceſſaverat, alios tamen docebat, ab altari removendum cenſet: quia vero fieri poterat, ut neceſſitate victus hiſtrionicam artem exerceret, Eccleſiæ ſtipendiis ali jubet; quod ſi ejus Eccleſiæ paupertas frugalem ei victum largiri non poſſet, ut ad ſe eum mitteret, hortatur. Epiſtola altera Pomponium laudat, quod Diaconum, qui cum virgine familiariter vivebat, communione abſtinuiſſet, ceteros etiam, qui cum ipſis eodem in lecto dormire auſi fuerant, pari cenſura dignos judicans: inſuper & ut virgines ab obſtetricibus tententur, admonet, ita ut ſi virgines inventæ fuerint, ad communionem admitantur, ſin minus, pœnitentiam agere cogantur. Epiſtola vero ad Rogatianum, ejus modeſtiam commendat, quod cum pœnas de Diacono contumelioſo ſumere potuiſſet, querelas potius ad ſe deferre cenſuerit, ac Diaconum jubet *agere audaciæ ſuæ pœnitentiam, & honorem Sacerdotis agnoſcere.* Miraculo adſcribendum cenſet Baronius, ut vir Chriſtianæ Religionis pene novitius, quique Cæcilio presbytero catechiſta paulo ante uſus fuerat, repente tanta Scripturarum ſcientia, eccleſiaſticaque doctrina fulſerit, ut Epiſcopalem cathedram vix adeptum, veluti magiſtrum eruditiſſimi Epiſcopi conſulerent. Eum porro Scripturarum meditationi, & eccleſiaſticorum

Hiſtriones a communione removendos cenſet.

Epiſt. 4.

Epiſt. 65.

Cypriani mira eruditio. *Baron.* 250. 11.

rum ſcriptorum lectioni ſedulo vacaſſe, conſtat: Tertullianum vero ita familiarem ſibi fecerat, ut continuo, ſicuti ſupra in Tertulliano adnotavimus, præ manibus haberet. Illius tamen errores adeo adverſatus eſt Cyprianus, ut unitatem Eccleſiæ, quam ille proſciderat, libro de Unitate, pœnitentiam, quam lapſis negaverat, libro de Lapſis vindicaverit.

Jesu Chr. an. 248.
Hier. de Vir. Illuſtr. in Cyprian.

13. De Cypriani converſione agens Auguſtinus, inter cetera narrat: *Mutati ſunt Piſcatores, mutati ſunt poſtea etiam multi Senatores, mutatus eſt Cyprianus, cujus hodie memoriam frequentamus .... ipſe ſcribit, ipſe teſtatur, cujus vitæ fuerit aliquando, quam nefariæ, quam impiæ, quam improbandæ, & deteſtandæ*. Quibus verbis una cum Gregorio Nazianzeno, & Prudentio in ea opinione ſe fuiſſe indicat, ut crederet Cyprianum magicis incantationibus, impuriſque amoribus ante converſionem deditum fuiſſe; de quibus tamen ne verbum, aut jota apud Pontium extat. Ea autem Auguſtinum, Nazianzenum, alioſque ex libro, cui titulus, *Confeſſio Cypriani*, hauſiſſe, non eſt dubitandum, quo multa ſane nefaria, ac impia tamquam a Cypriano geſta, antequam Chriſto crederet, leguntur: qui quidem liber, adnotante Fello, Conſtantini ævo vulgatus eſt, ac propterea antiquis etiam Patribus notus, quibus & fucum fecit. Ejuſmodi opus Eudoxia Imperatrix Theodoſii Junioris uxor verſibus exornavit, teſte Photio, ac tribus diſtinxit libris: quorum primo Juſtinæ converſionem, ac invictum virginitatis propoſitum refert, Cypriani deinde facinora, ac ſcelera, converſionem poſtea, baptiſmum, Oſtiarii munus, & Epiſcopatum. Libro ſecundo Cyprianus ſcelerum ſuorum ſeriem texit, magicaſque commemorat artes, quibus ſeipſum, alioſque deceperat: nefariæ tandem vitæ faſtidium, ac deſperationem ob ſcelerum immanitatem, e quibus Euſebii cujuſdam presbyteri opera, & exhortatione eripitur. In tertio denique libro Juſtinæ, & Cypriani martyrium narratur: opus quidem latine, & græce inter Cypriani ſcripta editum, quod antiquitate ſua, tum Nazianzeni, & Eudoxiæ ſuffragio apud nonnullos fidem invenit; quæ tamen, ſi vera ſunt, ad alterum Cyprianum, quem Antiochenum fuiſſe acta ipſa teſtantur, pertinent; nunquam vero ad eum, de quo agimus, Carthaginenſem Epiſcopum, quem in unum immerito confuderunt Nazianzenus, & Prudentius, de quibus hæc Nazianzenus: *Cyprianus Magus quondam Car-*

An Cyprianus magiæ deditus fuerit, & Juſtinæ amoribus.
Aug. Serm. 311.
Cypr. oper. pag. 196. in app.
Phot. Bibl. Cod. 184.
Nazianz. orat. 18.

JESU CHR. AN. 248. *Carthaginenſium, nunc autem totius Orbis nomen*; & infra: *neque enim Carthaginenſi tantum Eccleſiæ præficitur, verum etiam Occiduis omnibus regionibus*: quo loco & ejuſdem eloquentiam, & opuſcula laudat, ut non alium, quam Carthaginenſem præ oculis habuiſſe appareat. Prudentius vero:

Prudent. cor. Martyr. Hym. 13.

Unus erat juvenum doctiſſimus artibus ſiniſtris
Fraude pudicitiam perfringere, nil ſacrum putare,
Sæpe etiam magicum cantamen inire per ſepulcra.

Ne vero Antiochenum fortaſſe Cyprianum quæramus, ſubdit:

Eſt proprius patriæ Martyr, ſed amore, & ore noſter.
Incubat in Libya ſanguis, ſed ubique lingua pollet.
Lætior interea jam Taſcius ob diem ſuorum
Siſtitur indomiti Proconſulis eminus furori.

Baluz. ad Op. Cypr. in App. Fell. ibid. Baſnag. ann. 248. 6.

Sed de duobus Cyprianis, Charthaginenſi ſcilicet, & Antiocheno, plura videri poſſunt apud Fellum, Baluzium, alioſque.

JESU CHRISTI AN. 249. FABIANI PAPÆ 14.
DECII IMPERATORIS 1.
COSS. FULIO ÆMILIANO II., ET AQUILINO.
OLYMPIAD. 257. AN. 1. URBIS AN. 1002.

Philippus occiditur, eique Decius ſuccedit.

1. Nonnullas per Romanum Orbem ſeditiones hoc anno excitatas fuiſſe, Hiſtorici narrant, quarum cauſa Philippus Imperator una cum Filio Imperii conſorte periit. Jotapianus itaque, quem Papianum Zoſimus vocat, in Oriente primum rerum potitus eſt; cujus tamen Imperium momentaneum, ac ſomnio ſimile fuit: de quibus hæc Dionyſius Alexandrinus Epiſcopus: *Secuta deinde ſeditio, & bellum civile miſeros excipiens, crudelitatem, qua in noſtros* (ideſt Chriſtianos) *graſſati fuerant, in ipſos mutuo convertit*. Perículoſior ceteris ea ſeditio fuit, quam in Pannonia legiones excitantes Marinum Imperatorem dixerunt: unde turbatus Philippus, Senatum congregans, auxilium, conſiliumque ab eo poſtulavit, & ſi Imperio indignus cenſeretur, ſe abdicaturum ſpopondit. Cum autem omnes præ timore obmuteſcerent, Decius Imperatorem, ut bono animo eſſet, hortatus eſt, nullamque trepidandi cauſam adeſ-

Euſeb. lib. 6. 41.

adeſſe commonſtrans, brevi ſeditiones compeſcendas fore dixit: quod & eventus probavit; nam Marinus paulo poſt larvatum Imperium cum vita amiſit. Philippus interea Decium, ut legionibus in Pannonia præeſſet, deſtinavit, quo ut advenit, ab exercitu purpura amictus Imperator ſalutatur. Philippus vero adverſus Decium Italiæ finibus adventantem profectus eſt, pugnaque ad agrum Veronenſem inita, cum maxima ſui exercitus parte occubuit: ac demum poſt patris interitum, Philippo juniore, qui duodecimum annum vix attigerat, a prætorianis Romæ interfecto, Imperium Decius, nullo reſiſtente, invaſit. Hunc annum Philippi Imperatoris ultimum fuiſſe, eruditi conſentiunt: quod & multis confirmant argumentis, ac præ ceteris ex inſcriptione legis primæ Codice de revocandis donationibus, quæ Kal. Julii Emiliano, & Aquilino Coſs. data eſt, ideſt hoc anno Philippo Aug., & ex lege ſecunda de hæreditariis actionibus decimo quarto Kal. Novemb., iiſdem conſulibus, data, Decio Auguſto, cum Philippo ſucceſsiſſet. Unde inter Kal. Julias, & 14. Kal. Novemb. Philippum e vivis anno Imperii ſexto ereptum fuiſſe patet, quum annos ſeptem regnaſſet, ut ſcribit Euſebius: *Philippo, cum ſeptem annos regnaſſet, ſucceſſit Decius*. Baronius vero illius interitum ad annum uſque 253. diſtulit, Veronenſis inſcriptionis auctoritate deceptus, qua anno Chriſti 253. Philippum necatum fuiſſe legitur. Falſam tamen eſſe, vel ipſa Dionyſiana æra aperte teſtatur, quæ ſæculo tantum ſexto inventa eſt. Inter divos autem relatos fuiſſe Philippos, auctor eſt Eutropius: ex quo, *illud conjicimus*, ait Baronius, *ſic eos chriſtiana fuiſſe Religione initiatos, ut tamen nullum ob eam cauſam negotium faceſſiverint gentiliciæ ſuperſtitioni*, cui certe moleſtiam non attulerunt, iiſdem ſuperſtitionibus ad obitum uſque addicti; nam quæ de Chriſtiana fide ab iiſdem ſuſcepta a nonnullis traduntur, figmenta eſſe ſupra jam diximus: etſi inter Martyres etiam Philippos Petrus de Natalibus recenſuerit.

Zozim. lib. 1. 21. Tillemont. hiſt Imp. tom. 3. pag. 503. Pag. Murator. hoc an. Baſnag. Pearſ. annal. Cypr.

Euſeb. lib. 6. 39. Bar. an. 253.

Petrus de Natal. lib. 11. Tillem. tom. 3. hiſt. Imp. pag. 274.

2. Non ignobili quidem familia Decium Budalæ in Pannonia natum, Quintum Meſium, Trajanum etiam appellatum, animi corporiſque dotibus excelluiſſe, gentiles hiſtorici tradunt. *Vir erat*, ait Victor, *artibus cunctis, virtutibuſque inſtructus, placidus, & communis domi, in armis promptiſſimus*. Quidquid tamen de Decii moribus narrent Gentiles, ejus adhuc memoriam deteſtantur Chriſtiani, & ut ait La-

De Decii origine, moribuſque.

Lact. de mort. perſeq.

JESU CHR. AN. 249.

Corrupti Chriſtianorum mores a Deo caſtigantur. Cypr. de lapſis pag. 373.

Lactantius: *Execrabile animal Decius, qui vexaret Eccleſiam, quis enim juſtitiam niſi malus perſequatur?* quo tamquam flagello uſus eſt Deus ad corrigendos fidelium mores longa pace corruptos. *Quia traditam nobis*, inquit Cyprianus de eodem alloquens, *divinitus diſciplinam pax longa corruperat, jacentem fidem, & pene, ut ita dixerim, dormientem cenſura cæleſtis erexit*: ita ut quæ tunc acciderunt, exploratio potius, quam perſecutio viderentur. Obliti ſiquidem chriſtiani, quid credentes ſub Apoſtolis ante fuiſſent, inſatiabili cupiditatis ardore plerique ampliandis facultatibus incubabant: vix in ſacerdotibus religionis devotio, ac in ceteris Eccleſiæ miniſtris fides integra ſupererat: in operibus miſericordia, in moribus diſcipliua penitus exulaverat: nec ſolum jurare, ſed & pejerare, cum infidelibus vero connubia inire, ac Chriſti membra gentilibus proſtituere, commune erat; ita ut in Clero & populo omnia vitiorum genera redundarent, ut pluribus narrat Cyprianus.

Chriſtianorum ignavia in Decii perſecutione. De lapſis pag. 89.

3. Hinc factum, ut, exorta perſecutione, Fidelium quamplurimi a Chriſti fide deſciverint, quorum lapſus idem lamentatur Cyprianus: *Ad prima ſtatim verba minantis inimici maximus fratrum numerus fidem ſuam prodidit, nec proſtratus eſt perſecutionis impetu, ſed voluntario lapſu ſe ipſe proſtravit*; & poſt aliqua: *Non expectaverunt ſaltem, ut aſcenderent apprehenſi, ut interrogati negarent. Ante aciem multi victi, ſine congreſſione proſtrati, nec hoc ſibi reliquerunt, ut ſacrificare idolis viderentur inviti: ultro ad forum currere, ad mortem ſponte properare, quaſi hoc olim cuperent, quaſi amplecterentur occaſionem datam, quam ſemper optaſſent. Multis demum proprius interitus ſatis non fuit, hortamentis mutuis in exitium ſuum populus impulſus eſt, mors invicem lethali poculo propinata eſt. Ac ne quid deeſſet ad criminis cumulum, infantes quoque parentum manibus, vel impoſiti, vel attracti: amiſerunt parvuli, quod in primo ſtatim nativitatis exordio fuerant conſecuti.*

Chriſtianorum plurimi in perſecutione lapſi. Euſeb. lib. 6. 41.

4. Eadem fere Alexandriæ contigiſſe narrat Dionyſius: *Continuo imperii illius erga nos benigniſſimi mutatio nobis nuntiata eſt, & graviſſimus nobis minarum terror intentabatur. Jamque aderat edictum Imperatoris, illud ipſum fere, quod a Domino noſtro prædictum eſt, horrificum, atque terribile exhibens, adeo ut ipſi etiam electi, ſi fieri poſſet, ſcandalum*

Digitized by Google

lum paterentur. Tunc omnes exterriti ſunt: ex illuſtrioribus autem plurimi præ metu ſtatim occurrerunt. Qui rem publicam adminiſtrabant, ipſa actuum ſuorum neceſſitate pertracti veniebant. Alii a notis, & familiaribus adducebantur, & nominatim citati, ad impura & profana ſacrificia accedebant, nonnulli quidem pallidi ac tremebundi, quaſi non ſacrificaturi, ſed ipſi potius victimarum loco idolis immolandi eſſent, adeo ut a circumſtante multitudine deriderentur; quippequi palam omnibus oſtenderent, ſe tum ad moriendum, tum ad ſacrificandum puſillo animo eſſe. Alii demum aut ſe in fugam dabant, aut promptius ad aras accurrentes ſe Chriſtianos fuiſſe negabant. Hanc vero Eccleſiarum devaſtationem revelatione divina futuram didicerat Cyprianus, ut in epiſtola ad Clerum narrat. Nec tamen defuerunt conſtantiores fidei athletæ, & veri Iſraelitæ, qui ante Baal genua non curvaverunt, ut ſequenti anno videbimus.

JESU CHR. AN. 249.

Cyprianus inſtantem perſecutionem revelatione didicit. *Cypr. epiſt. 7.*

JESU CHRISTI AN. 250. SEDE ROMANA VACANTE.
DECII IMPERATORIS 2.
COSS. DECIO AUG. II., ET ANNIO GRATO.
OLYMPIAD. 257. AN. 2. URBIS AN. 1003.

1. Quæ anno proximo adverſus Eccleſiam a Decio excitata perſecutio, ac per totum Orbem propagata fuit, innumeros plane Martyres Cœlo dedit: de quibus priuſquam ſingillatim agamus, aliqua de ejuſdem atrocitate prænotanda ſunt. Hanc ſæviſſimam fuiſſe Scriptores eccleſiaſtici tradunt, cum veteres, tum recentiores, uno Dodwello excepto, qui eos fabulatores, & iniquiſſimos idcirco appellat, quod a Zoſimo, & Aurelio Victore Decius ingenio mitis dicatur, ac Trajani, & optimi principis titulo vivens adhuc a Senatu exornatus, inter divos etiam poſt mortem fuerit aſcriptus. Hinc addit Chriſtianorum quidem plurimos carceribus fuiſſe mancipatos, gladio tamen vix aliquos percuſſos: *quæ Chriſtianos tractandi ratio, ut quam pauciſſimo ſanguine conſtaret, ipſius Chriſtianitatis excidium, miti illi, quod in eo principe celebratur, placidoque optime conveniebat ingenio. Si quid itaque adverſus Chriſtianos pro Reipublicæ bono ſæviendum eſſe judicavit, ſuperſtitioni detur, modum tamen pœnis nativa clementia impoſuit.* Non advertit ſane vir doctus iiſdem argumentis, quibus Decia-

De atrocitate perſecutionis Decianæ.

Differt. 11. in Cypr. §. 52. pag. 8.

cia.

Jesu Chr. An. 250.

cianam perſecutionem minuendam cenſuit, iiſdem, inquam, augeri potius; nam quo magis a gentilibus ſcriptoribus laudatus eſt Decius, eo infenſiori in Chriſtianos animo fuiſſe, comprobatur: hinc etſi diu carceribus detenti ſint Chriſtiani, id non Decianæ clementiæ tribuendum eſt, ſed Deciano in Chriſtianos odio, quo illorum fidei inſidiabatur. Differebantur itaque ſupplicia, ut ſqualore carcerum, inedia, fame, ſiti, repetitis etiam ſuppliciis, & quæſtionibus Confeſſorum conſtantia vinceretur: de quibus audiendus eſt Cyprianus: *Tormenta venerunt, & tormenta ſine fine tortoris, ſine exitu damnationis, ſine ſolatio mortis, tormenta, quæ ad coronam non facile admittant, ſed tandiu torqueant, quandiu deficiant.* Sub eadem perſecutione Hieronymus facinus inauditum narrat cujuſdam Præfecti, qui Martyrem tormentis invictum blanditiis, & voluptate vincere tentavit: *Multas*, inquit, *apud Ægyptum, & Thebaida Eccleſias tempeſtas ſæva populata eſt; voto enim tunc Chriſtianis erat pro Chriſti nomine gladio percuti. Verum hoſtis callidus, tarda ad mortem ſupplicia conquirens, animas cupiebat jugulare, non corpora; & ut ipſe, qui ab eo paſſus eſt, Cyprianus ait, volentibus mori, non permittebatur occidi. Cujus ut crudelitas notior fiat, duo memoriæ cauſa exempla ſubjecimus. Perſeverantem igitur in fide Martyrem, & inter equuleos, laminaſque victorem juſſit melle perungi, & ſub ardentiſſimo ſole ligatis manibus poſt tergum reſupinari; ſcilicet ut muſcarum aculeis cederet, qui ignitas ſartagines ante ſuperaſſet. Alium juvenili ætate florentem in amœniſſimos hortulos præcepit abduci, ibique inter lilia candentia, & rubentes roſas, cum leni juxta murmure aquarum ſerperet rivus, & molli ſibilo arborum folia ventus præſtringeret, ſuper extructum plumis lectum reſupinari; & ne ſe inde poſſet excutere, blandis ſerico nexibus irretitum relinqui. Quo cum recedentibus cunctis meretrix ſpecioſa veniſſet, cœpit delicatis ſtringere colla complexibus; & quod dictu quoque ſcelus eſt, manibus attrectare virilia, ut corpore in libidinem concitato, ſe victrix impudica ſuperjaceret. Quid ageret miles Chriſti, & quo ſe verteret, neſciebat; quem tormenta non vicerant, ſuperabat voluptas. Tandem cœlitus inſpiratus, præciſam morſu linguam in oſculantis ſe faciem expuit, ac ſic libidinis ſenſum ſuccedens doloris magnitudo ſuperavit.*

Cypr. epiſt. 11.

Hieron. in vita S. Pauli Eremit. tom. 2. edit. Veron.

Deciana perſecutio omnium ſæviſſima.

2. Sed quæ fuerit Deciana perſecutio, ex ſcriptoribus Dod-

Digitized by Google

Dodwello antiquioribus, fideque dignioribus videamus, de qua jam ſupra nonnulla ex Cypriano, & Dionyſio Alex. adnotavimus, multaque inferius dicenda ſuperſunt. Nunc, quæ Lactantius in eam rem adnotat, ſubdimus: *Extitit poſt plurimos annos execrabile animal Decius, qui vexaret Eccleſiam, & quaſi hujus rei gratia provectus eſſet ad illud principale faſtigium, furere protinus contra Deum cœpit, ut protinus caderet.* Hanc perſecutionem ſeptimam dicit Euſebius, quam odio adverſus Philippum excitatam fuiſſe, in hiſtoria tradit: *Philippo ſucceſſit Decius, qui præ odio adverſus Philippum perſecutionem intulit Eccleſiæ.* Aliam etiam Decianæ perſecutionis cauſam Niſſenus in eo collocat, quod aucto in immenſum fidelium numero, ab eiſdem undique ædificarentur templa, & oratoria; falſa vero Romanorum ſuperſtitio neglectui eſſet.

Jesu Chr. an. 250.

Lactant. de mort. perſecut. cap. 4.

Euſeb. Chr. & in hiſt. lib. 6. cap. 39.

Niſſen. in vita Greg. Thaumat.

3. Ad Martyrum nunc, Confeſſorumque glorioſa certamina enarranda delabimur, quorum primus fuit Fabianus Rom. Pontifex, ut qui dignitate anteibat, ceteros etiam martyrio præcederet. Eum 13. Kal. Febr., ideſt, die 20. Januarii coronatum tradunt veteres Pontificum catalogi, & martyrologia: Bucherii vero catalogus *duodecimo Kal. Feb.*. Nec multo poſt Moiſes presbyter cum aliis in carcerem conjecti ſunt, ut in Damaſi Chronico legitur: *Poſt paſſionem ejus*, ideſt Fabiani, *Moiſes & Maximus presbyteri, & Nicoſtratus diaconus comprehenſi ſunt, & in carcerem miſſi*: eiſque Celerinus addendus eſt, cujus avia Celerina, & patruus, & avunculus Laurentius, & Ignatius diu antea martyrium paſſi fuerant. Horum meminit ſæpe Cyprianus, qui & Celerinum *bonum, & robuſtum confeſſorem* vocat, de quo & Cornelius in ſua ad Fabium Antiochenum epiſtola hæc habet: *Celerinus vir, qui cuncta tormentorum genera per Dei miſericordiam fortiſſime ſuſtinuit.* Alios etiam Romanæ Eccleſiæ Confeſſores recenſet Lucianus in ſua ad Celerinum epiſtola: *Salutate Confeſſores Domini, qui ibidem vobiſcum ſunt, quorum nomina ſignificaſti; inter quos Saturninus cum omnibus ſuis, ſed & collega ejus, & Macharius, Cornelia, & Emerita, Calphurnius, & Maria, Sabina, Ipeſina, & ſorores Januaria, Dativa, Donata. Salutamus cum ſuis Saturum, Baſſianum, & univerſum Clerum, Uranium, Alexium, Quintianum, Colonicam, & univerſos, quorum nomina non ſcripſi, quia jam laſſus eram.*

Fabianus Pontifex martyr occubuit.

De Romanis confeſſoribus Moiſe, Maximo, Nicoſtrato, Celerino, & aliis.

Euſeb. lib. 6. 43.

Cypr. epiſt. 22.

Jesu Chr. An. 250.

Celerini ſollicitudo pro ſorore ſua, quæ lapſa erat.

Cypr. epiſt. 21.

4. Celerini in fide conſtantiam non eſt æmulata ejuſdem ſoror, hac eadem perſecutione lapſa: de qua hæc idem ad Lucianum ſcribit: *In magna tamen tribulatione conſtitutum me ſcias ...; & ideo peto, ut annuas deſiderio meo, & mecum doleas in morte ſororis meæ, quæ cecidit in hac vaſtatione a Chriſto. Sacrificavit enim, & exacerbavit Dominum noſtrum; pro cujus factis ego in lætitia Paſchæ flens die, ac nocte in cilicio, & cinere lacrymabundus dies exegi, & exigo uſque in hodiernum*; & poſt aliqua in eamdem rem: *Rogo itaque, domine, & peto per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ut ceteris collegis tuis, fratribus tuis, & meis dominis referas, & ab eis petas, ut quicumque prior veſtrum coronatus fuerit, iſtis ſororibus noſtris Numeriæ, & Candidæ tale peccatum remittat.*

Sedes Romana ultra annum vacans.

Euſeb. lib. 6. 39.

5. *Cum in Decii perſecutione Fabianus Romæ martyrium pertuliſſet, in ejus locum Cornelius ſubrogatus eſt*, ait Euſebius. Quæ tamen non ita intelligenda ſunt, ut Fabiano defuncto, illico Cornelius fuerit ordinatus; nam ex mutuis Cyprianum inter, & Clerum Romanum epiſtolis ſcimus, longo tempore Romanam Sedem vacaſſe, ſaltem ultra annum. Cum enim aut in carcere conſtituti, aut extorres, & exules eſſent Romanæ Eccleſiæ presbyteri, in unum convenire non poterant, ut viduatæ Eccleſiæ Paſtorem darent; quum præcipue in ſacerdotes eo tempore Decius ſæviret, &, ut ait Cyprianus, *multo patientius audiſſet levari adverſum ſe æmulum Principem, quam conſtitui Romæ Dei Sacerdotem*. Et quidem

Cypr. epiſt. 55.

ex eodem Cypriano id ipſum conſtat, qui ſequenti anno ad finem vergente, cum adhuc Sedes vacaret, ad Confeſſores Romæ in vinculis detentos ſcribens, ipſis gratulatur, quod

Cypriani epiſtola 37. ad Confeſſores Rom.

illorum ærumnas ultra anni ſpatium jam pertuliſſent: *Eant nunc*, inquit, *Magiſtratus, & Conſules, ſive Proconſules annuæ dignitatis inſignibus, & duodecim faſcibus glorientur: ecce dignitas cœleſtis in vobis honoris annui claritate ſignata eſt, & jam revertentis anni volubilem circulum victricis gloriæ diuturnitate tranſgreſſa eſt*. Ad quem Confeſſores ipſi de lapſorum cauſa reſcribentes, dilatam fuiſſe Rom. Pontificis

Cypr. epiſt. 30.

ordinationem innuunt: *Quamquam nobis differendæ hujus rei neceſſitas major incumbat; quibus, poſt exceſſum nobiliſſimæ memoriæ viri Fabiani, nondum eſt Epiſcopus, propter rerum & temporum difficultates, conſtitutus*. De Fabiani martyrio ad Cy-

Cypr. epiſt. 9.

pria-

prianum ſcripſiſſe Romanum Clerum, ex ejuſdem Cypriani epiſtola novimus, in qua legitur: *Cum de exceſſu boni viri collegæ mei rumor apud nos incertus eſſet, fratres cariſſimi, & opinio dubia nutaret, accepi a vobis litteras ad me miſſas per Clementium hypodiaconum, quibus pleniſſime de glorioſo ejus exitu inſtruerer; & exultavi ſatis, quod pro integritate adminiſtrationis ejus conſummatio quoque honeſta proceſſerit; in quo vobis quoque plurimum gratulor, quod ejus memoriam tam celebri, & illuſtri teſtimonio proſequamini, ut per vos innoteſceret nobis, quod & vobis eſſet circa Præpoſiti memoriam glorioſum, & nobis quoque fidei, ac virtutis præberet exemplum*. Sed de Fabiani martyrio, & vacatione Sedis hactenus.

Fuga Cypriani Epiſcopi.

6. Quum eadem Deciana perſecutio Carthagine ſæviret, plurimique aut extorres, aut carceribus detenti eſſent; Cyprianus perſecutionem effugiens, ſponte exulatum ivit, ſeſeque abſcondit, ut Pontius narrat in ejus Vita: *Vultis ſcire ſeceſſum illum non fuiſſe formidinem, ut nihil aliud excuſem, ipſe poſtmodum paſſus eſt, quam paſſionem utique vitaret, ſi & ante vitaſſet. Fuit vero formido illa, ſed juſta: formido, quæ Dominum timeret offendere, formido, quæ præceptis Dei mallet obſequi, quam ſic coronari. Dicata enim in omnibus Deo mens, & fides divinis admonitionibus mancipata credidit ſe, niſi Domino latebram tunc jubenti paruiſſet, ipſa etiam paſſione peccare*. At vix Cyprianus ſe a perſecutione ſubtraxerat, cum furens populus Carthaginenſis repetitis eum clamoribus ad leonem ſæpe petivit, quare idem Pontius: *Maxime cum repetitis ſuffragiis ad leonem poſtularetur*; idem vero Cyprianus ad Cornelium: *Quando Epiſcopus plebi ſuæ in Epiſcopatu quadriennio jam probatus, in quiete ſerviens diſciplinæ, in tempeſtate proſcriptus, applicito, & adjuncto Epiſcopatus ſui nomine, toties ad leonem petitus, in circo, in amphitheatro &c.* Eum tamen etſi abſentem a Proconſule damnatum fuiſſe, addito etiam Epiſcopatus titulo, idem teſtatur in epiſtola ad Florentium Pupianum Schiſmaticum, qua per ironiam hæc habet: *Perſecutio enim veniens te ad ſummam martyrii ſublimitatem provexit, me autem proſcriptionis onere repreſſit, cum publice legeretur: Si quis tenet, vel poſſidet de bonis Cæcilii Cypriani Epiſcopi Chriſtianorum; ut etiam qui non credebant Deo Epiſcopum conſtituenti, vel diabolo crederent Epiſcopum proſcribenti*; cum ſcilicet ipſe Proconſul Cypr. epiſt.66.

Digitized by Google

JESU CHR. Chriſtianorum Epiſcopum Cyprianum dixiſſet.

AN. 250.

Cyprianus pro ſe ipſo Apologiam ſcribit.

Cypr. epiſt. 8.

7. Cypriani fugam ignaviæ nonnulli tribuerunt: nec ab hac opinione abhorruit Romanus Clerus, ut ejuſdem ad Eccleſiam Carthaginenſem epiſtolæ teſtantur. Divino tamen conſilio eum tunc latuiſſe, potius exiſtimandum eſt; nam eo tempore, teſte Pontio, nulla preſſus formidine, ſed libera quidem mente luculenter docuit *lapſos pœnitentiam, ſchiſmaticos unitatem, veritatem hæreticos, filios Dei pacem, evangelicæ precis legem*, ideſt, tractatus edidit de lapſis, de unitate Eccleſiæ, de oratione dominica, alioſque. Plurimis etiam epiſtolis Eccleſiam ſuam, non aliter ac ſi præſens eſſet, ad pietatem informavit, quarum ſummam, vel catalogum tantum referre moleſtum eſſet. Inter cæteras ad Romanum Clerum Apologeticam quodammodo epiſtolam dedit Cyprianus, ut ſe ipſum ab ignaviæ nota vindicaret: *Quoniam comperi, fratres cariſſimi, minus ſimpliciter, & minus fideliter vobis renunciari, quæ hic a nobis, & geſta ſunt, & gerantur, neceſſarium duxi has ad vos litteras facere, quibus vobis actus noſtri, & diſciplinæ, & diligentiæ ratio redderetur. Nam ſicut Domini mandata inſtruunt, orto ſtatim turbationis impetu, primo cum me clamore violento frequenter populus flagitaſſet, non tam meam ſalutem, quam pietatem fratrum publicam cogitans, interim ſeceſſi, ne per inverecundam præſentiam noſtram ſeditio, quæ cœperat, plus provocaretur.* Interea etſi corpore abeſſet, officio tamen ſuo non defuit, ut epiſtolæ ab eo tunc ſcriptæ teſtantur, ex quibus tredecim Romam miſit: atque inter cætera, quos aut tormenta ſuſtinuiſſe, aut in carceribus detentos noverat, litteris ſuis conſolari, ac in propoſito confirmare curavit; quia vero nonnullos compererat ſacrilegis ſacrificiis pollutos, vel nefandis libellis inquinatos Martyres paſſim & Confeſſores importuna deprecatione adire, quibus etiam ſine diſcrimine, atque examine quotidie darentur libellorum millia; *litteras feci*, inquit, *quibus Martyres, & Confeſſores conſilio meo quantum poſſem ad Dominica præcepta revocarem*. Presbyteros quoque, & diaconos, qui diſciplinæ immemores, & temeraria feſtinatione cum lapſis communicare præſumpſerant, graviſſime arguit, plebiſque vota, pacem & communionem præpoſtere expoſcentis, fortiter compeſcuit.

Epiſt. 20.

Quid Carthagine paſſi ſint Chriſti Confeſſores.

Cypr. epiſt. 22.

8. Quouſque autem Carthagine Deciana ſævierit perſecutio, Luciani ad Celerinum epiſtola indicat, qua habet: *Scire*

re debuiſti quod circa nos actum ſit, cum benedictus Martyr Paulus adhuc in corpore eſſet, vocavit me &c., ut pacem ſcilicet poſt tranſitum ſuum lapſis daret. Deinde de anguſtiis, quibus Confeſſores in carceribus vexabantur, addit: *Cum juſſi ſumus, ſecundum præceptum Imperatoris, fame, & ſiti necari, & recluſi ſumus in duabus cellis, itaut nos afficerent fame, & ſiti, ſed & ignis vapore, & preſſura noſtra intolerabilis erat, quam nemo portare poſſet, ſed nunc ipſam claritatem ſumus conſecuti, & ideo, frater cariſſime, ſaluta Numeriam, & Candidam, quæ ſecundum Pauli præceptum, & ceterorum Martyrum, quorum nomina ſubjicio, Baſſi, qui in petrario damnatus*, ſcilicet fodiendis, aut ſecandis lapidibus, obiit. Mappalici in quæſtione, Fortunionis in carcere, Pauli a quæſtione, Fortunæ, Victorini, Victoris, Hereni, Credulæ, Herenæ, Donati, Firmi, Venuſti, Fructi, Juliæ, Martialis, & Ariſtonis, qui in carcere fame necati ſunt, *quorum & nos ſocios futuros intra dies audietis. Jam enim ut iterato recluſi ſumus, ſunt dies octo in die, quo tibi litteras ſcripſi; nam & ante dies octo, per dies quinque medios, modicum panis accepimus, & aquam ad menſuram*. Hæc Lucianus de tribulationibus, quibus in carcere affligebantur Chriſti Confeſſores, quorum plurimi martyrii coronam ibidem adepti fuerant. His addendi ſunt, qui ob eamdem cauſam extorres erant, de quibus Cyprianus in epiſtola ad Clerum ſuum: *Ceterum quam irreligioſum eſt, & ipſis quoque feſtinantibus perniacioſum, ut cum extorres facti, & patria pulſi, ac bonis ſuis omnibus ſpoliati nondum ad Eccleſiam redierint quidam de lapſis, confeſſores ipſos prævenire, & ante ad Eccleſiam introire feſtinent*. Qui autem patria pulſi, boniſque ſpoliati fuerant, Confeſſoribus merito accenſet Cyprianus, quorum aliqui judicum ſententia ſolum verterant, alii ſponte, ne fidei jacturam facerent, juxta Chriſti monitum, ex uno in alium tranſibant locum.

JESU CHR. AN. 250.

Cypr. epiſt. 19.

9. Martyribus quoque, & Confeſſoribus gratulatus eſt Cyprianus: *Exulto, ait, lætus, & gratulor, fortiſſimi ac beatiſſimi fratres, cognita fide, ac virtute veſtra, in quibus Mater Eccleſia gloriatur*; & cum multa de ipſorum invicta fortitudine dixiſſet, tandem ſubdit: *Quibus ego vos laudibus prædicem, fortiſſimi fratres? Robur pectoris veſtri, & perſeverantiam fidei, quo præconio vocis exornem? Toleraſtis uſque ad*

Cyprianus martyribus, & confeſſoribus gratulatur. *Cypr. epiſt. 10.*

Jesu Chr. an. 250.

ad conſummationem gloriæ duriſſimam quæſtionem, nec ceſſiſtis ſuppliciis, ſed vobis potius ſupplicia ceſſerunt. Finem dolorum, quem tormenta non dabant, coronæ dederunt. Laniena gravior ad hoc diu perſeveravit, non ut ſtantem fidem dejiceret, ſed ut homines Dei ad Dominum velocius mitteret; & poſt pauca: *Steterunt torti torquentibus fortiores, & pulſantes ac laniantes ungulas, pulſata, ac laniata membra vicerunt. Inexpugnabilem fidem ſuperare non potuit ſæviens diu plaga repetita, quamvis, rupta compage viſcerum, torquerentur in ſervis Dei jam non membra, ſed vulnera: fluebat ſanguis, qui incendium perſecutionis extingueret, qui flammas & ignes gehennæ glorioſo cruore ſopiret. O quale fuit illud ſpectaculum Domino, quam ſublime, quam magnum, quam Dei oculis ſacramento, ac devotione militis ejus acceptum &c.* Mappalicum deinde nominatim laudat, qui inter tormenta martyrio eſt coronatus, quod etiam ceteris, qui in carceribus detinebantur, exoptat.

Qualem curam abſens de grege ſuo habuerit. *Cypr. epiſt. 12. 14.*

10. Carthaginenſi Clero, vigente adhuc perſecutione, ſcribens, abſentiam ſuam excuſat, tum presbyteros, diaconoſque admonet, ut Confeſſorum curam gererent, & dies adnotarent, quibus Martyres excederent: *Denique & dies eorum*, ait, *quibus excedunt, adnotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus*: cumque hactenus in exilio oblationes, & ſacrificia in Martyrum commemorationem obtinuiſſet, ut idem quantocius cum ſuo grege offerre poſſet, cupere ſe teſtatur; & ut pauperum indigentiis proſpicerent, eorum præcipue, qui ob fidei confeſſionem in carceribus adhuc detinebantur, ſæpiſſime inculcat. Hæc, aliaque plura ex ſuis latebris Cyprianus, ſollicitudinem maximam gerens, ut vivis æque, ac mortuis, Confeſſoribus, & Martyribus debitus præſtaretur honos. Confeſſorum autem, pauperum, viduarum, peregrinorum neceſſitatibus largiter & ipſe ſubveniebat: *Sumptus ſuggeratis de quantitate mea propria, quam apud Rogatianum compresbyterum noſtrum dimiſi, quæ quantitas ne forte jam univerſa erogata ſit, miſi eidem per Naricum Acolythum aliam portionem, ut largius, & promptius circa laborantes fiat operatio*. Alia vero epiſtola non ſolum ut Confeſſorum, & pauperum curam haberent, hortatur, ſed ut caute, nec turmatim ad carceres ſive ſacerdotes, ſive laici irent, ne ſcilicet eorum frequentia invidiam crearet: qua epiſtola etiam ſcimus, ſacerdotes carceribus detentos frequenter ideo viſitaſſe, ut ibidem

Epiſt. 12. *Epiſt. 7.* *Epiſt. 5.*

dem ſacrificium offerrent. Quare ſubdit: *Conſulite ergo, & providete, ut cum temperamento hoc agi tutius poſſit, itaut presbyteri quoque, qui illic apud Confeſſores offerunt, ſinguli cum ſingulis diaconis per vices alternent, quia & mutatio perſonarum, & viciſſitudo convenientium invidiam minuit*. Sed de his, aliiſque a B. Cypriano primo perſecutionis anno geſtis, jam ſatis; ne cuncta adnotando, Annalium moles in immenſum excreſcat.

JESU CHR. AN. 250. Sacrificii oblatio in carceribus facta.

11. Alexandriæ quidem, ut ait Dionyſius, Deciana perſecutio *non ex Imperatoris edicto cœpta eſt, quippe quæ integro anno anteverterat*; ſed promulgatis poſtmodum Decii edictis, atrociſſime graſſata eſt. Quanta vero tunc Dionyſius pertulerit, in epiſtola ad Germanum pluribus idem perſequitur: *Ego vero coram Deo loquor, & ipſe ſcit me nunquam mentiri, nunquam mea ſponte nec ſine Dei nutu fugam inii... Sed cum perſecutionis edictum ſub Decio propoſitum fuiſſet, Sabinus Frumentarium, qui me requireret, eodem temporis momento miſit, atque ego quidem quatriduo domi manſi adventum ejus expectans*. At ille etſi omnia circumeundo perſcrutatus ſit, vias, fluvios, agros, ubi eum occultari, aut qua tranſiturum eſſe ſuſpicabatur; caligo tamen quædam ei obtutum ademerat, ne Dionyſii domum reperiret, quem, graſſante adverſus eum perſecutione, domo ſubſtitiſſe non putabat. Tandem præter omnium opinionem una cum famulis, multiſque ex fratribus egreſſus eſt: idque divinæ Providentiæ opus fuiſſe, rerum eventus poſtea declaravit: *Si quidem*, ut ipſe ait, *nonnullis fortaſſe haudquaquam inutiles fuimus*. Deinde poſt pauca de his, quæ fugienti contigerant, addit: *Ego quidem circa ſolis occaſum, una cum comitibus meis, a militibus comprehenſus, Taporiſim perductus ſum. Timotheus vero, Deo ita diſponente, tum quidem non adfuit, nec comprehenſus eſt. Sed cum poſtea adveniſſet, domum vacuam reperit, & ſatellites, qui eam cuſtodiebant, nos vero in ſervitutem adductos*. Se tamen e ſatellitum manibus vi ereptum fuiſſe, & qua ratione, ibidem refert. Quum enim ruſticus quidam, ad nuptiale convivium properans, eum captivum duci, a Timotheo audiviſſet, rem diſcumbentibus narravit, qui uno impetu, quaſi ſigno dato conſurrexerunt, & concitato curſu in Satellites cum clamore irruentes fugam arripere coegerunt. Supervenientes quidem latrones primo Dio-

Deciana perſecutio Alexandriæ graſſatur. *Euſeb. lib. 6. 40. & 41.*

Quomodo Dionyſius, Deo protegente, ſalvus evaſerit.

Digitized by Google

JESU CHR. AN.250.

Dionyſius agreſtium agminae a perſecutorum manibus liberatur.

Dionyſius exiſtimavit, ac cum in lecto eſſet, excepta tunica qua indutus erat, veſtes etiam iis porrexit; ſed ab eiſdem conſurgere, & quam celerrime proficiſci juſſus, eos rogabat, obteſtabaturque, ut abeuntes illic ſe ſe dimitterent, aut ſi bene mereri vellent, ſatellites potius prævenirent, ac ſibi caput abſcinderent: fruſtra tamen hæc aliaque dixit; nam invitum ſurgere, eoſque ſequi adegerunt. Dionyſium comitabantur Cajus, Fauſtus, Petrus, ac Paulus, qui eum ſuſcipientes, ex oppidulo deportarunt, ac aſiuo impoſitum abduxerunt.

De Martyribus Alexandrinis ſub Decio. *Euſeb. lib. 6. 41.* Julianus, Cronion, & Beſas martyrio coronati.

12. Alia autem epiſtola ad Fabium Antiochenum poſtquam de lapſorum multitudine, & ignavia nonnulla Dionyſius adnotavit, Martyrum Alexandrinorum, & Confeſſorum glorioſa certamina pluribus perſequitur. Horum primum Julianum fuiſſe narrat, virum podagræ doloribus adeo conſtrictum, ut nec ſtare, nec incedere poſſet, qui una cum duobus ſervis, qui ipſum portabant, captus eſt. Ex iis alter ſtatim negavit: alter nomine Cronion, quum Chriſtum una cum Domino confeſſus eſſet, per univerſam urbem, camelis impoſiti, flagris primo verberati, tandem ardenti rogo conſumpti, martyres occubuere. Miles vero, qui eos ad ſupplicium duxerat, adſtanteſque, & contumelias inferentes repulerat, Beſas nomine, conclamante adverſus eum populo in jus adductus, cum pro pietate ſtrenue ſe geſſiſſet, ſecuri & ipſe percuſſus eſt. Alius item oriundus ex Libya Macarius nomine, quum a judice ſollicitatus nullo modo, ut Chriſtum negaret, adduci potuiſſet, vivus comburitur.

Macarius Martyr.

Epimachus, & Alexander cum mulieribus quatuor gladio cæſi. *Euſeb. ut ſup.*

13. His vero addendi Epimachus, & Alexander, qui poſt diuturnum carceris ſqualorem, ferreos ungues, flagra, ac mille pœnarum genera perferentes, vivæ calcis incendio perierunt. Eumdem cum ipſis exitum ſortitæ ſunt quatuor mulieres, Ammonaria ſcilicet virgo ſanctiſſima, quæ a judice diutiſſime torta, ad ſupplicium tandem abducta eſt: reliquæ vero, Mercuria anus in primis veneranda, Ammonaria altera, & Dionyſia, plurimorum quidem liberorum mater, ſed quæ pignora ſua minori, quam Dominum, caritate complectebatur.

De Herone, aliiſque Martyribus Alexandrinis. *Euſeb. ut ſup.*

14. Horum fidem æmulatus eſt Hero, qui una cum Atere, Iſidoro, & Dioſcoro puero annorum circiter quindecim, uno tempore judici oblati, ac multis modis tentati, cum nec per-

perſuaſionibus, nec tormentis ceſſiſſent, igne tandem conſumpti ſunt. Dioſcorum vero, qui etſi puer ad omnes interrogationes ſapientiſſime reſponderat, judex dimiſit, ſpatium illi ad pœnitentiam ob ætatis infirmitatem concedens; *& nunc nobiſcum verſatur*, ait Dionyſius, *in majus, ac diuturnius certamen reſervatus*. Nemeſion etiam quidam Ægyptius, primum quidem falſo accuſatus, tamquam ſocius, & contubernalis latronum, cum apud Centurionem hanc calumniam a ſe depuliſſet, delatus poſtea ut Chriſtianus, ad Præfectum adductus, duplo graviora, quam reliqui latrones, tormenta ac verbera ſuſtinuit, ac igne conſumptus Martyr occubuit. Interea militum nonnulli, Ammon ſcilicet, Zeno, Ptolomæus, Ingenuus, atque Theophilus ante Prætorium ſtantes, cum Chriſtianum quemdam in judicium adductum in confeſſione titubantem vidiſſent, dentibus ſtridere, vultu innuere, manus extendere, ac totius ſimul corporis motus, geſtuſque edere cœperunt; itaut omnium in ſe oculos convertiſſent, ac priuſquam comprehenderentur, ſponte ad ſubſellium accurrentes, Chriſtianos ſe eſſe profeſſi ſunt. *Quo facto Præfectus, & Aſſeſſores, qui in conſilio aderant, metu perterriti ſunt. Ac rei quidem ipſi ad ea, quæ perpeſſuri erant, promptiſſimi, & confidentiſſimi cernebantur: judices autem ipſi contremiſcebant. Iſti igitur ex Prætorio ovantes proceſſerunt, exultantes ob fidei confeſſionem, cum Deus per ipſos glorioſe triumpharet*. Hactenus Dionyſius de iis, quæ Alexandriæ ea vigente perſecutione contigerunt.

Ammonis & ſociorum confeſſio fidei.

15. De ceteris, qui alibi pro fide certarunt, hæc ſummatim addit: *Sed & alii complures per oppida, & vicos a gentilibus diſcerpti ſunt*: ex quibus Iſchyrionem commemorat cujuſdam magiſtratum gerentis procuratorem, qui ab eo juſſus idolis immolare, cum minime obtemperaſſet, primum injuria, atque contumeliis affectus eſt: quæ omnia cum patienter ſuſtineret, prægrandi ſude transfixus per media viſcera, occubuit. Innumeri etiam eodem tempore in montibus, ac per ſolitudinem oberrantes, fame, & ſiti, frigore, ac morbis, & latronum, aut beſtiarum incurſu oppreſſi interiere: inter quos Chæremon Nili urbis Epiſcopus, qui una cum conjuge in Arabicum montem fuga delatus, ultra non eſt reverſus. Multi quoque non alia de cauſa a Saracenis capti, & in ſervi-

De aliis, qui in Ægypto paſſi ſunt, aut extorres facti. *Euſeb. lib. 6. 42.*

Chriſtianorum vexationes.

Jesu Chr. An.250.

tutem redacti ſunt, ex quibus alii ſoluto ingenti pretio vix tandem redempti fuerunt.

De Paulo primo Eremita.

Hier. in Vita Pauli tom.2.

16. Inter eos, qui patria extorres facti, ſolitudines, deſertaſque regiones petierunt, Paulus fuit Eremitarum Pater, cujus geſta Hieronymus conſcribens, ſub Decio, & Valeriano ea contigiſſe narrat: dubitari tamen vix poteſt hoc eodem tempore, Deciana perſecutione vigente, eum una cum aliis, de quibus Dionyſius loquitur, in ſolitudinem perrexiſſe. Decianam vero perſecutionem cum altera a Valeriano excitata Hieronymus conjungit, quia, extincto Decio, eam Gallus illico renovavit, & Gallo ac Voluſiano brevi ſublatis, Valerianus eamdem prorogavit, aut vix ſopitam excitavit. Hinc factum, ut aliqui perſecutionem ſub Decio, ſub Gallo, ſub Valeriano Imperatoribus factam pro una eademque habuerint; ac iidem Martyres ſub Decio paſſi, ſub Gallo, aut Valeriano dicantur: eaque propter addit Hieronymus Paulum ſolitudinem petiiſſe, cum Cornelius Romæ, & Cyprianus Carthagine ſubiere martyrium, qui ſub Valeriano coronati ſunt.

Paulus in eremum ſeceſſit.

17. Qua autem occaſione Paulus ſolitariam vitam amplexus fuerit, his fere verbis narrat Hieronymus. Cum ſæva tempeſtas Eccleſias Ægypti vexaret, apud inferiorem Thebaidam cum ſorore jam viro tradita, poſt mortem amborum Parentum, Paulus relictus annorum circiter quindecim vivebat, ibique litteris tam Græcis, quam Ægyptiacis apprime verſabatur, uſquedum perſecutionis vitandæ cauſa, relictis ſuis, in villam remotiorem, & ſecretiorem ſeceſſit. Verum

..... Quid non mortalia pectora cogit
Auri ſacra fames?

Sororis maritus, quem celare debuiſſet, prodere meditabatur, quin nec uxoris lacrymæ, aut communio ſanguinis, ab ſcelere revocare potuerint. Quod ubi Paulus intellexit, ad montium deſerta, ut periculum vitaret, confugit, ac paulatim progrediens, tandem reperit ſaxeum montem, ad cujus radicem haud procul ingens erat ſpelunca, quæ lapide claudebatur, eoque remoto, animadvertit intus grande veſtibulum, quod, aperto deſuper cœlo, patulis diffuſa ramis vetus palma con-

contexerat: fons etiam lucidiſſimus eodem loco oriebatur, qui potum dare poterat: quare ſubſiſtendum ibidem cenſuit. Jesu Chr. an.250.

18. Alexandrinis Confeſſoribus Origenem addimus, quem in Decij perſecutione acerbiſſima pertuliſſe narrat Euſebius, vincula ſcilicet, corporis cruciatus, & in intimo carceris receſſu ferrei torquis ærumnas, pedibus in nervo ad quartum uſque foramen diſtentis, inſuper ignium minas, aliaque ſupplicia a Gentilibus illata: ad quem, dum in vinculis eſſet, exhortatoriam epiſtolam Dionyſius dedit: *Eſt & Libellus de Martyrio ad Origenem ſcriptus*. Qua vero ratione illæſus abierit, non una eſt Eruditorum ſententia. Nonnulli enim, Epiphanio auctore, nefandi ſceleris, ſeu ſtupri ab Æthiope perpetrandi timore captum, idolis eum ſacrificaſſe tradunt: eamdemque Origeni maculam poſt Epiphanium in epiſtola ad quintam Synodum Juſtinianus, recentioreſque Græci inurunt. Quin tamen his aſſentiamur, obſtant in primis non ſolum Euſebii, & Rufini ſilentium, ſed & Hieronymi, ac Theophili Alexandrini, qui etſi nullam Origenem obtrectandi occaſionem prætermiſerint, hæc tamen ignorarunt. Quare, ut a Baronio adnotatum eſt, vel aliena manu ea, quæ de Origenis lapſu apud Epiphanium leguntur, inſerta ſunt, vel falſo vulgata rumore nimium credulus eadem de Origene tradidit Epiphanius: de quibus plura apud Baronium, aut Tillemontium videantur.

Quæ Origenes ea in perſecutione pertulerit. *Euſeb. lib.6. 39.* *Euſeb. lib.6. 46.* An Origenes idolis ſacrificaverit. *Epiph. hær. 64.* *Petav. in Epiph. hær. 64. & lib. de pond. & menſ. c.18.* *Huet. Origen. lib. 1. 4.* *Pag. ad ann. 253. n.6.* *Bar. an. 253. n.117. ad 124* *Tillem. tom. 4. pag. 547. & not. 22. p. 766.* *Valeſ. in not. ad Euſeb.*

19. De Palæſtinis Martyribus nonnulla etiam addenda ſunt, quorum primus Alexander Hieroſolymorum Epiſcopus fuit, vir decora ſenectute, & veneranda canitie conſpicuus, qui, teſte Euſebio, poſt præclaram Chriſtianæ fidei confeſſionem in præſidiali judicio editam, tandem in vinculis occubuit, in ejuſque locum Marabanes Epiſcopus renunciatus eſt. Ejuſdem meminit & Dionyſius in epiſtola ad Cornelium Romanum Pontificem: *Quod enim ad Alexandrum ſpectat, is in carcerem conjectus, beato exitu defunctus eſt*: quem etiam narrat Euſebius Hieroſolymis bibliothecam ædificaſſe, ex qua quamplurima ſe collegiſſe tradit: *Eadem tempeſtate multi Eccleſiaſtici viri doctrina excellentes floruerunt, quorum epiſtolas, quas ad ſe viciſſim ſcripſerunt, hactenus aſſervatas facile eſt reperire. Extant enim noſtra quoque ætate in Bibliotheca Æliæ Urbis ab Alexandro Eccleſiæ illius Epiſcopo conſtructa, ex qua nos uberrimam materiam ad argumenti hujus, quod præ*

De Alexandro Hieroſolym. Epiſcopo, & Martyre. *Euſeb. lib.6. 39.* *Euſeb. lib.6. 46.* *Lib. 6. 20.*

JESU CHR. AN. 250. *Hier. de Vir. Illuſt. cap. 62.*

manibus habemus tractationem in unum collegimus. Alexandrum igitur non ſolum pietate, & martyrio clariuſſe patet, ſed & eruditione, ac doctrina, quem propterea inter Scriptores eccleſiaſticos Hieronymus recenſuit.

De Babyla Antiochiæ Epiſcopo, & Martyre. *Euſeb. lib. 6. 39. Hier. de Vir. ill. in Alex. Epiph. de pond. & menſ. Chryſoſt. orat. de S. Babyla.*

20. Eadem Decii perſecutione *apud Antiochiam Babyla Epiſcopo poſt confeſſionem in vinculis mortuo, Fabius Eccleſiæ illi præficitur*, ait Euſebius, cui Hieronymus, & Epiphanius conſentiunt, dum eumdem ſub Decio martyrium ſubiiſſe narrant. Chriſoſtomus vero gladio percuſſum fuiſſe commemorat, atque una cum vinculis, eo ſic jubente, ſepultum fuiſſe: *Extant*, inquit, *etiam cum Babylæ cineribus compedes, Eccleſiarum præfectos omnes commonefacientes, ut vinciri, ut jugulari, ut quidvis pati oporteat, prompto atque alacri animo, ac magna etiam cum voluptate ſuſtinenda, ut concreditæ nobis libertatis ne leviſſimam quidem partem prodamus, aut contaminemus*. Hæc de Babyla Chryſoſtomus: cujus reliquiæ in Daphem ſepultæ, Juliani Apoſtatæ temporibus celebriores evaſere, ut ſuo loco dicturi ſumus.

Gregorius Thaumatur. cum ſuis perſecutionem declinat.

21. Decianis edictis, ad Chriſtianos perſequendos, vix indigebat Ponticæ regionis Præfectus, natura ſævus, & eiſdem infenſus; ſiquidem enſes, ignes, beſtias, ſcrobes ferreas, cruces, extinguendæ Religioni paraverat, adeo ut Gregorius Thaumaturgus Neoceſareæ Epiſcopus furorem ejus declinans, in ſolitudinem abierit, & ut idem facerent ſuæ Diœceſis fideles, auctor fuerit, factus cum infirmantibus infirmus: eaque agendi ratione quamplurimos pugna ſubtrahens, illæſos ſervavit, de quibus hæc Niſſenus: *Cum ergo tunc imbecillitatem naturæ vidiſſet vir ille magnus, utpote quod multi non poſſent pro pietate uſque ad mortem decertare, conſuluit Eccleſiæ, ut parumper cederet terribili irruptioni, dicens, eſſe melius fugiendo ſuas conſervare animas, quam, ſi ſtarent in acie certaminum, eſſe ordinum fidei deſertores. Et ut maxime perſuaſum eſſet hominibus, nullum animæ afferre periculum, ſi fuga fidem ſervarent, ſuo exemplo eis conſuluit, ut ſecederent: ipſe ante alios cedens vehementi periculo*.

Greg. Niſſ. in vita Greg.

Gregorius perſecutoribus inviſibilis redditur.

22. Cum igitur in ſolitudine & in montibus una cum diacono ſuo latitaret Gregorius, accidit, ut Gentiles, qui omnem undique locum perſcrutando excurrerant, ad eum accederent; at vir Dei, ut fidenti animo eſſet, diaconum admonuit, ipſeque interea extenſis manibus, ac defixis in cœ-

cœlum oculis Deum precabatur: ex quo factum, ut, quum Geniles ad eum accurriſſent, omnemque circumquaque locum ſcrutati eſſent, illico excederent dicentes, ſe neminem vidiſſe, niſi ſolas duas arbores a ſe invicem parum disjunctas. Arbores autem, quæ oculis eorum obverſabantur, Gregorius, ejuſque diaconus erant, qui tales ipſis, Deo ſic diſponente, apparuerant. JESU CHR. AN. 250.

23. Qui autem perſecutoribus præſens inviſibilis evaſerat, abſens econtra fidelibus, qui pro fide certabant, adjutor fuit, quod illuſtri exemplo confirmat Niſſenus. Nam cum quadam die pro more oraret, repente angi animoque turbari viſus eſt, quaſi qui ſpectaculum oculis, auribuſque ingratiſſimum ſuſtineret: cumque aliquandiu in oratione immobilis perſeveraſſet, confeſtim exhilaratus eſt, ac clara voce Deum collaudans, dixit: *Benedictus Deus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum*. Admirantibus autem, qui cum illo erant, ac rei cauſam ſciſcitantibus, dixiſſe fertur, quod illa hora nobilis quidam adoleſcens, Troadius nomine, divino fretus auxilio pro fide decertans, cum a lictoribus ad Præſidem perductus multa tormenta ea de cauſa pertuliſſet, martyrii tandem coronam adeptus fuerat: *hæcque ita facta eſſe, ut ipſe dixerat, ab ejus diacono exploratum, atque inventum eſt*.

Gregorius abſens præſto eſt certantibus, & maxime Troadio.

Pſal. 125.

Certamen Troadii.

24. Gregorii autem diaconus, & in fuga ſocius, ex idolorum Æedituo, mirabili quodam modo, ad Chriſti fidem converſus fuerat, ut hiſce fere verbis narrat Niſſenus. E ſolitudine ad urbem redeuntem nox, & vehementior pluvia Gregorium deprehenderat: quare una cum ſociis inſigne quoddam templum ingreditur, in quo qui colebantur dæmones, ad Æedituos aperte ventitabant, ut qui illic divinarent, & reſponſa redderent. Vir autem Dei dæmones quidem confeſtim exterruit, invocato Chriſti nomine, & Crucis figura aere expiato: ibique in orationibus, & hymnis decantandis evigilavit, uſque dum, reverſo die, cœpiſſet ultra progredi. Interea Æedituo mane cultum exhibenti conſuetum dæmones teſtati ſunt, non licere eis ultra templum ingredi propter eum, qui illic manſerat. Ille vero quibuſdam piaculis utens, & ſacrificia adhibens, dæmones conabatur rurſum in templum revocare, ſed perperam; ac propterea ira excandeſcens Gregorium offendit, acriter minitans, ſe & eum ad

Dæmon redditus mutus præſentia Gregorii.

Jesu Chr. an. 250.

ad magiſtratus delaturum, & manus illi allaturum, quod, cum eſſet Chriſtianus, & diis inimicus, auſus eſſet templum ingredi, ſuoque ingreſſu effeciſſet, ut non amplius in eis locis habitaret dæmonum operatio, quæ iu divinationibus præcipue enitebat.

Gregorius dæmoni, ut revertatur, imperat.

25. Gregorius vero cum iram Æditui repreſſiſſet, ac ſimul addidiſſet, ſe poteſtatem habere expellendi dæmones, & eos revocandi, cum vellet, pollicereturque ſe ea, quæ diceret, jam eſſe demonſtraturum; admiratus Ædituus, & magnitudine poteſtatis obſtupeſcens, rogavit, ut in his ipſis ſuam oſtenderet virtutem, & rurſum in templum reduceret dæmonia. *Cum Magnus autem ille hæc audiſſet, rupit brevem quamdam libelli particulam, & eam dedit Æditui, in ea impreſſa quadam voce imperante dæmonibus; hæc autem verba continebat ſcriptum: Gregorius Satanæ: Ingredere. Cum autem accepiſſet Ædituus libellum altari impoſuit. Deinde cum ei ſolitos obtuliſſet nidores, & inquinamenta, rurſus videt ea, quæ prius viderat, antequam a templo eſſent exterminati dæmones.*

Ædituus ad fidem convertitur.

His cognitis Ædituus cogitare cœpit, divinam quamdam virtutem in Gregorio potiorem eſſe, quam iu dæmonibus; ideoque ad illum reverſus, ſerio rogavit, ut myſterium diſceret, & quiſnam eſſet ille Deus, qui dæmonum naturam ſubjectam ſibi haberet: atque ita præcipua chriſtianæ Religionis myſteria edoctus, vix tamen Deum in carne humana apparuiſſe credebat. At cum repoſuiſſet Gregorius, chriſtianam fidem non confirmari verbis, ſed miraculis; Ædituus iterum ab eo quæſivit miraculum, quo tandem adductus eſt, ut fidei aſſentiretur. Sed *feſtiva Niſſeni narratio fidem a nobis non impetrat*, ait Baſnagius, nempe, quod dæmoni in ſuam ædem regredi Gregorius permiſerit, *quæ licentia vix ſine peccato dari potuit. Quod ſane mirum eſt ſcribendi genus, ac indigniſſimum viro ſancto commercium.* Non humano tamen ingenio divina metienda ſunt opera, nec viro ſanctiſſimo indignum fuit regreſſum diabolo in ædem permittere, aut imperare, non ut ibidem iterum hominibus illuderet, ſed ut divina magis potentia eluceſceret; ita ut & Ædituus, qui & Sacerdos erat, aliique ejuſdem regionis incolæ Chriſti virtutem admirati Evangelio crederent, ut accidiſſe veroſimillimum eſt.

Baſnagii cenſura refellitur. *Baſnag. ann. 240. n. 6.*

De S. Agatha Martyre.

26. Suos quoque Martyres Decianæ perſecutionis Sicilia commemorat, & celebrat: præ cæteris Agatham virginem,

cujus

cujus & in Canone fit mentio, & in Martyrologiis de eadem legitur: *Cataniæ in Sicilia natale S. Agathæ Virginis, & Martyris, quæ temporibus Decii Imperatoris ſub Quinctiano Judice poſt alapas, & carcerem, poſt equuleum & torſiones, poſt mamillarum abſciſſionem, poſt volutationem in teſtulis & carbonibus, tandem in carcere Deum precando conſumata eſt*. Quam & Damaſus Papa ſuis verſibus celebravit:

JESU CHR. AN. 250. *Martyr. Rom. die 5. Februar*

Martyris ecce dies Agathæ
Virginis emicat eximiæ:
Chriſtus eum ſibi qua ſociat,
Et diadema duplex decorat.

Damaſ. carm. 5.

Decianam perſecutionem in Sicilia ſæviſſe, ex epiſtola Cleri Romani ad Cyprianum conſtat, qua de differenda lapſis pace agitur: *Quales litteras in Siciliam quoque miſerimus ſubjectas habebis*, quibus ſcilicet eamdem diſciplinam ab Eccleſiis Siculis ſervandam eſſe Romanus Clerus juſſerat.

Cypr. epiſt. 30.

JESU CHRISTI AN. 251. CORNELII PAPÆ 1.
DECII IMPERATORIS 3.
COSS. TRAJANO DECIO AUG. III.,
ET Q. HERENNIO ETRUSCO DECIO CÆS.
OLYMPIAD. 257. AN. 3. URBIS AN. 1004.

1. Decianæ perſecutionis hiſtoriam perſequentibus celeberrima Pionii Acta ſe offerunt, quæ etſi aliquando ſuſpecta habuerit Baronius, re tamen maturius conſiderata, eadem ſincera, fideque digna cenſuit: cui & Eruditorum plurimi ſubſcripſerunt, uno, aut altero excepto, ſeverioris, ſeu immoderatioris critices ſtudioſo, inter quos Baſnagius, qui cum ea omnino non ſpernat, interpolata tamen eſſe ſcribit. De Pionii autem martyrio hæc ſummatim narrat Euſebius: *Celeberrimus quoque inter reliquos ejus temporis Martyres*, Decio ſcilicet imperante, *fuit Pionius, cujus ſingulas confeſſiones, ac libertatem in dicendo, atque coram populis ac Præſidibus pro fidei noſtræ defenſione peroraverit, conciones item de inſtitutione fidei, præterea cohortationes atque invitationes ad eos, qui perſecutionis tempore lapſi fuerant; allocutiones etiam & conſolationes, quas in carcere poſitus adeuntibus ipſum fratribus adhi-*

Pionii acta. *Tillem. to. 3. pag. 720. Baron. an. 254. Valeſ. in Euſeb. lib. 4. 15. Pearſon. diſſer. 2. de Roman. Pont. ſucceſſ. cap. 18. Baron. ann. 254. 1. 2. Baſnag. ann. 250.*

Digitized by Google

Jesu Chr. an.251. *adhibuit, quæ ſuper his tormenta, quantoſque dolores ſuſtinuerit; clavorum inſuper confixiones, & mirabilem in medio rogo conſtantiam, mortem denique ipſam, quæ cuncta illa miracula ſubſecuta eſt, ſi qui volent cognoſcere, eos ad epiſtolam de illius martyrio uberrime conſcriptam amandamus, quam nos in opere de priſcis Martyribus, quorum paſſiones collegimus, ordine ſuo inſeruimus*. Cum vero ejuſmodi liber deſideretur, Lectoribus non ingratum futurum fore putamus, ut deperditi Operis jacturam ex ipſis ſinceriſſimis Actis compenſemus; ita tamen, ut, brevitatis ſtudium retinentes, eorum ſummam exhibeamus.

Summa Actorum S.Pionii, & ſociorum.

2. *Secundo itaque die ſexti menſis, qui dies eſt quarto idus martias die Sabbati majore, Natale Polycarpi Martyris celebrantes Genuinum, Pionium, Sabinam, Aſclepiadem, Macedonium quoque, & Lemnum presbyterum Catholicæ Eccleſiæ vis perſecutionis invenit*. Cumque imminentem paſſionem Pionio Dominus revelaſſet, funis vinculo Sabinæ, & Aſclepiadis colla circumdedit, ut vel ipſi perſecutores ſcirent, nihil ſe novi eſſe facturos, intelligerentque, non eos ſicut cæteros eſſe ducendos, cum vincula, priuſquam juberentur, ſibi eſſent impoſita. Facta ergo oratione ſolemni, ac ſancto pane, & aqua deguſtatis, Polemon Neochorus, ſive Æditiuus advenit turba eorum ſtipatus, quos ad inveſtigandos Chriſtianos eidem Præſes ſociaverat. Qui ubi Pionium vidit: *Scitis*, inquit, *manifeſte Principis eſſe præceptum, quod ſacrificia celebrare vos jubeat?* Cui Pionius: *Scimus quidem præcepta, ſed illa ſola, quæ Deum nos venerari jubent*: quare ad forum perducti ſunt, ſtatim eo immenſa Paganorum, & Judæorum multitudine accurrente.

S. Pionii ad Judæos & Gentiles oratio.

3. Cum itaque Martyribus dixiſſet Polemon: *Bonum eſt, Pioni, & te ſicut cæteros obedire, ac juſſa complentes declinare ſupplicia*; Beatus Martyr, extenſa manu, ac læto, alacrique vultu tum Judæorum petulantiam, cum Gentilium immanitatem longa oratione coarguit, ac ſe ad omnia tormenta ſuſtinenda paratum, ſeu mori etiam potius, quam impuris ſacrificiis pollui profeſſus eſt. Ad theatrum itaque, populo ita poſtulante, perductis, Polemon ad Pionum, ait: *Si ſacrificare abnuis, ad templum veni*. Ille vero: *Non expedit, ut nos ad templa veniamus*. Tunc Polemon: *Ergo ita obſirmaſti animum, ut tibi perſuaderi non poſſit?* Et Pionius; *Utinam ego vos*,

Digitized by Google

vos, ut Chriſtiani eſſetis, movere, & perſuadere potuiſſem! Inter hæc cum Sabina riſiſſet, ad eam de adſtantibus unus veluti minitans, *Rides?* inquit, cui illa: *Rideo, ſi Deus vult; quia Chriſtiani ſumus*. Ad quam iterum: *Paſſura es*, inquit, *illa quæ non vis. Quæ non ſacrificant enim lupanaribus deputatæ præſtant meretricibus collegium, & lenonibus ſupplementum*. Cui & Sabina reſpondit: *Quidquid Deo placet*. Pionius autem ad Polemonem: *Si perſuadere juſſus es, aut punire, neceſſe eſt, ut punias, cum perſuadere non poſſis*: cujus ſermonis aſperitate permotus ad Pionum ait Polemon: *Sacrifica*. Cui Pionius: *Deo omnipotenti, qui fecit cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt, & nos omnes, qui nobis omnia præſtat, & tribuit, quem cognovimus per Verbum ejus Jeſum Chriſtum*. Dehinc Polemon: *Vel Imperatori ſacrifica*. Pionius vero: *Ego homini non ſacrificabo*. Poſt hæc juſſit Polemon, ut ſervata judicii forma, notarius dicta exciperet; atque ad Pionium converſus, de nomine, ac Religione primum interrogat: eodemque modò Sabinam, & Aſclepiadem interpellat. Sabina autem Theodora dici voluit, ne proprio nomine agnita, in manus impiæ Dominæ iterum incideret, a qua ſub Gordiano Principe, diu propter fidem Chriſti vexata fuerat, ut in Actis apud Bollandum legitur.

Pionius, & Socii in carcerem conjiciuntur.

4. Solemni fidei confeſſione edita, irriſiones inter & ludibria inſanæ plebis in carcerem ducuntur, ubi Lemnum catholicæ Eccleſiæ presbyterum, & Macedonium ſectæ Phrygum, ſeu Montaniſtarum inveniunt: ibique cum Pionius, ea, quæ a fidelibus offerebantur, recuſaſſet, ne alicui gravis videretur, cuſtodes irati, eo quod & ipſi iiſdem donis participare prohiberentur, in interiorem carcerem eos conjecere, ut omni humanitate, & luce viduati, tenebrarum caligine, ac fœtore durius vexarentur. At Chriſti Confeſſores omnia fortiter tolerantes, uſque dum ad largiorem cuſtodiam deducerentur, dies, noctesque lectioni, aut orationi una ſimul intenti tranſigebant. Qui vero perſecutionis acerbitate victi idolis ſacrificaverant, eodem detenti carcere, vicem ſuam dolentes in lacrymas fundebantur, quorum adſpectu Pionius vehementiſſime angebatur, ac præ ceteris Eudomenis Smyrnenſis Epiſcopi lapſum lamentabatur, qui exemplo ſuo ad fidei defectionem alios impulerat: nec ſine mira Dei providentia factum eſt, ut cum paſtor ad gregis necem lupus evaſiſſet, Pionius pres-

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 251.

byter una cum ſociis exulem quodammodo fidem glorioſa confeſſione revocaret.

Pionius ad Templum adducitur.

5. Tandem ut paucis plura complectar, juſſus Pionins e carcere egredi, atque ad templum ſacrificii cauſa pergere, cum ſponte ire detrectaret, fune ad collum alligata adeo vexatus eſt, ut præcluſo gutture ſpiritum vix haurire poſſet, atque apparitoribus traditus, ut una cum ſociis illata vi duceretur, ſe chriſtianos eſſe omnes inclamabant, & quod inviti aſſolent, ad terram ſeſe projecerunt, ut tardius, ac difficilius ad templum adducerentur. Pionium vero ſex apparitores portabant pariter, & trahebant: cumque jam feſſi cederent, latera ejus calcibus verberabant, ut aut leve onus præberet, aut victus dolore ſequeretur. Sed horum nihil profecit aſperitas, nec effectum habuit injuria; nam ita immobilis erat, quaſi ejus corporis pondus apparitorum calcibus adderetur: quare per vim ad aram delatis, Pionio, ejuſque in confeſſione ſociis, *cur non ſacrificatis?* ſevera voce judices dixerunt; illi vero ſe Chriſtianos eſſe repoſuerunt: dein poſt plurima, cum coronæ tamquam ſacrificaturis oblatæ eſſent, ac ſacerdos tepentia adhuc exta Pionio porrexiſſet; & ſacrificulum Pionius cum extis repulit, & coronas diſcerpit: cujus exemplo cum ceteri etiam ſacrificia reſpuerent, omnes alapis cæſi in carcerem iterum conjiciuntur.

Pionii & ſociorum altera confeſſio fidei, & martyrium.

6. In cuſtodiam itaque dum Confeſſores fidei inter furentis populi ludibria perducerentur, ex apparitoribus unus Pionio caput tam vehementer percuſſit, ut pene exanimaverit; ac demum ingreſſi carcerem hymnum Domino dixere cum gratia, eo quod in catholica fide, & Religione perſeveraſſent. Poſt paucos vero dies, cum Smyrnam Proconſul adveniſſet, Pionio ad ſe accerſito, ut diis ſacrificaret etiam atque etiam hortatus eſt, quod cum ille conſtantiſſime recuſaret, tandem ad eum: *Quoniam feſtinas*, inquit, *ad mortem, vivus paſſurus es incendium*, & recitari juſſit ex tabula: *Pionium ſacrilegæ virum mentis, qui ſe Chriſtianum eſſe confeſſus eſt, ultricibus flammis jubemus incendi, ut & hominibus metum faciat, & diis tribuat ultionem.* Attamen vir ſanctus veluti ad triumphum profecturus, hilari animo, greſſuque prompto incedebat, ac ad ſtadium perventus, priuſquam commentarienſis juberet, corpus ſuum ipſe nudavit, gratias Deo agens, quod ſe martyrio dignum feciſſet: pyræ deinde impoſito,

ſito, claviſque trabalibus fixo Pionio, necnon Metrodoro presbytero, cum ſtipites erexiſſent, accidit, ut primus ad dexteram, ad lævam alter ſtaret. Cum vero quidam de populo, ſive miſericordia, ſive ſollicitudine commoti: *Pœniteat te*, dixiſſent, *Pioni; tolluntur clavi, ſi facturum te ſpondeas, quod jubetur*. Tum ille: *ſenſi*, inquit, *vulnera, & utrum ſim fixus intelligo*. Denique admoto igne, cum per ardentem pyram fortiter flamma crepitaret, clauſis Pionius oculis, agonem ſuum tacita oratione Deo commendabat, moxque vultu læto ignem reſpiciens, & *Amen* dicens, animam exhalavit. Quem Pionius ſocium in paſſione habuit Metrodorum, ex Marcionitarum ſecta fuiſſe, plures Codices tradunt: nec ſine cauſa adnotavit Auctor, tunc accidiſſe, ut Pionius ad dexteram, Metrodorus ad ſiniſtram eſſet. *Acta ſunt hæc ſub Proconſule Julio Proclo Quintiliano, Conſule Quinto Trajano Decio, & Grato, &, ut Romani dicunt, IV. Idus Martii, &, ut Aſiani dicunt, menſe ſexto, die Sabbati, hora decima*. De die tamen, & anno, num ſcilicet elapſo, aut labenti, & an quarto Idus Martii, vel Maji certaverit Pionius, pluribus adhuc diſputant eruditi, ad quos curioſum Lectorem remittimus.

Tillem. Ruin. Baſnag. Bolland.

7. Pionio Smyrnenſi presbytero Saturninum Tholoſatium Epiſcopum addimus, cujus Acta, etſi proconſularia non ſint, ab auctore tamen fere coævo conſcripta, multam ſibi auctoritatem vindicant, atque inter Acta Martyrum ſincera Ruinartius collectioni ſuæ inſeruit. Saturnini martyrium celebrarunt Gregorius Turonenſis, Fortunatus, & Sidonius Apollinaris, de quo hæc cecinit:

De actis S. Saturnini Epiſcopi, & Martyris.

Ruinart. pag. 105. Tillem. pag. 709. Baſnag. ann. 250. 6. Greg. Tur. lib. 1. hiſt. Fran. lib. 1. de glor. Martyr. Fortunat. lib. 2. carm. 8. 9. Apollin. lib. 9. epiſt. 16.

Quem negatorem Jovis, ac Minervæ,
Et Crucis Chriſti bona confitentem
Vinxit ad tauri latus injugati
Plebs furibunda.
Ut per abruptum bove concitato
Spargere curſus lacerum cadaver.

In Actis vero hoc adnotatum reperimus, quod cum Martyrum paſſiones debita veneratione celebrentur, ac dies, in quibus pro Dominici Nominis confeſſione luctantes, poſt beatum exitum, cœleſtis regni participes effecti ſunt, vigiliis,

Martyrum feſta cum honore celebrata.

JESU CHR. AN. 251.

liis, hymnis, ac Sacramentis etiam ſolemnibus honorentur, ut eorum patrocinia, atque ſuffragia in conſpectu Domini orando quæramus; honorando mereamur; multo magis beatiſſimi Saturnini Epiſcopi Toloſanæ civitatis, & Martyris memoria celebranda erat, qui geminatam coronam, Deo largiente, promeruerat, & de Sacerdotis dignitate, & de honore Martyrii. Hæc autem quinquaginta poſt annos ſe ſcripſiſſe, idem Auctor teſtatur: *Ante annos quinquaginta, ſicut actis publicis, ideſt Decio, & Grato Conſulibus, ſicut fideli recordatione retinetur, primum, & ſummum Chriſti Toloſa civitas Sanctum Saturninum habere cœperat Sacerdotem.*

Saturnini præſentia Idola obmuteſcunt.

8. Saturnini martyrio cauſam præbuit Oraculorum ſilentium, eo quod, creſcente in dies chriſtiana fide, vaticinia ceſſaverant, nec ſancti viri præſentiam fallax dæmonum turba poterat ſuſtinere. Tanta itaque rei novitate permoti, inter ſe invicem quærere cœperunt Gentiles, unde in numina hæc obveniſſet inuſitata taciturnitas, & ſacrilegæ ſuperſtitionis Antiſtites conſulentes, acceperunt novam inſurrexiſſe ſectam Deorum cultui infenſam, quæ Chriſtiana dicebatur, ejuſdemque religionis propagatorem Saturninum eſſe, cujus frequenti juxta Capitolium tranſitu exterrita deorum ora ſiluerant, nec facile poſſe reſerari, niſi mors illum maturata ſubtraheret.

Saturnini martyrium.

9. Dum de hiſce inter ſe magna hominum multitudo congregata ſtudioſe inquireret, jamque parato ad victimam tauro, deos ſuos litatione tam ingentis hoſtiæ vel reducere cuperent, vel propitiare; ecce Saturninus ad officium ſolemne properans, prope Capitolium, ubi parva Chriſtianorum eccleſia erat, tranſibat: quem cum aliqui agnoviſſent, continuo ſanctum virum, facto impetu, circumdant, & presbytero uno, ac duobus diaconis, qui obſequiis ejus adhæſerant, per fugam lapſis, ad Capitolium attrahunt. Cum vero immolare dæmoniis cogerent, ipſeque clara voce teſtaretur: *Unum, & verum Deum novi. Huic laudis hoſtias immolabo. Deos veſtros dæmones ſcio, quos incaſſum non tam hoſtiis pecudum, quam animarum veſtrarum mortibus honoratis*; ad hanc Saturnini vocem incanduit inſanientium turba, tauroque illo, qui fuerat victimæ deſtinatus, fune lateribus circumacto, & poſt terga demiſſo, ad ſuæ utitur crudelitatis miniſterium. Poſtrema enim parte funis, quæ ad poſteriora tauri defluebat, ſancti viri pedes illigant, actumque ſtimulis acrioribus taurum de ſupe-

JESU CHR. AN. 251.

ſuperiore Capitolii parte in plana præcipitant. Nec mora: inter primos deſcenſus ipſius gradus, capite colliſo, cerebroque excuſſo, & omni lacerato corpore, dignam Deo animam exhalavit. Exanime tamen corpus ad eum uſque locum, tauro furente, perductum eſt, ubi fune diſrupta, a duabus piis fœminis eſt tumulatum: inde vero illuc tranſlatum, ubi quinto ineunte ſæculo in ejuſdem honorem Baſilica eſt ædificata ab Hilario Toloſatenſium Epiſcopo, quam in ampliorem formam poſtea excitarunt Silvius ejuſdem ſucceſſor, ac Exuperius poſt Silvium Epiſcopus, ut ibidem pluribus narrat idem Auctor.

S. Maximi confeſſio fidei & martyrium *Bar. an.* 254. 24. *Ruinart. pag.* 143.

10. Ad Decianam quoque perſecutionem pertinet paſſio S. Maximi, quem in Aſia martyrii palmam promeruiſſe, ejuſdem Acta teſtantur. Siquidem Optimo Proconſuli apud Aſiam oblatus, atque ab eo interrogatus, quis, cujus conditionis, & religionis eſſet, cum ſe plebejum, & Chriſtianum eſſe dixiſſet; non cognoviſti decreta invictiſſimorum Principum, ad eum dixit Proconſul, ut ſcilicet omnes Chriſtiani, relicta ſuperflua ſuperſtitione, cognoſcant verum Principem, cui omnia ſubjacent, & ejus deos adorent? Maximus reſpondit: *Iniquam Regis hujus ſæculi prolatam ſententiam cognovi, & ideo me palam oſtendi*, ſeque nunquam diis ſacrificaturum ſemel & iterum teſtatus eſt. Quapropter eum equuleo ſuſpendi, fuſtibuſque cædi juſſit Proconſul, ſperans, ut præceptis obtemperaret. Cum vero in tormentis ipſis fortior quodammodo, ac in confeſſione fidei conſtantior fieret, extra urbem ductus, lapidibus obrutus Martyr occubuit, ſecundo Idus *Maji*, *ſub Decio Imperatore, & Optimo Proconſule*.

Petri confeſſio & martyrium. *Ruinart. pag.* 147.

11. Sub eadem perſecutione Lampſaci in Aſia paſſi ſunt Petrus, Andreas, Paulus, & Dionyſia Virgo, quorum primus cum Veneri ſacrificare recuſaſſet, indignum meretrici immolare obteſtans, juſſus eſt in rota extendi, vinculiſque ferreis ita conſtringi, ut minutatim oſſa comminuerentur. At quanto plus torquebatur, tanto magis fortior factus, Deo gratias agebat, quod tolerantiam in tormentis dediſſet: cujus demum conſtantiam ne diutius ferret, aut miraretur Proconſul, gladio eum percuti juſſit.

Nicomachi lapſus, & interitus.

12. Luctuoſiſſimus econtra fuit Nicomachi cujuſdam exitus, qui Troade cum Andrea & Paulo Proconſuli oblatus, etſi uſque ad agonem fere Chriſti fidem confeſſus fuiſſet,

Jesu Chr. An. 251.

ſet, tormentorum tamen acerbitate victus, ad ſacrificandum idolis ſe ſe obtulit: quo peracto *ſtatim arreptus a dæmone, & in terram alliſus, dentibuſque linguam ſuam comedens, emiſit ſpiritum.*

Andreæ, Pauli, Dionyſiæ, & Petri martyrium.

13. Nicomachi caſum cum vidiſſet Dionyſia virgo annorum ſexdecim: *Infeliciſſime hominum*, præ mœrore exclamavit, *qui propter unius horæ ſpatium æternam tibi pœnam comparaſti!* Hæc ut Proconſul audivit, eam in medium adduci juſſit, ac de fide ſua interrogata, *etiam Chriſtiana ſum*, inquit, *propter quod infelicem iſtum plango, quare adhuc modicum non toleravit, ut perpetuam requiem inveniret*. Proconſul vero: *Iſte modo requiem invenit, quando diis, & inviƈtiſſimis Principibus ſacrificando ſatisfecit*. Ad ipſam vero: *Tu igitur ſacrifica, ne turpiter te illuſam vivam incendam*. Cui Dionyſia: *Deus meus major eſt, quam tu; ideoque minas tuas non timeo, qui potens eſt mihi dare in omnibus, quæ intuleris, tolerantiam*. Qua de cauſa duobus eam juvenibus corrumpendam tradidit, Andream interim, & Paulum imperans in cuſtodiam recludi. Juvenes ergo, accepta caſtiſſima Dei puella, & in hoſpitium perducta, nihil, ut ei vim inferrent, inexpertum relinquebant; ſed circa mediam noctem cum Angelus ſub ſpecie juvenis coram ipſis adſtitiſſet, timore perculſi ad pedes Dionyſiæ ceciderunt, eam deprecantes, ne quid ſibi mali contingeret, quos illa liberos abire juſſit. Interea mane facto, omnis turba ad Proconſulem venit, petens ſibi tradi Andream, & Paulum, qui in medium adducti, atque Dianæ juſſi ſacrificare, pari conſtantia reſponderunt, ſe neque Dianam, aut alia dæmonia unquam cognoviſſe, aut coluiſſe, præter unum Deum Cæli Terræque conditorem. Ad hæc magis adhuc clamante turba, ut eos ſibi Proconſul interficiendos traderet, flagellis primum cæſos, extra civitatem lapidari juſſit. Siquidem Aſianis commune erat, deorum contemptores lapidibus obruere, juxta illud Philoſtrati in vita Apollonii: *Cædite hunc lapidibus Deorum inimicum*. Dionyſia vero, cum Andream & Paulum lapidibus obrutos martyrio coronatos fuiſſe accepiſſet, de cuſtodia ſe proripiens, cucurrit ad locum, ubi ſanctorum corpora jacebant, obteſtabaturque, dicens: *Ut vobiſcum poſſim vivere in cælis, opto vobiſcum hic mori in terris*: quæ ut Proconſuli nunciata ſunt, ſanctam Virginem decollari præcepit, ut pluribus Acta narrant, *apud Lampſacum die Iduum Majarum, Decio*

Dionyſia virgo ab Angelo liberata.

Philoſt. lib. 4.

Decio Imperatore, Optimo Proconſule, regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto, cui eſt gloria, honor, & poteſtas. JESU CHR. AN. 251.

14. Hoc etiam tempore Lucianus, & Marcianus, ſi Martyrologiis fides habenda, Nicomediæ paſſi ſunt. Hi magicis quidem incantationibus, ac idololatriæ inſervientes, cum Virginem quamdam Chriſtianam, variis illecebris tentatam, vincere non valuiſſent; Jeſu Chriſti virtute cognita, magiæque libris igni traditis, nedum baptiſmum ſuſceperunt, ſed & fidem, quam profeſſi fuerant, conſtantiſsime prædicabant. Quapropter a furente populo ad Sabinum Proconſulem perducti, omniaque experti, quin a ſuſcepto propoſito receſsiſſent, flammis & ipſi ſeptimo Kalendas Novembris conſumpti fuerunt, prout ex Actis Proconſularibus, quæ ſuperſunt, videre eſt.

Luciani, & Marciani martyrium.

Martyr. Rom. 26. Octobr.

15. Interea cum adhuc Confeſſores in carceribus detinerentur, & Cyprianus Carthagine abeſſet, Feliciſsimus Carthaginenſis presbyter infauſtum ſchiſma adverſus Antiſtitem ſuum excitavit, adjunctis etiam presbyteris quinque, qui ejuſdem ordinationi adverſati fuerant, quique, ut illi moleſtiam facerent, lapſis communionem continuo impertiendam eſſe cenſebant, nullumque non movebant lapidem, ut Confeſſores quoque ab ipſius communione alienarent. Quæ quam moleſta Cypriano fuerint, his ipſe verbis teſtatur: *Perſecutio eſt hæc, & alia tentatio, & quinque iſti presbyteri nihil aliud ſunt, quam quinque primores illi, qui edicto nuper Magiſtratibus fuerant copulati, ut fidem noſtram ſubverterent, ut fragilia fratrum corda ad lethales laqueos prevaricatione veritatis averterent. Eadem nunc ratio, eadem rurſus everſio per quinque presbyteros Feliciſſimo copulatos ad ruinam ſalutis inducitur, ut non rogetur Deus, nec qui negavit Chriſtum, eumdem Chriſtum, quem negaverat, deprecetur.* Hos ut caverent, pluribus deinde hortatur: *Hinc admoneo pariter, & conſulo, ne pernicioſis vocibus temere credatis, ne fallacibus verbis conſenſum facile commodetis, ne pro luce tenebras, pro die noctem, pro cibo famem, pro potu ſitim, venenum pro remedio, mortem pro ſalute ſumatis*; & poſt plurima: *Nemo vos fratres errare a viis Domini faciat, nemo vos Chriſtianos ab Evangelio Chriſti rapiat, nemo filios Eccleſiæ de Eccleſia tollat. Pereant ſibi ſoli, qui perire voluerunt, extra Eccleſiam ſoli remaneant, qui de Eccleſia receſſerunt, ſoli cum Epiſcopis non ſint, qui contra Epiſcopos rebellarunt.*

De Schiſmate Feliciſſimi, & Novati.

Cypriani querelæ adverſus Schiſmaticos. *Epiſt. 43.*

16. Quid

Jesu Chr. an. 251.
Cyprianus Feliciſſimum, & Socios excommunicat.
Epiſt. 41.

16. Quid vero in Schiſmaticorum, & lapſorum cauſa geſtum ſit, videamus. Quo tempore hæc ad plebem ſuam ſcribebat Cyprianus, alias ad Caldoninm, & Herculanum Epiſcopos, & ad Rogatianum, & Numidicum presbyteros epiſtolas dedit. Hos Cyprianus Carthagine reliquerat, ut ſuas ibidem vices gererent, ac ut pauperum curam agerent, & pro cujuſque neceſsitate providerent: ut vero Felicisſimi factionem augeri, eumque ſeorſim Eccleſiam colligere novit, excommunicationis ſententiam in eumdem, & ſocios tulit, de quibus ad eoſdem Epiſcopos, & Presbyteros: *Vehementer contriſtatus ſum*, inquit, *fratres cariſſimi, acceptis litteris veſtris, ut cum mihi propoſitum ſemper, & votum ſit, univerſam fraternitatem noſtram incolumem continere, & illibatum gregem, ſecundum quod caritas exigit, reſervare; nunc nuncietis Feliciſſimum multa improbe, & inſidioſe eſſe molitum, ut præter fraudes veteres, & rapinas, de quibus jampridem multa cognoveram, nunc quoque cum Epiſcopo portionem plebis dividere, ideſt, a paſtore oves, & filios a parente ſeparare, & Chriſti membra diſſipare tentaverit. Cumque ego vos pro me vicarios miſerim, ut expungeretis neceſſitates fratrum noſtrorum ſumptibus, ſi qui etiam vellent ſuas artes exercere, additamento quantum ſatis eſſet, deſideria eorum juvaretis, ſimul etiam & ætates eorum, & conditiones, & merita diſcerneretis, ut jam nunc ego, cui cura incumbit, omnes optime noſſem, & dignos quoque, & humiles, & mites ad Eccleſiaſticæ adminiſtrationis officia promoverem; ille interceſſerit, ne quis poſſet expungi, neve ea, quæ deſideraveram, poſſent diligenti examinatione diſcerni; comminatus ſit etiam fratribus noſtris, qui primi expungi acceſſerant, potentatu improbo, & terrore violento, quod ſecum in monte non communicarent, qui nobis obtemperare voluiſſent. Cumque poſt hæc omnia, nec loci mei honore motus, nec veſtra auctoritate, & præſentia fractus, inſtinctu ſuo quietem fratrum turbans, proripuerit ſe cum plurimis, ducem ſe factionis, & ſeditionis principem temerario furore conteſtans*; eum propterea, necnon ob adulterium, quo infamatus fuerat, ab Eccleſiæ communione abſtentum, & ab omnibus una cum ſchiſmatis ſociis vitandum eſſe denunciat. Deinde poſt plurima: *Has litteras meas fratribus noſtris legite, & Carthaginem ad Clerum quoque tranſmittite, additis nominibus eorum, quicumque ſe Feliciſſimo junxe-*

junxerunt. Ad ſuas Eccleſias redierant Caldonius, & Herculanus Epiſcopi, cum hæc ſcribebat Cyprianus; quare eos rogat, ut perlectam epiſtolam *Carthaginem ad Clerum tranſmitterent*. Illi vero, his a Cypriano acceptis, excommunicationis ſententiam in Feliciſsimum, & ſocios promulgarunt, ut in ſua ad Cyprianum epiſtola teſtantur: *Abſtinuimus*, inquiunt, *communicatione Feliciſſimum, & Augendum, item Repoſtum de extorribus, & Irenem Rutilorum, & Paulam ſarcinatricem: item abſtinuimus Sophronium, & ipſum de extorribus, Soliaſſum Rodinarium*, ſeu burdonarium, ideſt mulionem, qui & burdones dicuntur in lege 49. ff. lib.32., ubi hæc habentur: *in legato continentur mancipia, puta lecticarii, qui ſolam matremfamilias portabant vel lectica, vel ſella, vel burdones*. Feliciſsimi autem ſchiſma tunc in Africa conflatum altas radices egiſſe ex ſequentium temporum hiſtoria patebit. Nam ex eodem ſurculo Novatus prodiit, qui diſcordiæ facem in Urbem intulit, atque poſt Cornelii Romani Pontificis ordinationem Novatianum ordinandum curavit: unde Novatianorum nomen huic ſectæ inditum eſt. *Epiſt. 42.*

17. Sopita interim perſecutione, Cyprianus poſt feſtum Paſchatis ad ſuam rediit Eccleſiam: cumque ad eum plures conveniſſent Epiſcopi, ſynodum cum iis habuit, in qua de lapſorum cauſa, & de Feliciſsimi ſchiſmate deliberatum eſt, communique omnium ſententia Feliciſsimus cum aſſeclis ſuis iterato anathemate percuſſus eſt. Circa lapſos vero ſtatutum eſt, ut poſt pœnitentiam pro criminum qualitate peractam, ad communionem admitterentur, de quibus in epiſtola ad Antonianum Epiſcopum ait: *Secundum quod tamen ante fuerat deſtinatum, perſecutione ſopita, cum data eſſet facultas in unum conveniendi, copioſus Epiſcoporum numerus, quos integros, & incolumes fides ſua, & Domini tutela protexit, in unum convenimus, & Scripturis diu ex utraque parte prolatis, temperamentum ſalubri moderatione libravimus, ut nec in totum ſpes communicationis, & pacis lapſis denegaretur, ne plus deſperatione deficerent, & eo quod ſibi Eccleſia clauderetur, ſecuti ſæculum gentiliter viverent: nec tamen rurſus cenſura ſolveretur Evangelica, ut ad communicationem temere proſilirent; ſed traheretur diu pœnitentia, & rogaretur dolenter paterna clementia, & examinarentur cauſæ, & voluntates, & neceſſitates ſingulorum*. Cypriani ſententiam Cornelius quoque Romanus

Carthagineſe Concilium primum a Cypriano habitum.

Epiſt. 55.

JESU CHR. AN.251. Pontifex hoc eodem anno una cum ſuis Epiſcopis confirmavit: unde ſubdit: *Ac ſi minus ſufficiens Epiſcoporum in Africa numerus videbatur, Romam ſuper hac re ſcripſimus ad Cornelium collegam noſtrum, qui & ipſe cum plurimis Coepiſcopis, habito concilio, in eamdem nobiſcum ſententiam pari gravitate, & ſalubri moderatione conſenſit.* Romanæ ſynodi, & Carthaginenſis meminit Euſebius: *Extant adhuc epiſtolæ Cornelii Romanorum Epiſcopi ad Fabium Antiochenum, in quibus, & Romanæ ſynodi geſta, & omnium per Italiam, & Africam, aliaſque locorum illorum provincias ſententiæ declarantur: aliæ præterea latino ſermone conſcriptæ extant epiſtolæ Cypriani, & aliorum Antiſtitum, qui cum ipſo in Africa congregati ſunt. Ex quibus colligitur ipſis etiam placuiſſe, ut ſubveniretur iis, qui in tentationem inciderant, utque auctor nefariæ opinionis Feliciſſimus, & Novatus ſimul cum iis, qui ad partes ipſius deſciverant, ab Eccleſia catholicæ conſortio merito abdicarentur.* Hæc de cenſura in ſchiſmaticos lata, & de lapſorum cauſa in Romano, & Carthaginenſi concilio, quorum ſententiæ ſubſcripſiſſe & Fabium Antiochenum, & Dionyſium Alexandrinum veroſimile eſt.

Euſeb. lib.6. 43.

Dionyſii Alex Epiſc. epiſt. ad Fabium Antioch.

18. De lapſis, qui a Confeſſoribus, & Martyribus pacem obtinuerant, incertus erat Dionyſius, ac propterea Fabium Antiochenum Epiſcopum conſulendum cenſuit: *Ceterum divini Martyres, qui nunc aſſeſſores ſunt Chriſti, & Regni illius conſortes, ac judicii participes una cum ipſo judicaturi, dum hic apud nos eſſent, quoſdam e fratribus lapſos, & idolis ſacrificaſſe convictos ſuſceperunt, & converſionem illorum, ac pœnitentiam cernentes, cum judicaſſent eam placere poſſe illi, qui peccatoris pœnitentiam mavult, quam mortem, eos admiſerunt, & collegerunt, atque in cœtum ſuum receperunt, & in orationibus ac cibo cum iiſdem communicarunt. Quid ergo nobis, fratres, de his ſuadetis? Quid nos agere debemus? utrum ſententiæ Martyrum accedemus, & rem ab aliis judicatam, ſeu potius gratiam conceſſam tuebimur, & cum iis, quos illi miſeratione proſecuti ſunt, benigne agemus? An contra judicium illorum irritum faciemus, noſque ipſi ſententiæ illorum diſcuſſores, ac judices conſtituemus, clementiam dolore afficiemus, ordinem conſtitutum evertemus, Dei ipſius indignationem provocabimus?* Hactenus de his, quæ in lapſorum cauſa hoc anno geſta ſunt.

Euſeb. lib.6. 42.

19. Ut

19. Ut Carthaginenſem clerum, nonnullorum presbyterorum defectione imminutum, augeret Cyprianus, Numidicum, ob glorioſam fidei confeſsionem illuſtrem, presbyterum ordinavit, cujus quanta fuerit dignitas in epiſtola ad clerum, & populum exponit: *Admonitos nos, & inſtructos ſciatis dignatione divina, ut Numidicus presbyter adſcribatur presbyterorum Carthaginenſium numero, & nobiſcum ſedeat in clero, luce clariſſima confeſſionis illuſtris, & virtutis ac fidei honore ſublimis; qui hortatu ſuo copioſum Martyrum numerum lapidibus, & flammis necatum ante ſe miſit; quique uxorem adhærentem lateri ſuo, concrematam ſimul cum ceteris (vel conſervatam magis dixerim) lætus aſpexit. Ipſe ſemiuſtulatus, & lapidibus obrutus, & pro mortuo derelictus, dum poſtmodum filia ſollicito pietatis obſequio cadaver patris inquireret, ſemianimis inventus, & extractus, & refocillatus a comitibus, quos ipſe præmiſerat, remanſit invitus; ſed remanendi (ut videmus) hæc fuit cauſa, ut eum clero noſtro Dominus adjungeret, & deſolatam per lapſum quorumdam Presbyterii noſtri copiam glorioſis ſacerdotibus adornaret.*

Numidicus Confeſſor presbyter ordinatur.

20. Aliis autem epiſtolis ad eumdem clerum, & populum addit, ſe etiam divina revelatione admonitum, Aurelium, & Celerinum Confeſſores ad Lectoris officium ordinaſſe, ita tamen ut presbyterali honore, ideſt ſtipendio fruerentur, ad Presbyteratum promovendi, cum per ætatem licuiſſet: *Cæterum*, ait, *Presbyterii honorem deſignaſſe nos illis jam ſciatis, ut & ſportulis iiſdem cum presbyteris honorentur, & diviſiones menſurnas æquatis quantitatibus partiantur, ſeſſuri nobiſcum, provectis & corroboratis annis ſuis*. Quæ autem Aurelii eſſent merita, epiſtola eadem pluribus proſequitur, quem bis fidei confeſſorem fuiſſe, atque extorrem factum narrat: dignus ſane, ut ex cataſta, ubi fidem confeſſus fuerat, pulpitum lector aſcenderet, ut Evangelium legeret. Epiſtola vero ſequenti, ut de Celerini ordinatione exultent, clerum & populum Carthaginenſem monet, ac invitum fere, & divina revelatione compulſum ordinatum fuiſſe commemorat, illudque hujuſmodi honore dignum fecerat, tum ipſa fidei confeſsio, cum inexpugnabilis pectoris firmitas in perferendis pro eadem tormentis: ſiquidem per decem & novem dies cuſtodia carceris ſeptus, in nervo, ac ferro fuerat, famis, ſitis diuturnitate conſumptus, ſoliſque nutrimentis ſpiritali-

Aurelius, & Celerinus Lectores ordinati.
Epiſt. 38. 39.

Jesu Chr. an. 251. ritalibus ſervatus, itaut glorioſa adhuc vulnerum ſigna in corpore ſuo lucerent. Id præterea ad gloriæ cumulum in Celerino accedebat, quod majores quoque ſuos inter Martyres numeraret. Nam avia ejus Celerina jam pridem martyrii coronam adepta fuerat: patruus etiam, & avunculus Laurentinus, & Ignatius in caſtris ſæcularibus quondam militantes, diuturniores coronas a Deo illuſtri paſsione meruerant.

Novatus Romæ ſchiſma propagat.

21. Cum hæc in Africa gererentur, ac Feliciſsimus cathedram adverſus cathedram, & altare contra altare erexiſſet, Novatus Romam veniens, novandi occaſionem ex vacatione Sedis Romanæ nactus, nonnullos ibidem ſibi conciliare curavit, ſuæque communioni adjungere. Ex his præcipui fuere Novatianus Romanæ Eccleſiæ presbyter, cui Confeſſores nonnulli, qui in carcere adhuc detinebantur, conjuncti ſunt. *Poſt mortem ejus* (ideſt Fabiani), ait auctor Bucheriani catalogi, *Moyſes, & Maximus presbyteri, & Nicoſtratus diaconus comprehenſi ſunt, & in carcerem miſſi: eo tempore ſupervenit Novatus ex Africa, & ſeparavit de Eccleſia Novatianum, & quoſdam Confeſſores, poſtquam Moyſes in carcere defunctus eſt, qui fuit ibi menſes undecim, dies undecim.* Is, cognita Novati temeritate, ab ejus ſe communione ſejunxerat, ut Cornelius Pontifex, ad Fabium Antiochenum ſcribens, teſtatur: *Moyſes beatus Martyr egregio, & admirando martyrio nuper apud nos perfunctus, dum adhuc ſuperſtes eſſet, audaciam, & amentiam ejus perſpectam habens, a communione ſua ſeparavit una cum quinque presbyteris, qui ſe pariter cum illo ab Eccleſia ſegregarant.* Hæc, Sede adhuc vacante, contigerunt: poſt Cornelii vero ordinationem, Confeſſores reliqui, Novatiani ſchiſmate abdicato, ad Eccleſiam redeuntes, a Cornelio Papa ad communionem admiſsi ſunt, ut infra videbimus.

Euſeb. lib. 6. 43.

Cornelius Rom. Pontifex ordinatur.

22. Interim cum Decius, bello Gothico implicatus, Roma abeſſet, ac mota perſecutio deferbuiſſet, Cornelius totius Romani cleri conſenſu in Fabiani locum eſt ordinatus, poſtquam ultra annum Romana Eccleſia Paſtore viduata permanſiſſet. Pontificis ordinationem tunc maxime urgebant tum lapſorum numerus, qui præ foribus Eccleſiæ ſtabant, poſtulantes, ut ad communionem reciperentur, cum Novati impia factio, quæ nullum non movebat lapidem, ut aliquem e ſuis ſupra Petri Cathedram, tamquam idolum, collocaret. His itaque de cau-

cauſis, favente etiam Decii abſentia, communi Romani cleri conſenſu Cornelius eligitur, de cujus ordinatione hæc Cyprianus ad Antonianum, ex Novatiani epiſtolis aliquatenus de eadem anxium, ac titubantem: *Venio jam nunc, frater cariſſime, ad perſonam Cornelii Collegæ noſtri, ut Cornelium nobiſcum verius noveris, non de malignorum, & detrahentium mendacio, ſed de Domini Dei judicio, qui Epiſcopum fecit, & Coepiſcoporum teſtimonio, quorum numerus univerſus per totum Mundum concordi unanimitate conſenſit. Nam quod Cornelium cariſſimum noſtrum Deo, & Chriſto, & Eccleſiæ ejus, item conſacerdotibus cunctis laudabili prædicatione commendat; non iſte ad Epiſcopatum ſubito pervenit, ſed per omnia Eccleſiaſtica officia promotus, & in divinis adminiſtrationibus Dominum ſæpe promeritus, ad Sacerdotii ſublime faſtigium cunctæ religionis gradibus aſcendit. Tum deinde Epiſcopatum nec ipſe poſtulavit, nec voluit, nec ut ceteri, quos arrogantiæ & ſuperbiæ ſuæ tumor inflat, invaſit; ſed quietus & modeſtus, & quales eſſe conſueverunt, qui ad hunc locum divinitus eliguntur, pro pudore virginalis conſcientiæ ſuæ, & pro humilitate ingenitæ ſibi & cuſtoditæ verecundiæ, non ut quidam vim fecit, ut Epiſcopus fieret; ſed ipſe vim paſſus eſt, ut Epiſcopatum coactus exciperet. Et factus eſt Epiſcopus a plurimis Collegis noſtris, qui tunc in Urbe Roma aderant, qui ad nos litteras honorificas, & laudabiles, & teſtimonio ſuæ prædicationis illuſtres de ejus ordinatione miſerunt. Factus eſt autem Cornelius Epiſcopus de Dei, & Chriſti ejus judicio, de Clericorum pene omnium teſtimonio, de plebis, quæ tunc adfuit, ſuffragio, & de Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio; cum nemo ante ſe factus eſſet, cum Fabiani locus, ideſt locus Petri, & gradus Cathedræ ſacerdotalis vacaret.* Hæc Cyprianus de Cornelii electione, cui una cum Romano Clero Epiſcopi ſexdecim ex vicinioribus provinciis collecti, ac duo, qui ex Africa in Urbem venerant, Pompejus ſcilicet, & Stephanus, conſenſerunt. Unde Cyprianus idem de Epiſcoporum numero, qui Cornelii ordinationem probaverant, ad Antonianum: *Niſi ſi Epiſcopus tibi videtur, qui, Epiſcopo in Eccleſia a ſexdecim Coepiſcopis facto, adulter, atque extraneus fieri a deſertoribus nititur*, ideſt a Novatiani fautoribus.

Cornelii Papæ elogium.

Cypr. epiſt. 45. & 55.

23. Egregiis eum meritis, virtutibuſque exornatum fuiſſe, vel inde Cyprianus arguit, quod, Decio ſuperſtite, Romanam

Cornelius a Cypriano laudatus.

Cypr. epiſt. 55.

Jesu Chr. an. 251.

nam Eccleſiam gubernandam ſuſceperit: *Etenim poſt Epiſcopatum non exambitum, non extortum, ſed de Dei, qui ſacerdotes facit, voluntate ſuſceptum, quanta in ipſo ſuſcepto Epiſcopatu ſuo virtus? quantum robur animi? qualis firmitas fidei? quod nos ſimplici corde & perſpicere penitus, & laudare debemus, ſediſſe intrepidum Romæ in ſacerdotali cathedra eo tempore, cum tyrannus infeſtus ſacerdotibus Dei fanda, atque infanda comminaretur, cum multo patientius, & tolerabilius audiret levari adverſus ſe æmulum principem, quam conſtitui Romæ Dei ſacerdotem*: quem ideo ante martyrium Martyrem voluntate ſua fuiſſe prædicat.

Quanto tempore Pontificatum tenuerit Cornelius.

24. Pontificatum tenuit Cornelius *annum unum, menſes tres, dies decem*. Bucherianus vero catalogus: *Cornelius annos duos, menſes tres, dies decem a Conſulatu Decio IV., & Decio II. uſque Gallo, & Voluſiano*. Locum tamen corruptum eſſe, quartus Decii conſulatus, quem nunquam iniit, aperte indicat, atque Conſulum notæ ibidem inſertæ, ubi duobus Deciis Coſs. ordinatus dicitur, ideſt hoc anno. Obiit autem anno ſequenti Gallo, & Voluſiano Coſs., ſicque Cathedram tenuit annum unum, menſes tres cum diebus aliquot. Ordinationem tamen ejus tot ſuffragiis confirmatam Novatianus, exigua cleri Chriſtianæque plebis parte ſeducta, irritam facere conatus, Romanam ipſe Sedem, tamquam adulter, invaſit: de cujus ordinatione priuſquam ſermo fiat, nonnulla de Novato, & Novatiano ſunt præmittenda, quos Scriptores Græci Euſebius, Theodoricus, aliique, non ſine maxima hiſtoriæ perturbatione, in unum confuderunt.

Qualis fuerit Novatus tum ordine, tum moribus.

Bar. an. 254. 59.

Petav. in Epiph. ad Novat. hæreſ.

25. In Africa Epiſcopum fuiſſe Novatum, nonnulli tradiderunt: quod ex Cypriani epiſtola probare conantur, ubi legitur, Feliciſſimum ab eo diaconum fuiſſe ordinatum. *Ipſe eſt*, ait Cyprianus de Novato loquens, *qui Feliciſſimum ſatellitem ſuum diaconum, nec permittente me, nec ſciente, ſua factione, & ambitione conſtituit*: & alibi: *Qui iſtic diaconum fecerat, illic Epiſcopum fecit*. Cum itaque Carthagine diaconum, Romæ vero Epiſcopum Novatus ordinaverit, Epiſcopum quoque eum fuiſſe concludunt. Hæc tamen falſa eſſe facile apparebit, ſi adnotaverimus, Novatum Carthagine diaconum Feliciſſimum, Romæ vero Novatianum Epiſcopum ordinaſſe, non manuum ſuarum impoſitione, *ſed factione ſua, & ambitione*, ut idem Cyprianus adnotat, ideſt Feliciſſimum

ab Africæ Epiſcopo, Novatianum vero a tribus Italiæ Epiſcopis Romæ ordinandum curaſſe. Presbyter itaque Novatus fuit, ut diſerte Hieronymus teſtatur: *Novatus Cypriani presbyter fuit*: quod & confirmat Cyprianus, dum Novatum inter presbyteros ſæpe numerat: *Ad id vero, quod ſcripſerunt mihi compresbyteri noſtri, Donatus, Fortunatus, Novatus, & Gordius, ſolus reſcribere nihil potui*: & iterum de eodem Novato ſchiſmatico ad Cornelium: *Propter hoc ſe non de presbyterio excitari tantum, ſed & communicatione prohiberi pro certo tenebat, & urgentibus fratribus imminebat cognitionis dies, qua apud nos cauſa ejus ageretur, niſi perſecutio ante veniſſet*: a presbyterio itaque dejiciendus, non ab Epiſcopatu abdicandus erat Novatus. Quibus autem moribus præditus eſſet, quibuſve artibus ſchiſma Carthagine primum, deinde Romæ excitaverit, Cyprianus eadem epiſtola ad Cornelium narrat his verbis: *De Novato nihil inde ad nos fuerat nunciandum, cum magis per nos vobis debeat Novatus oſtendi rerum novarum ſemper cupidus, avaritiæ inexplebilis, rapacitate furibundus, ſuperbi tumoris inflatus, ſemper iſtic Epiſcopis male cognitus, quaſi hæreticus, ſemper & perfidus, omnium ſacerdotum voce damnatus: curioſus ſemper, ut prodat, ad hoc adulator, ut fallat, nunquam fidelis, ut diligat, fax & ignis ad conflanda ſeditionis incendia, turbo & tempeſtas ad fidei facienda naufragia, hoſtis quietis, tranquillitatis adverſarius, pacis inimicus*. Quæ inſuper tum Carthagine primum, cum Romæ ſcelera patraverat, deinde recenſet, ita tamen, *quoniam pro magnitudine ſua debeat Carthaginem Roma præcedere, illic majora, & graviora commiſit*. Et poſt plurima de Novati improbitate: *Spoliati ab illo pupilli, fraudatæ viduæ, pecuniæ quoque Eccleſiæ denegatæ has de illo exigunt pœnas, quas in ejus furore conſpicimus. Pater etiam ejus in vico fame mortuus, & ab eo in morte poſtmodum nec ſepultus. Uterus uxoris calce percuſſus, & abortione properante in parricidium partus expreſſus, & damnare nunc audet ſacrificantium manus, cum ſit ipſe nocentior pedibus, quibus filius, qui naſcebatur, occiſus eſt*.

Hier. de Vir. ill. cap. 70.

26. Ex his, quæ de Novato adnotat Cyprianus, conjicit Baſnagius, eum, etſi presbyterum, ordinandis diaconis fuiſſe idoneum, & in eo tantum peccaſſe, quod, inſcio Cypriano, id uſurpaverit, *quod ſi permiſiſſet, legitime ordinatus fuiſſet Feliciſſi-*

Baſnagii errores confutantur.

Baſnag. an. 241. 4.

Digitized by Google

JESU CHR. AN.251.

liciſſimus. Mirum ſane, quod eadem de Novatiani Epiſcopi ordinatione non dixerit; nam utrumque a Novato uſurpatum fuiſſe Cyprianus innuit. At vidit vir acutus paradoxum fuiſſe ſibilis excipiendum, quod presbyter Epiſcopum ordinaret; quare Epiſcopum Romæ Novatianum, non manuum ſuarum impoſitione, ſed factione, & ambitione ſua ordinandum curaſſe ingenue fatetur, quod & de Feliciſſimi ordinatione dicendum eſſe, eadem ſuadet ratio, ac Cypriani verba confirmant. Turpius adhuc, totaque via erravit Baſnagius, dum ex eo, quod narrat Cyprianus, Novatum ſcilicet prægnantis uxoris uterum calce percuſſiſſe, ac abortui cauſam dediſſe, probare contendit, Cypriani ætate presbyteros continentiæ legibus nequaquam adſtrictos fuiſſe; nam Novati quidem ſcelera ibidem Cyprianus recenſet, neque ex Novati hominis impuriſſimi exemplo Eccleſiæ diſciplina, morumque ſanctitas metienda eſt, itaut ſi is, cum presbyter eſſet, rei uxoriæ operam dediſſet, tunc continentiæ legibus ſacerdotes non fuiſſe adſtrictos, inde ſequatur. Quæ antiquitus eſſet de cœlibatu presbyterorum diſciplina, ex Eliberitana Synodo ſcimus, qua legitur: *Placuit in totum prohiberi Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, vel omnibus Clericis poſitis in miniſterio, abſtinere ſe a conjugibus ſuis, & non generare filios, quicumque vero fecerit, ab honore clericatus exterminetur*. Sed de Novato hactenus: nunc ad Novatianum convertimur.

Eliber. Synod. can. 33. Hard. concil. to.1. pag. 254.

Novatiani initia uſque ad ſchiſma.

27. Novatianus, etſi poſt Novatum, atque ab ipſo ſeductus, ſchiſmati acceſſerit, ejuſdem tamen & auctor, & propagator habetur, ac propterea in eam prolapſi Novatiani dicti ſunt. Hic Gentilis adhuc, ac Stoicæ philoſophiæ ſectator, cum a dæmone vexaretur, ut exorciſtarum opera ab ea infeſtatione liberatus eſt, in Chriſtum credidit, pauloque poſt, in lectulo graviter decumbens, ſalutaribus undis eſt expiatus: quo tempore cum ab Epiſcopo inungi non potuerit, ac clynicus haberetur, ideſt in infirmitate baptizatus; a Fabiano nihilominus Rom. Pontifice, contra receptam Eccleſiæ diſciplinam, invito fere Romano clero, presbyter eſt ordinatus. Hos enim in clerum cooptari canones vetabant, ut canone 12. Concilii Neoceſarienſis habetur, quia fides eorum *non voluntaria*, *ſed ex neceſſitate eſt*. Presbyterii autem honore exornatus Novatianus, philoſophum magis, quam presbyterum egit, ac ſuperbia inflatus, ſummo ſe Sacer-

Epiſt. 55.

Jesu Chr. an. 251.

Cypr. epiſt. 55.

Novatianus perſecutionis tempore ſe abſcondit.

cerdotio dignum putabat. Cujus arrogantiam arguens Cyprianus, *jactet*, inquit, *philoſophiam, & eloquentiam ſuam ſuperbis vocibus prædicet*: idem vero perſecutionis tempore ſe presbyterum unquam fuiſſe negavit, ac admonitus, & rogatus a diaconis, ut ex cubiculo, in quo ſeipſum incluſerat, egrediens, fratribus auxilio indigentibus ſuccurreret, tantum abfuit, ut hortantibus diaconis morem gereret, quin potius ira & indignatione percitus abiit, ac diſceſſit, ut in citata ſæpius epiſtola Cornelius narrat.

Schiſmaticorum calumniæ in Cornelium Papam.

Cypr. epiſt. 55.

28. Quibus autem artibus Romanam invaſerit Sedem, quibuſve calumniis Cornelium ea deturbare conatus fuerit, idem Cyprianus ad Antonianum refert: *Quod autem quædam de illo*, ideſt Cornelio Papa, *inhoneſta, & maligna jactantur, nolo mireris; cum ſcias, hoc eſſe opus ſemper diaboli, ut ſervos Dei mendacio laceret, & opinionibus falſis glorioſum nomen infamet; ut qui conſcientiæ ſuæ luce clareſcunt, alienis rumoribus ſordidentur. Exploraſſe autem collegas noſtros ſcias, & veriſſime comperiſſe nulla illum libelli, ut quidam jactant, labe maculatum eſſe; ſed neque cum Epiſcopis, qui ſacrificaverunt, communicationem ſacrilegam miſcuiſſe; ſed eos demum, quorum cauſa audita, & innocentia comprobata ſit, conjunxiſſe nobiſcum.* Trophymum autem quemdam ab eodem cum Eccleſia jure reconciliatum fuiſſe, pluribus perſequitur: deinde, *quod paſſim communicare ſacrificatis Cornelium tibi nunciatum eſt, hoc etiam de Apoſtatarum fictis rumoribus naſcitur. Neque enim poſſunt laudare nos, qui recedunt, aut expectare debemus, ut placeamus illis, qui nobis diſplicentes, & contra Eccleſiam rebelles, ſollicitandis de Eccleſia fratribus violenter inſiſtunt. Quare & de Cornelio, & de nobis quæcumque jactantur, nec audias facile, nec credas, frater cariſſime.* Hæc Cyprianus de calumniis in Cornelium Papam vulgatis, quarum ea præcipua erat, quod lapſos ad communionem indiſcriminatim admitteret: Novatianus econtra, ejuſque ſectarii ad pacem, & Eccleſiæ communionem lapſos nuſpiam admittendos eſſe cenſebant. Sed & Novatus Carthagine quidem ad captandam plebis auram lapſos ſine diſcrimine ad communionem admiſerat, ut narrat Cyprianus; at mutato Romæ conſilio, una cum Novatiano, nullam reconciliationis, aut communionis ſpem lapſis relinquebat: Eccleſia vero catholica mediam iniens viam (quæ tutiſſima eſt),

Schiſmaticorum, & Hæreticorum inconſtantia.

JESU CHR. AN. 251. ſingulorum examinata cauſa, poſt peractam pro criminum varietate pœnitentiam, lapſis pacem, & communionem dabat.

Africani Epiſcopi legatos Romam mittunt.

29. Interea cum de Cornelii, & Novatiani electione varii undique ſpargerentur rumores, ac fama veri falſique nuncia inter ſe contraria vulgaret; ut in re graviſſima caute agerent Africani Epiſcopi, legatos Romam, ut rem propius inſpicerent, miſerunt, de quibus Cyprianus ad Cornelium: *Cum ſtatuiſſemus collegæ complures, qui in unum conveneramus, ut legatis ad vos Coepiſcopis noſtris Caldonio, & Fortunato miſſis, omnia interim integra ſuſpenderentur, donec ad nos iidem collegæ noſtri, rebus illic aut ad pacem redactis, aut pro veritate compertis, redirent.*

Cypr. epiſt. 48.

Novatianus Romæ Epiſcopus ordinatur.

30. Vix autem Africani Epiſcopi Romam advenerant, cum repente Novatianus Epiſcopus ordinatus eſt: quod quam inopinato acciderit, narrat Cyprianus ad Cornelium ſcribens: *Quoniam diverſæ partis obſtinata, & inflexibilis pertinacia non tantum radicis, & matris ſinum, atque complexum recuſavit, ſed etiam gliſcente, ac in pejus crudeſcente diſcordia, Epiſcopum ſibi conſtituit, & contra ſacramentum ſemel traditum, divinæ diſpoſitionis, & Catholicæ unitatis adulterum, & contrarium caput extra Eccleſiam fecit, acceptis litteris tam tuis, quam collegarum noſtrorum*, Pompei nempe, & Stephani, quos Romam ea de cauſa miſerant, *ſecundum quod divinæ traditionis, & Eccleſiaſticæ inſtitutionis ſanctitas pariter, ac veritas exigebat, litteras noſtras ad te direximus &c.*, iiſque Cornelium certiorem reddebat, ſe, ſuoſque collegas a Novatiani ſchiſmate quam maxime abhorrere, & communionis epiſtolas eidem mittendas decreviſſe.

Cypr. epiſt. 45.

Quæ fuerit Novatiani ordinatio.

31. Qua autem ratione Novatianus Romanam Sedem invaſerit, ac Epiſcopus fuerit ordinatus, Cornelius ad Fabium Antiochenum Epiſcopum pluribus perſequitur, eum ſcilicet Epiſcopalis dignitatis cupiditate incenſum ſuam aliquandiu ambitionem affectata humilitate texuiſſe, ut fidei Confeſſores ſibi ſociaret; brevi tamen, quis fuerit, quantoque ſuperbiæ ſpiritu duceretur, apparuiſſe; *nam egregius ille vir, qui tremendis quibuſdam ſacramentis affirmaverat ſe Epiſcopatum non concupiſcere, repente tamquam ex machina quadam in medium projectus, Epiſcopus apparuit. Et is, qui ſe doctorem, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ propugnatorem ferebat, cum Epiſcopatum ſibi a Deo mini-* me

Euſeb. lib. 6. 43. Apud Coutan. pag. 146.

Digitized by Google

me conceſſum rapere, ac vindicare conaretur, duos deploratæ ſalutis homines ſibi ſocios adjunxit, ut eos in exiguam, ac viliſſimam Italiæ partem mitteret, atque illinc accitos tres Epiſcopos, homines plane rudes, ac ſimplices, fraudulenta quadam molitione deciperet: conſtantiſſime affirmans, ipſos quamprimum Romam proficiſci oportere, ut omnis undecumque orta diſcordia ipſorum una cum aliis Epiſcopis interventu, atque arbitrio ſedaretur. Qui cum adveniſſent homines, ut jam diximus, ſimplicioris ingenii, nec in his perditorum hominum artibus, ac fallaciis ſatis triti, eos ille a quibuſdam ſui ſimillimis, quos ad id comparaverat, incluſos hora decima, temulentos, & crapula oppreſſos, adumbrata quadam & inani manuum impoſitione Epiſcopatum ſibi tradere per vim cogit; eumque nullo ſibi jure competentem per fraudem, atque inſidias vindicat. Nec multo poſt unus ex illis Epiſcopis ad Eccleſiam rediit, delictum ſuum cum lamentis, ac fletibus confitens. Quem nos, cum univerſus populus pro illo interceſſiſſet, ad communionem laicam ſuſcepimus.

JESU CHR. AN. 251.

Horrendum Novatiani facinus.

32. Quos vero ſeduxerat, ut in ſchiſmate confirmaret, ſacrilegio Novatianus conſtringebat; nam Euchariſtiam porrigens, ac manus ejus, qui eam accipiebat, ambabus ſuis manibus comprehenſas retinens, *jura mihi*, dicebat, *per corpus, & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti, te nunquam meas partes deſerturum, nec ad Cornelium eſſe rediturum*. Et cum panem illum accipiens dicere debuiſſet *Amen*, ejus loco reſpondere cogebatur: *non revertar deinceps ad Cornelium*. Cito tamen improba evanuit factio. Ut enim Maximus presbyter, & Urbanus, Sidonius, & Celerinus, viri ob Fidei confeſſionem illuſtres, fraudem ejus, ac verſutiam, perjuria quoque, atque mendacia cognoverunt, ad ſanctam Eccleſiam reverſi ſunt, præſentibuſque aliquot Epiſcopis, ac presbyteris, & laicis compluribus teſtati ſunt ingemiſcentes, ſe ab eo deceptos aliquandiu ab Eccleſia receſsiſſe: de quorum ad eamdem reditu plura narrant Cornelius, & Cyprianus, quod ſcilicet congregato clero, præſentibus etiam quinque Epiſcopis, *firmato conſilio, quid circa perſonam eorum obſervari deberet, conſenſu omnium ſtatueretur*.

Confeſſores ad Eccleſiæ unitatem redeunt.

Cypr. epiſt. 49.

Novatiani, & Confeſſorum epiſtolæ de ejuſdem ordinatione.

33. Interea antequam Novatiani perfidia undique innoteſceret, ac Romani Confeſſores ad Eccleſiam redirent, epiſtolis, Legatiſque ad præcipuas Orbis Eccleſias deſtinatis, electio-

ctionem ſuam confirmandam Sycophanta curaverat ; Cornelii vero ordinationem , ac perſonam calumniis , confictiſque criminibus infamaverat , quibus etiam Confeſſorum epiſtolæ , qui Novatiano favebant , auctoritatem conciliabant . Unde Cyprianus : *Cum noviſſime per omnes Eccleſias litteræ calumniis , & maledictis plenæ eorum nomine* (ideſt Confeſſorum) *frequentes miſſæ fuiſſent , & pene omnes Eccleſias perturbaſſent , circumventos ſe eſſe affirmaverunt , nec quid in litteris ineſſet ſciſſe* . Irritas nihilominus hujuſcemodi Novatiani fraudes fuiſſe , Dionyſii Alexandrini epiſtola imprimis teſtatur , qua eum inter cætera admonet , hortaturque , ut quam invitum ſe aſcendiſſe Romanam Cathedram ſcripſerat , ſponte relinqueret : *Siquidem invitus , ut aſſeris , eo adductus es , id nobis oſtendes , tua ſponte redeundo* ; cum ſatius fuiſſet quidvis pati , quam Eccleſiam Dei tam funeſto ſchiſmate diſcindere , ut pluribus eodem loco Dionyſius perſequitur .

Cypr. epiſt.49.

Dionyſ. Alex. epiſt. ad Novatianum. Euſeb. lib.6. cap.45.

Cyprianus Novatiani legatos & epiſtolas rejicit. *Cypr. epiſt.44.*

34. Dionyſium Alex. imitatus eſt Cyprianus , qui , coacto Carthagine Concilio , legatos una cum epiſtolis Novatiani abjiciendos juſſit , ut in ſua ad Cornelium narrat : *venerunt ad nos* , inquit , *miſſi a Novatiano Maximus presbyter , & Augendus diaconus , & Macheus quidam , & Longinus* , quos ſtatim a communicatione *cohibendos eſſe cenſuimus* , refutatis interim , & retuſis , quæ obſtinate , ac pertinaciter aſſerere tentabant , invidioſis ſcilicet convitiis , & clamoribus turbulentis flagitantes , ut crimina , quæ ſe afferre adverſus Cornelium , ac probare dicebant , publice ab omnibus cognoſcerentur . Cumque poſt primam ad ſollicitandas Africæ Eccleſias , alteram etiam legationem miſiſſent , quam Novatus ipſe , Carthaginenſis Eccleſiæ olim presbyter , una cum aliis iniit , ſperans fortaſſe meliori ſe fortuna uſurum ; Cornelius Papa aliis epiſtolis Cyprianum , ceteroſque Africæ Epiſcopos monuit , ut ſibi ab eorum fraudibus caverent , & ut Schiſmaticorum conſortia vitarent : *Invigiletur ergo* , ajebat , *ut omnibus Coepiſcopis noſtris , & fratribus innoteſcat , Nicoſtratum , & Novatum , & Evariſtum , & Primum , & Dionyſium illo jam perveniſſe* , ideſt in Africam , de Nicoſtrato ibidem ſubdens , multorum criminum reum fuiſſe ; Evariſtum vero Epiſcopum ſchiſmatis auctorem , & propagatorem .

Cornelii epiſtola ad Cyprianum.

Cypriani epiſtola ad Cornelium.

35. Cornelii epiſtolam ut accepit Cyprianus, ad eumdem inter cætera reſcripſit : *Cum diligentia , & cum dilectio-*

ne

ne feciſti, frater cariſſime, feſtinato ad nos mittendo Nicephorum Acoluthum, qui nobis, & de Confeſſoribus regreſſis glorioſam lætitiam nunciaret, & adverſus Novatiani, & Novati novas & pernicioſas ad impugnandam Chriſti Eccleſiam machinas pleniſſime inſtrueret; quibus, & didicimus, & docere, atque inſtruere cæteros cœpimus, Evariſtum de Epiſcopo jam nec laicum remanſiſſe, ideſt, nequidem laica communione dignum: deinde alia Evariſti crimina, & Nicoſtrati diaconi, & Novati recenſet. Antonianus tamen Africæ Epiſcopus, qui hactenus Cornelio faverat, fraudulentis Novatiani litteris aliquantulum hæſitans, Cyprianum rogaverat per Quintium presbyterum, ut ſibi renuntiaret, *quam hæreſim Novatianus introduxiſſet, vel Cornelius qua ratione Trophymo, & thurificatis communicet*. Hæc erat præcipua Novatianorum in Cornelium calumnia, quam pluribus Cyprianus confutat, atque ad Antonianum reſcribens, eumdem de Novatiani fraudibus admonet, leviterque objurgat, eo quod tam facile Novatiani calumniis aures præbuiſſet. In varias tamen ſententias de Cornelii, & Novatiani ordinatione, poſt acceptas utrorumque epiſtolas, abiiſſe Epiſcoporum plurimos, prout ſuo quiſque ingenio propenſus erat, narrat Socrates, cujus fides ſuſpecta apud eruditos eſt, ex eo maxime, quod Novatianis plus juſto eum faviſſe conſtet.

JESU CHR. AN. 251.

Cypr. epiſt. 55.

Socrat. lib. 4. 28.

36. Romanum interea Concilium hoc anno menſe Octobri celebratum eſt, quo ſexaginta Epiſcopi cum Cornelio convenientes, una cum presbyteris, & diaconibus plurimis, lapſis pœnitentiam dandam eſſe exiſtimarunt, ſimulque ſtatuerunt Novatianum, ejuſque aſſeclas anathemate eſſe infligendos. *Cum Novatus* (ideſt Novatianus, a Græcis; ut ſupra diximus, cum Novato confuſus) *Eccleſiæ Romanæ presbyter, arrogantia adverſus eos elatus, quaſi nulla ſpes ſalutis ipſis poſthac ſupereſſet, tametſi omnia explerent, quæ ad ſinceram converſionem, puramque confeſſionem pertinent, propriæ cujuſdam ſectæ eorum, qui tumore mentis elati, ſe ipſos Catharos cognominarunt, auctor extitit. Ob quam rem cum Romæ congregata eſſet Synodus, in qua ſexaginta quidem Epiſcopi, presbyteri vero, ac diaconi multo plurès convenerant; cumque in Provinciis Antiſtites, quid agendum eſſet, ſeorſim conſultaſſent, hujuſmodi decretum a cunctis promulgatum eſt: Novatum quidem, & eos, qui una cum ipſo ſeſe inſolentius extulerant, & quicumque inhuma-*

Concilium Romanum lapſis pœnitentiam tribuit.

Euſeb. lib. 6. 43.

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 251.

humaniſſimæ , & a fraterna charitate alienæ ejus opinioni conſentire præſumpſerant , alienos ab Eccleſiâ habendos eſſe ; fratres vero , qui in calamitatem inciderant , pœnitentiæ remediis curandos eſſe , & confovendos . Hæc de Romana Synodo Euſebius, cujus etiam ad Antonianum ſcribens Cyprianus meminit . Duo itaque in eo Concilio ſtatuta ſunt : primum , ut Novatianus cum ſuis ab Eccleſiæ communione abſtineretur : alterum , ut , peracta pro criminum varietate legitima pœnitentia , lapſis communio , & pax redderetur . Baronius quidem , & Labbeus duobus Conciliis ea ſtatuta fuiſſe tradunt , anno 254. & 255., itaut primo Novatianus excommunicationis ſententiam ſubierit ; altero vero lapſorum cauſa agitata fuerit . Pace tamen eorum , utraque potius uno eodemque Concilio definita dicenda ſunt , ſi ſua Euſebio ſtat fides , qui & teſtatur , ſe epiſtolas ea de cauſa ſcriptas , & Synodi geſta ante oculos habuiſſe .

Epiſt. 55.

Baron. ann. 254. num. 93.

Quid de Sacerdotibus lapſis ſtatutum fuerit.

37. Adnotandum hoc loco eſt , Synodo Romana cautum fuiſſe , ut Sacerdotes pœnitentes ab Eccleſia reciperentur ; ita tamen , ut communione laica contenti eſſent , ni urgens cauſa aliud ſuaderet : hinc Confeſſorum aliquot , & ex iis Maximus ita receptus eſt , ut Presbyterii honorem retineret , quemadmodum Cornelius ad Cyprianum teſtatur . Econtra Trophymus Epiſcopus , unus ex Novatiani ordinatoribus , ad laicam tantummodo communionem admiſſus eſt , ut ad Antonianum Cyprianus ſcribit . Quod cum ſervatum non fuerit in cauſa Fortunatiani Epiſcopi lapſi , & Baſilidis , & Martialis , conqueritur Cyprianus , atque Romani Concilii decretum ſub Cornelio inculcat : *Graviter , & dolenter motus ſum , fratres cariſſimi* , ajebat in epiſtola ad Epictetum Aſturicenſem Epiſcopum , *quod cognoverim Fortunatianum quemdam Epiſcopum apud vos , poſt gravem lapſum ruinæ ſuæ , pro integro nunc agere velle , & Epiſcopatum ſibi vindicare cœpiſſe* . In epiſtola vero ad Hiſpanos , ſeu ad plebem Aſturicenſem , & Emeritenſem de Saturnino , & Baſilide Epiſcopis lapſis : *Fruſtra tales Epiſcopatum ſibi uſurpare conantur , cum manifeſtum ſit , ejuſmodi homines nec Eccleſiæ Chriſti poſſe præeſſe , nec Deo ſacrificia offerre debere ; maxime cum jampridem nobiſcum , & cum omnibus omnino Epiſcopis in toto Mundo conſtitutis , etiam Cornelius collega noſter Sacerdos pacificus , & juſtus , & martyrio quoque dignatione Do-*

Cypr. epiſt. 49.

Cypr. epiſt. 55.

Cypr. epiſt. 65.

Cypr. epiſt. 67.

Domini honoratus, decreverit, ejuſmodi homines ad pœnitentiam quidem agendam poſſe admitti; ab ordinatione autem Cleri, atque Sacerdotali honore prohiberi. Hactenus de his Cyprianus: quibus conſtat, Cornelii ſententiæ totius Orbis Epiſcopos ſubſcripſiſſe, tam in iis, quæ lapſorum cauſam ſpectabant, quam in Novatiani ſchiſmate repudiando, unde non multis ab hinc annis ſcribebat Cyprianus Stephano Papæ, *per totum Orbem a Sacerdotibus Dei abſtentum fuiſſe* Novatianum. Nec mirum; Cornelio namque conſenſerant primarum Sedium Epiſcopi, ideſt Dionyſius Alexandrinus, ut ex ejuſdem epiſtolis ad Novatianum, & Confeſſores, & ex altera ad fratres per Ægyptum conſtitutos de Pœnitentia, in qua & ſuam de lapſis ſententiam exponit, & criminum gradus diſtinguit: ſed & duas alias ad ipſos Confeſſores epiſtolas miſit poſteaquam ad Eccleſiam rediiſſent, ut narrat Euſebius. Cum Cornelio, & Dionyſio conſenſerat Cyprianus, ut hactenus vidimus: nec ab iiſdem diſſentiebat Fabius Antiochenus, ut nos plures Cornelii epiſtolæ, ad eumdem datæ, certiores reddunt, de quibus apud Euſebium eſt mentio. Hinc factum, ut Romanæ, Alexandrinæ, Antiochenæ, Carthaginenſis Eccleſiarum auctoritate, depreſſum penitus remanſerit Novatiani ſchiſma, cujus nonniſi infelices reliquiæ ſuperfuerunt, ut poſtea videbimus.

Jesu Chr. an. 251.

Cypr. epiſt. 68.

Euſeb. lib. 6. 45. 46.

Euſeb. lib. 6. 43. & 44.

Serapionis lapſus, & pœnitentia.

38. Catholicæ Eccleſiæ diſciplinam, Romana etiam ſynodo hoc anno firmatam, ut lapſis, peracta pœnitentia, pax & communio redderetur, Dei quodammodo ſententia confirmavit, idque illuſtri exemplo Dionyſius ad Fabium ſcribens teſtatur: *Unum tibi exemplum proponam, quod apud nos contigit. Erat in hac urbe Serapion quidam ſenex ex numero fidelium, qui reliquo quidem anteactæ vitæ tempore nulli culpæ obnoxius fuerat. Sed in perſecutione lapſus, ſæpenumero veniam petierat; nec quiſquam ei attendebat, eo quod ſacrificaſſet. Idem poſtea morbo correptus, vocis uſu, ſenſuque omni carens triduo permanſit. Quarto demum die paululum recreatus, nepotem ex filia ad ſe vocat; & quouſque tandem, inquit, me detinetis filii? Properate, quæſo, & me quantocius abſolvite. Accerſe mihi unum ex presbyteris. Hæc cum dixiſſet, rurſus illum vox deſtituit. Puer ad presbyterum cucurrit. Jam nox erat; presbyter autem ægrotabat. Sed quoniam in mandatis dederam, ut morituris, ſi peterent, & maxime ſi an-*

Digitized by Google

JESU CHR. AN.251. *antea ſuppliciter poſtulaſſent, venia indulgeretur, quo bonæ ſpei pleni ex hac vita migrarent; exiguam Euchariſtiæ partem puero tradidit, jubens, ut in aqua intinctam ſeni in os inſtillaret. Redit igitur puer buccellam afferens, & cum appropinquaret, priuſquam ingrederetur, recreatus iterum ſenex: Veniſti, inquit, fili, ac presbyter quidem ipſe venire non potuit. Tu vero fac citius, quod imperatum eſt, & dimitte me. Mox puer buccellam intinxit, & in os ſenis infudit, qui ea paulatim abſorpta, continuo animam exalavit. An non igitur perſpicue apparet, eum reſervatum fuiſſe, ac tantiſper in vita permanſiſſe, quoad reconciliaretur, & deleto jam crimine, pro multis quæ geſſerat bonis operibus, a Chriſto agnoſci poſſet, & prædicari?* Hactenus ex Dionyſio Euſebius, quibus Novatianorum hæreſis damnatur. Et quidem ſi nuſpiam lapſi in Eccleſiam recipi deberent, fruſtra Clavium poteſtas data eſſet, fruſtra Petro Chriſtus dixiſſet: *Tibi dabo claves Regni Cælorum*, fruſtraque dictum eſſet: *Quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis*. Unde Auguſtinus: *Nec audiamus eos, qui negant, Eccleſiam Dei omnia peccata poſſe dimittere. Itaque miſeri, dum in Petro petram non intelligunt, & nolunt credere datas Eccleſiæ claves Regni Cælorum, ipſi eas de manibus amiſerunt.*

Scrapio, communione accepta, obiit.

Matth. 16.

Aug. de agon. Chriſt. cap. 31.

39. Ne autem, quæ de Origene ſuperſunt adnotanda, longius protrahamus, eum *ſeptuageſimo ætatis anno* ex hac vita migraſſe, cum Euſebio ſubnectimus, quem ſub Gallo Imp. hoc vel ſequenti anno obiiſſe, idem Auctor innuit, ac magno cum honore Tyri ſepultum fuiſſe Hieronymus, & Socrates narrant. Porro tam varia Origenis fortuna fuit, ut aut impenſius laudaretur, aut acerbius probris, contumeliiſque vexaretur: hinc plurimi pro meritis eum Cœlo donatum putant, alii econtra ad Inferos detrudunt, vanam inutilemque de ejuſdem æterna ſalute diſputationem texentes, quam nos ad alia properantes, iis diſcutiendam relinquimus, quibus arcana Divina penetrare datum eſt.

Origenis obitus.

Euſeb. lib. 7. 1. Huetius Orig. vita apud La Rue tom. 4. Tillem. to. 3. pag. 548. Pag. not. 23. 24. ad an. 253. Baſn. an. 253. Socrat. lib. 6. 12. Hier. de Vir. Ill. c. 54. & epiſt. ad Pamm. 84.

40. Inter Origenis Apologiſtas Pamphylum Martyrem eruditione, ac pietate celeberrimum recenſet Euſebius, ejuſque Apologiam quinque tantum libris conſtaſſe, quibus ſextum ſe addidiſſe narrat. Eidem Pamphylo Hieronymus etiam eam prius attribuit: mutato deinde conſilio, cum Origenis cauſa cum Ruffino diſſidere cœpit, Euſebio potius, quam Pamphylo inſcribendam cenſuit. *Ad extremum dixerim etiam, me an-*

De Pamphyli Apologia pro Origene.

annos plurimos hoc putaſſe, quod Pamphyli fuerit, & a te exemplar hujus voluminis mutuatum: vide, quantum timeam cachinnos tuos, ut etiam nunc eadem ingeram. De tuo Codice, quod quaſi Pamphyli exemplar accepimus. Credidi Chriſtiano, credidi monacho; non putavi a te tantum ſceleris poſſe confingi. Poſtea vero per interpretationem tuam, quæſtione contra Origenem toto Orbe commota, in quærendis exemplaribus diligentior fui. Et in Cæſarienſi bibliotheca Euſebii ſex volumina reperi Apologiæ Origenis: quæ cum legiſſem, primum eum librum deprehendi, quem tu ſolus ſub nomine Martyris edidiſti, de Filio, & Spiritu Sancto, in bonam partem pleriſque blaſphemiis commutatis; & hoc vel Didymum, vel te, vel alium feciſſe, neſcio quem, quod tu apertiſſime in libro Periarchon feciſſe convinceris; maxime cum idem Euſebius (ut in duobus libris docui) ſcribat, Pamphylum nihil proprii operis edidiſſe. Dic ergo & tu, a quo exemplar acceperis; nec mihi ad ſubterfugiendum crimen mortuos aliquos nomines, ut cum auctorem oſtendere non potueris, illum proferas, qui non poſſit reſpondere. Hucuſque Hieronymus de Origenis Apologia, quam Euſebio inſcribendam cenſet: quin tamen ea Pamphylo & Euſebio communis fuerit, omni exceptione major teſtis eſt ipſe Euſebius: *Quæcumque vero neceſſe eſt de illo cognoſcere, ea peti poſſunt ex Apologetico, qui a nobis, & a ſacroſancto noſtri temporis Martyre Pamphylo pro illius defenſione conſcriptus eſt, quem quidem nos propter malevolos quoſdam accuſatores, communi ſtudio, atque opera junctim elaboravimus.* Quinque libris primum eadem conſtabat, quibus Euſebius ſextum poſt Pamphyli mortem addiderat, *Harum autem rerum certiſſima documenta habes in ſexto libro Apologetici illius, quem nos pro ejus defenſione conſcripſimus.* Integros ſex libros ſua ætate adhuc extantes legerat Photius Cod. 118: at præter fragmenta aliquot, unicus tantum nunc ſupereſt liber a Ruffino latinitate donatus, atque inter Origenis opera inſertus tom. 4. operum Origenis parte 2. editionis DelaRue.

Hieronymi contra Ruff. lib. 2. n. 12. tom. 2. pag. 541. & alibi paſſim.

Euſeb. lib. 6. 34.

Lib. 6. 36.

41. Eximiis laudibus Origenem extulit Vincentius Lirienſis, & quamvis ejus opera quamplurimis blaſphemiis referta eſſe fateatur, aliena tamen manu in plurimorum perniciem corrupta fuiſſe adnotat his verbis: *Etſi non ipſum, libros tamen ſub nomine ſuo editos magnæ eſſe tentationi, qui multis blaſphemiarum vulneribus ſcatentes, non ut alieni, ſed*

Origenis elogium ex Vincentio Lirin. *Commonit. lib. 1. 23.*

Digitized by Google

JESU CHR. AN. 251. *quaſi ſui & leguntur , & amantur , ut etſi in errore concipiendo Origeni non fuit ſenſus , ad errorem tamen perſuadendum Origenis auctoritas valere videatur* . Quanti autem ejuſdem pietatem , eruditionemque faceret , longa proſequitur oratione , ac inter cætera , ſi vita auctoritatem parit , ſi genus, vel eruditio , quid eo nobilius , qui e domo prodiit martyrio illuſtrata ? Deinde pro Chriſto non ſolum patre , ſed omni quoque facultate privatus , tantum inter ſanctæ paupertatis profecit anguſtias , ut pro Dominica confeſſione ſæpius, ut ferunt , affligeretur . Tanta inſuper vis ingenii , ut omnes pene ſuperarit : tanta doctrina , ac totius eruditionis magnificentia , ut pauca forent divinæ , pene fortaſſe nulla humanæ Philoſophiæ , quæ non penitus aſſequeretur . *Eloquentiam vero quid memorem , cujus fuit tam amœna , tam læta , tam dulcis oratio , ut mihi ex ore ipſius non tam verba , quam mella quædam fluxiſſe videantur ? tanta etiam opuſcula edidit , ut nemo mortalium plura ſcripſerit* . Nec diſcipulorum numero , aut dignitate minus felix fuit , quorum aliqui doctores , Sacerdotes , Confeſſores , aut Martyres extiterunt. *Jam vero quanta apud omnes illius admiratio , quanta gloria , quanta gratia fuerit , quis exequi valeat ? Quis non ad eum paulo religioſior ex ultimis Mundi partibus advolavit ? Quis Chriſtianorum non pene ut Prophetam , quis Philoſophorum non ut magiſtrum veneratus eſt ? Quam autem non ſolum privatæ conditioni , ſed ipſi quoque fuerit reverendus Imperio , declarant hiſtoriæ , quæ eum a matre Alexandri Imperatoris accitum ferunt , cæleſtis utique ſapientiæ merito , cujus & ille gratia & amore flagrabat . Sed & ejuſdem epiſtolæ teſtimonium perhibent , quas ad Philippum Imperatorem , qui primus Romanorum Principum Chriſtianus fuit , Chriſtiani magiſterii auctoritate conſcripſit . De cujus incredibili quadam ſcientia , ſi quis , referentibus nobis , chriſtianum non accipit teſtimonium , ſaltem teſtificantibus Philoſophis , gentilem recipiat confeſſionem . Ait namque impius ille Porphyrius excitum ſe fama ipſius Alexandriam fere puerum perrexiſſe , ibique eum vidiſſe jam ſenem , ſed plane talem tantumque , qui arcem totius ſcientiæ condidiſſet . Dies me citius defecerit , quam ea , quæ in illo viro præclara extiterunt , vel ex minima ſaltem parte perſtringam* .

Hier. epiſt. ad Pamm. 84. Hæc aliaque Lirinenſis de Origene, cujus laudes Hieronymus celebrans , hæc præſertim de ejus ſcriptis adnotat . *Mille &*

eo

eo amplius tractatus in Eccleſia locutus eſt : edidit præterea innumerabiles commentarios. Quis noſtrum tanta poteſt legere, quanta illa conſcripſit? Ita Hieronymus, qui cum poſtea adverſus Ruffinum inimicitias ageret, in Origenem quoque infenſiori ſtylo multa conſcripſit, ut ſuo loco videbimus.

42. Quanto moribus, doctrina, ſcriptis, & diſcipulorum gloria inclaruit Origenes, eo magis ſcandalo quamplurimis fuit; nam *Viri celebritas*, ajebat Lirinenſis, *non ſolum ad Religionis gloriam, ſed etiam ad tentationis magnitudinem pertinebat.* Quis etenim tanti ingenii, tantæ doctrinæ, tantæ gratiæ virum facile deſpiceret, ac non potius illa uteretur ſententia, ſe cum Origene errare malle, quam cum aliis vera ſentire? quo factum eſt, ut tanti Doctoris auctoritate, non humana aliqua, ſed (ut exitus docuit) nimium periculoſa tentatio plurimos a fidei integritate deduceret. *Quamobrem hic Origenes tantus ac talis, dum gratia Dei inſolentius abutitur, dum ingenio ſuo nimium indulget, ſibique ſatis credit; quum parvi pendet antiquam chriſtianæ Religionis ſimplicitatem; dum ſe plus cunctis ſapere præſumit; dum Eccleſiaſticas traditiones, & veterum magiſteria contemnens, quædam Scripturarum capitula novo more interpretatur, meruit, ut de ſe quoque Eccleſiæ Dei diceretur: Si ſurrexerit in medio tui Propheta... non audies verba Prophetæ illius. Et item: Quia tentat vos, utrum diligatis eum, an non. Vere non ſolum tentatio, ſed etiam magna tentatio deditam ſibi, atque a ſe pendentem Eccleſiam admiratione ingenii, ſcientiæ, eloquentiæ, converſationis, & gratiæ nihil de ſe ſuſpicantem, nihil ſe verentem, ſubito a vetere Religione in novam profanitatem ſenſim, paulatimque traducere. Sed dicet aliquis*, ſubdit Lirinenſis, *corruptos eſſe Origenis libros. Non reſiſto, quin potius & malo; nam id eſt a quibuſdam & traditum, & ſcriptum non Catholicis tantum, ſed etiam hæreticis.* Hinc factum, ut, excreſcente in dies ſcandalo, ea apud antiquos ſententia invaluerit: *ubi bene, nemo melius; ubi male, nemo pejus.*

Origenis pietas, & doctrina multis ſcandalo fuit.

Vincent. Lirin. ut ſupra.

Caſſiod. de div. inſtit. cap. 1.

43. Cumque Origenis opuſcula, eo etiam vivente, multoque magis poſt obitum corrupta fuerint; nec dubitari poſſit propriis quoque erroribus eum ſcripta ſua fœdaſſe, caute eadem legenda eſſe, ac juxta Apoſtoli monitum, *omnia probate, quod bonum eſt tenete*, vel ipſa naturalis ratio dicta-

Origenis ſcripta caute legenda.

Jesu Chr. An. 251.

bat. Contrarium tamen omnino accidit; nam poſt ejus mortem, in duas partes, ſeu ſectas diviſus eſt Orbis; cum alii Origenem, ejuſque opuſcula eo uſque admirarentur, tamquam ex tripode oracula edidiſſet: alii econtra eum, ejuſque doctrinam ita averſarentur, ut vel ipſa Eccleſiæ dogmata ab eo tradita ſuſpecta haberent. Utroſque idem, dum viveret, his verbis arguit: *Habet periculum & dilectio, ſi modum tranſeat; debet enim, qui aliquem diligit, naturas, & cauſas conſiderare dilecti; & non eum plus diligere, quod meretur... Quod quidem nos in Eccleſia patimur; plerique enim, dum plus diligunt, quam meremur, hæc jactant, & loquuntur, ſermones noſtros doctrinamque laudantes, quæ conſcientia noſtra non recipit: alii vero tractatus noſtros calumniantes, ea ſentire nos criminantur, quæ nunquam ſenſiſſe nos novimus. Sed neque hi, qui plus diligunt, neque illi, qui oderunt, veritatis regulam tenent.* Laudetur itaque, ſi lubet, Origenes, ſed in laudibus ſervetur modus, itaut errores refutentur, quemadmodum a nonnullis ejuſdem Apologiſtis factitatum narrat Auguſtinus: *Defenſores dicant, Origenem Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum unius, ejuſdemque ſubſtantiæ docuiſſe, neque reſurrectionem reſpuiſſe mortuorum, ſed qui ejus plura legerunt, contradicunt.* Eum vero Arianis non ſolum arma ſubminiſtraſſe, ſed & Pelagianis viam monſtraſſe, vix dubitatur. Unde Hieronymus ad Cteſiphontem: *Doctrina tua Origenis ramuſculus eſt*: quod ex libro ipſius de Oratione tam manifeſto patet, ut Pelagianorum Coripheus a Noriſio dicatur. Graviora adhuc fuut, atque Chriſtianæ fidei funera, quæ in libro Periarchon, ſeu de Principiis, ab eodem traduntur, diabolum ſcilicet eſſe ſalvandum: impios poſt multa ſæcula beatitudine donandos, atque Angelos æque ac homines in futuro ſæculo æternæ felicitatum, miſeriarumque viciſſitudini deſtinatos eſſe: hominum etiam animas longo temporum ſpatio corporum creationem præceſſiſſe: unde de Chriſti anima ajebat: *Naſcitur Deus homo, illa ſubſtantia exiſtente, cui utique contra naturam non erat corpus aſſumere. Sunt & alia hujus Origenis dogmata*, ait Auguſtinus, *quæ Catholica Eccleſia omnino non recipit, in quibus nec ipſum falſo arguit, nec poteſt ab ejus Defenſoribus excuſari, maxime de purgatione, & liberatione; ac rurſus poſt longum tempus ad eadem mala revolutione rationa-*

lis

Orig. in Lucam, hom. 25.

Aug. de hær. cap. 43. Socrat. lib. 6. 13.

Hieronym. epiſt. 133. Noriſ. hiſt. Pelag. lib. 1. c. 2. Orig. Patriarch. lib. 3. cap. 5. 6. lib. 10. cap. 6.

lis univerſæ creaturæ. Sed de doctrina Origenis, deque ejuſdem erroribus, & operum chrotonaxi videantur Tillemontius, Huetius, Natalis Alexander, Dupinius, aliique de Scriptoribus Eccleſiaſticis tractatores.

JESU CHR. AN. 251.

Tillem. to. 3.
Nat. Alex. diſſert. 16. Sec. 3.

Hæreticorum Origeniſtarum duæ ſpecies.

Aug. de hær. 43.
Bar. 256. 47.
Baſnag. 253.

44. Poſt Origenis obitum binæ fuerunt Origeniſtarum ſectæ: aliorum quidem, qui caſtis viventes moribus, illius erroribus ſubſcribebant; alii vero cum corruptiſſimum vitæ inſtitutum tenerent, idcirco fœdi appellati ſunt. An unum Origenem Adamantinum, de quo hactenus egimus, auctorem utrique noſcerent, ignoratur; cum veteres adhuc, recentioreſque Scriptores inter ſe ea de cauſa diſſideant, de quibus plura non addimus.

Decii interitus.

45. Ob effuſum injuria Chriſtianorum ſanguinem, Dei iram in ſe ipſum Decius excitaverat; quare dum Gothos, Pannoniam, finitimaſque Romani Imperii provincias minitantes, perſequitur, in paludem incaute incidens, hoſtium telis, aut ſuorum proditione interfectus eſt, unaque cum eo filius ejus, quem Cæſarem dixerat, ut pluribus narrant hiſtoriæ Romanæ Scriptores, qui & eum menſibus triginta imperaſſe tradunt. De Decii interitu Conſtantinus in ſua ad Sanctorum cœtum oratione audiatur: *Te nunc interrogo, Deci, qui juſtorum laboribus olim inſultabas, qui Eccleſiam olim perſequebaris, qui viros ſumma vitæ ſanctitate præditos ſupplicio affeciſti: quid rerum nunc agis poſt hanc vitam? quantis, & quam difficilibus ærumnis premeris? tuam certe infelicitatem ſatis ſuperque declaravit illud temporis ſpatium, quod inter vitam & mortem tuam interceſſit, cum tu in campis Scythicis cum omni exercitu proſtratus Imperium Romanum tantopere ubique celebratum Gothorum contemptui, ac ludibrio expoſuiſti.*

Apud Euſeb cap. 24.

Gallus, & Voluſianus Imperatores dicti.

46. Deciis ſublatis, Gajus Trebonianus Gallus Imperator ab exercitu ſalutatus eſt, qui purpuram induens, filium ſuum Gallum Voluſianum Cæſarem primum, deinde ſocium in Conſulatu renuntiavit. Sed cum ex Decii filiis Cajus Hoſtilianus Decius adhuc ſupereſſet, ne in ejus patris mortem conſpiraſſe videretur, eum Imperio Gallus ſociavit. Ipſum vero ſequenti anno peſte ſublatum fuiſſe, tradit Victor, ac propterea illius inter Imperatores memoria vix ſupereſt, immo Decio Gallum, & Voluſianum filium ſucceſſiſſe Scriptores referunt: *Hæc ubi Patres comperere*, ait Victor de Cæſaribus, ideſt, Decios mor-

Jesu Chr. An. 251. mortuos eſſe, *Gallo, Hoſtilianoque Auguſta Imperia, Voluſianum Gallo editum Cæſarem decernunt. Dein oritur peſtilentia, qua atrocius ſæviente Hoſtilianus interiit.* Decii filium ſuperſtitem a Gallo adoptatum, deinde interemptum fuiſſe, narrat Zoſimus. Fidem tamen habendam eſſe Victori magis, quam Zoſimo, auctor eſt Pagius, qui de Imperatorum chronologia, & geſtis multa pro more congerit, quæ attigiſſe nobis ſat eſt, ut tertio tandem volumini finem imponamus.

Zoſim. lib. 1.
Pag. not. in Baron. 254. 33.

Digitized by Google

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM,

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

Numerus primus paginam, ſecundus paragraphum indicat.

A

ABſtinentia qualis improbatur, 104. 6. & 131. 10.

Adamantius, qui & Origenes, vide *Origenis ſtudia*.

Aelius Verus Commodus Imperio ſociatus, cum reliq. vide *Marcus Aurelius*.

Africani Epiſcopi Legatos Romam mittunt. 362. 29.

Agrippinus Alex. Eccl. præficitur. 74. 12. Succeſſorem habet Julianum. 140. 1.

Alcibiadis abſtinentia improbata. 131. 10.

Alexander Heliogabali conſobrinus ab eodem adoptatus. 261. 1. Poſt ejus interitum Imperator ſalutatur. 262. 1. Illius mores, & religio. 263. 2. Chriſtianam diſciplinam imitatur. *ibid.* 3. Plures ducit uxores. 268. 2. Alia ejuſdem geſta. *ibid.* & 269. 1. Sub ejus Imp. optimus Reipubl. ſtatus. 274. 1. In Perſas expeditionem ſuſcipit. 278. 2. De iiſdem triumphat. 282. 1. Coram Senatu Romæ orationem habet. 283. 2. In Germanos proficiſcitur. 286. 1. Eo ſublato, ſufficitur Maximinus. 287. 1.

Alexander Hieroſolymæ Epiſcopus creatur. 250. 4. Martyrio occubuit. 339. 19. Marabanem ſucceſſorem habuit. *ibid.*

Alexander philoſophus, & Carbonarius quis fuerit. 299. 6. Cumanorum Epiſcopus ordinatus. 300. 7. Coram Patribus concionatur. *ibid.*

Alexandrini rixoſi. 314. 1. Martyres. Vide *Martyrum numerus*.

Ambroſius ab Origene ad Chr. fidem converſus. 253. 4. Eumdem ad S. Scripturæ expoſitionem ſtimulat, & adjuvat. *ibid.* 5.

Ammonii ſtudia, & diſcipuli. 203. 6. Cur *Sacca*, ſeu *Saccarius* dictus. *ibid.* Ejus fama vindicata. 205. 7. Orſi opinio de illius apoſtaſia refellitur. 206. 8. & *ſeq.* Quænam eſſet ejuſdem philoſophia. 208. 10. & *ſeq.* A Moſhe-

ſhemii cenſura vindicatur. 209. 12.

Angelorum cultus apud Fideles antiquus. 25. 3.

Anicetus Rom. Eccleſiæ præficitur. 37. 1. Cum Polycarpo de Paſchatis quæſtione agit. 39. 6. Quænam illi honoris cauſa conceſſerit. *ibid.* Ejus temporibus Hegeſippus Romam venit. 40. 1. Soterem ſucceſſorem habuit. 76. 5. Epiſtola, & Synodus eidem ſubditæ 77. 6.

Animæ immortalitas a Patribus comprobata. 309. 4.

Anteros Rom. Pont. ordinatus. 290. 7. Ei ſuccedit Fabianus. *ibid.* De ejuſdem martyrio, & ſcriptis. *ibid.* 8.

Antonino imperante, Chr. fides latius propagatur. 2. 2. Favore Chriſtianorum decretum indicit. *ibid.* Præclara illius geſta. 20. 10. *&* 21. 1. Manſuetudo. *ibid.* Locales perſecutiones contra Chriſtianos excitatæ. 22. 2. Ob Juſtini Apologiam comprimuntur. 30. 9. Ad Commune Aſiæ epiſtola. *ibid.* Alia ejuſdem geſta. 34. 3. *& ſeq.* Liberalitas. 36. 1. An Vicennalia Imperii geſſerit. *ibid. infer.* Legem de adulteriis renovat. 42. 2. Ejus auctoritas in exteras Gentes. 43. 1. Marco Aurelio Imperium relinquit. *ibid. infer.*

Apollinaris Hierapol. Epiſc. opera, 98. 5.

Ss. Apolloniæ, & Serapionis martyrium. 315. 3.

Apollonii Senatoris martyrium. 148. 1.

Apotheoſis ritus, & cærimoniæ. 245. 2. *& ſeq.*

Artaxerſes Parthorum regnum Perſis recuperat. 274. 1. Romanis bellum indicit. 275. 1.

Aſclepiades Ep. Antioch. ordinatur. 249. 6. Ei ſuccedit Philetus. 269. 4.

Athenagoras quo anno M. Aurelio, & filio Apologiam obtulit. 134. 16. Quis fuerit: an martyrium obierit. 135. 17. Apologiæ argumentum. 136. 18.

Athenodori vitæ initia. 285. 3.

Ss. Attali, & Sociorum certamina 125. *& ſeqq. & iterum* 130. 9. *& ſeqq.*

Avidius Caſſius bello Parthico præfectus. 52. 1.

Aurelius Confeſſor a Cypriano Lector ordinatus. 355. 20. Ejus merita. *ibid.*

B

Babylas Ep. Antioch. conſecratus. 293. 7. Philippo Imp. Eccleſiæ ingreſſum prohibet. 304. 2. Variæ de hoc opiniones. *ibid.* Martyrio coronatus Fabium ſucceſſorem habuit. 340. 20.

Ba-

Baptiſmi miniſtrorum Ordo. 229. 21. Rebaptizantium error improbatus. 239. 2. & ſeq. A Synodis Iconii, & Synnadæ confirmatur. 313. 4. In infirmitate baptizati ad Sac. Ord. non promovendi. 360. 27.
Bardeſanis hæreſis. 93. 8. Pro Cath. fide primum pugnaverat. 94. 9. Ejuſdem contra fatum argumenta. *ibid.*
Baſnagii errores de Martyrum cultu confutantur. 59. 10. De Clericorum tonſura. 79. 9. De Ortodoxia Ss. Perpetuæ, & Sociorum. 189. 11. De Purgatorio. 193. 16. De revelationibus. 297. 5. De S. Cypriani ordinatione. 319. 7. De presbyterorum auctoritate, & continentia. 359. 26.
Berylli Boſtrenorum Ep. opera. 260. 2.
Blaſti, & Florini ſchiſma. 145. 1.
Blondelli opinio de Irenæi ad Eleutherium legatione impugnatur. 128. 8. De S. Cypriani ordinatione. 319. 7.
Britannia Chriſti fidem amplectitur. 143. 2. Lucli legatio ad Eleutherium Pont. fabuloſa. *ibid.* 3. Bellum Britannicum exoritur. 146. 1.
Bizantini Martyres. 52. 5.

C

Cæcilii dialogus cum Octavio. 243. 3. & ſeq.
Caji presbyteri opera. 251. 5.
Callixtus Rom. Pontifex ordinatur. 259. 5. Succeſſorem habet Urbanum. 267. 1. Illius geſta, & ſuppoſitæ epiſtolæ. 268. 2.
Caracallæ ortus. 151. 1. Uxorem ducit Plautillam. 182. 2. Plautianum cum familia interficit. 215. 2. Ejus mores improbi. 237. 1. Mortuo patre, Imperium obtinet. 248. 4. Ejuſdem ſævitia. 249. 5. Fratrem occidit. *ibid.* 1. In hujus amicos invehitur. 250. 2. Eccleſiæ perſecutioni finem imponit. *ibid.* 3. Fratrem occiſum flere cogitur. 252. 1. Ejus in Germanos expeditio. 254. 1. In magiam ſtudium. *ibid.* Thermas Romæ ædificat. *ibid. infer.* In Orientem proficiſcitur. *ibid.* In Alexandrinos crudelis. 255. 1. Eo interempto, Macrinus Imperium invadit. 256. 1.
Carthaginenſe Concilium, vid. *Concilium.*
Cathari ſchiſmatici quinam fuerint. 365. 36.
Celandion, qui & Claudianus, Alex. Ep. ordinatur. 35. 1. Ei ſuccedit Agrippinus. 74. 12.

Celerinus inter Rom. Confeſſores celebris. 329. 3. De ſororis ignavia in confeſſione fidei ſolicitus. 330. 4. Ad Lectoris officium a Cypriano ordinatur. 355. 20. Egregia illius merita. *ibid.*

Celſi duo ex Epicurea ſecta. 307. 2.

Cenſorini epocha. 294. 3.

Chariſmatum dona, vid. *Miraculorum*.

Chriſtianorum mores. 18. 6. In mundo degentes animæ in corpore comparantur. *ibid.* 7. Sub optimis Principibus magis, quam ſub improbis vexati. 22. 1. Sub Antonino locales perſecutiones ſuſtinent. *ibid.* 2. Eorum continentia commendatur. 27. 4. Quomodo initiarentur. 28. 5. Alii eorum ritus. *ibid.* 6. *&* *ſeq.* Gentilium adverſus eos querelæ. 30. 9. Calamitatum cauſa ab eiſdem habiti. 75. 2. & 301. 2. De barbæ raſura apud eoſdem. 79. 9. Quid inter eos, & hæreticos interſit. 82. 15. Chriſtianorum precibus prodigia patrantur. 112. 1. *&* *ſeqq.* Quædam in ejuſmodi hiſtoriam adnotanda. 116. 5. *&* *ſeq.* Eorum erga Principes obedientia. 120. 3. Crimina eiſdem objecta. 125. 4. *&* 137. 19. A gentilium feſtivitatibus alieni. 176. 3. Contumeliis impetiti. 198. 21. *&* *ſeq.* Chriſtianis licitum vexationem pecunia redimere. 201. 3. Solo nomine damnati. 225. 13. Frequentius igni tradebantur. *ibid.* 14. Unde *Sarmentii*, ac *Semaxii* appellati. *ibid.* Falſo de ignavia exprobrati. 226. 15. Queis potiſſimum diſplicerent. 227. 16. Prodigia ob Chriſtianorum cædes. 233. 26. Quid paſſi ſint Præſides, qui in eos ſævierant. *ibid.* Alteri mitiores. 234. 27. Chriſtianorum beneficia erga omnes. *ibid.* In tormentis perferendis conſtantia. 244. 4. Eorum conventus in cœmeteriis celebrati. 271. 4. Terræmotus cauſa a gentilibus vexantur. 288. 3. Corrupti eorum mores a Deo caſtigantur. 325. 2. Ipſorum ignavia in Decii perſecutione. 326. 3. *&* *ſeq.*

Cleander Perenne crudelior. 149. 3.

Clemens Alexandrinus poſt Pantenum Scholæ præficitur. 155. 2. Perſecutionem declinat. 200. 1. Ejus poſtrema geſta, & opera, 202. 4. *&* *ſeq.* Hæc ab erroribus vindicantur. *ibid.*

Clericorum tonſuræ origo. 78. 7. Quid ſignificet. *ibid.* 8. Varia ejuſdem forma. 79. 9. Baſnagii opinio refellitur. *ibid.* De eorum continentia. 218. 6.

Cœ-

Cœmeteriorum Rom. index, & uſus. 270. 2. Cœmeterii Priſcillæ deſcriptio. *ibid.* 3. In eis fidelium conventus celebrati. 271. 4. Qua de cauſa in eiſdem mortui ſepelirentur. 272. 5.

Commodi nativitas. 45. 5. Patri in Imperio ſuccedit. 141. 1. Ejus mores impuriſſimi. *ibid.* 3. Chriſtianorum ſanguinem vindicat. 142. 4. Romam redit. *ibid.* 5. Triumphum deGermannis celebrat. 143. 1. Britannos in officium redigit. 146. 1. Lucillæ conjurationem detegit. *ibid.* 2. Ejus crudelitas, & libido. *ibid.* 1. Imperii adminiſtrationem Perenni committit. *ibid.* Quo perempto, Cleandrum ſuffecit. 149. 2. Iterum Britannorum ſeditiones compeſcit. *ibid.* 3. Eo ſublato, Pertinax Imperium obtinet. 162. 1. *& ſeq.*

Concilium Carthagineuſe ſub Agrippino celebratum. 239. 2. Rebaptizantium error in eo confirmatur. *ibid.* Hujus Concilii epocha. 240. 4. Aliud ſub Cypriano habitum. 353. 17.

Concilium Romæ Lapſis pœnitentiam tribuit. 365. 36. Quid de Sacerdotibus lapſis ſtatutum fuerit. 366. 37. Sententia de Lapſis miraculo confirmatur. 367. 38.

Confeſſionis Sacramentalis utilitas, & neceſſitas. 221. 9.

Confirmationis Sacramenti materia & forma. 229. 21.

Conſtantinus ex Imperatoribus primus Chriſti fidem amplectitur. 304. 3.

Cornelius Rom. Pontifex ordinatur. 356. 22. Illius elogium. *ibid. & ſeq.* Quanto tempore Pontificatum tenuerit. 358. 24. Schiſmaticorum in eumdem calumniæ. 361. 28. *& ſeqq.* Concilium celebrat. 365. 36. Adverſariorum proterviam deprimit. 366. 37.

Creſcentis philoſophi mores improbi. 68. 4.

Cyprianus Carthag. Ep. ab altero ejuſd. nominis, & Martyre diſtinguendus. 316. 4. Illius geſta anteEpiſcopatum. *ibid.* 5. Catechumenus adhuc continentiam profitetur, ac bona pauperibus diſtribuit. 317. 6. Ad Donatum de idolorum vanitate ſcribit. 318. 6. Ejus elegantia aPatribus laudata. *ibid.* Presbyter primo, deinde Epiſcopus ordinatur. 319. 7. *& ſeq.* Quis fuerit illius præceſſor. 320. 9. Quo anno ordinatus. 321. 10. Quomodo ſe gefferit in Epiſcopatu. *ibid.* 11. Oblationes offerri vetat pro eo, qui teſtamento presbyterum tutorem dixerat. 322. 12. Hiſtriones cenſet a communione removendos. *ibid.* An ma-

magiæ deditus fuerit, & Juſtinæ amoribus. 323. 13. Inſtantem Decii perſecutionem revelatione didicit. 326. 4. Eam fuga declinat. 331. 6. Pro ſe ipſo apologiam ſcribit. 332. 7. Martyribus, & Confeſſoribus gratulatur. 333. 9. Qualem curam abſens de grege ſuo habuerit. 334. 10. Ejus querelæ adverſus Schiſmaticos. 351. 15. Illos percutit excommunicatione. 352. 16. Convocato Conciliis omnia ab eo peracta confirmantur. 353. 17. Numidicum presbyterum ordinat. 355. 19. Aurelium, & Celerinum divina revelatione ad Lectoris Officium provehit. *ibid.* 20. Novatiani, & Confeſſorum epiſtolas, ac legatos contra Cornelium Pont. rejicit. 364. 34. Litteras a Cornelio accipit. *ibid.* Ad eumdem reſcribit. *ibid.* 35.

D

DAllei ſententia de S. Polycarpi ſcriptis impugnata. 64. 13. De Clericorum continentia. 218. 6. De Heracla Alexandr. Epiſc. 282. 2.

Decius Imperator ſalutatus. 324. 1. De illius origine, & moribus. 325. 2. Eccleſiam perſequitur. 326. 3. & ſeqq. De hujus perſecutionis atrocitate. 327. 1. Omnium ſæviſſima. 328. 2. Carthagine graſſatur. 331. 6. & ſeqq. Alexandriæ atrociſſima. 335. 11. Ubique ſævit. 337. 15. & ſeqq. Una cum filio interficitur. 368. 39. Ad Gallum & Voluſianum Imperium tranſit. *ibid.* 40.

Demetrius Ep. Alex. ordinatur. 152. 1. Quænam contra Origenem geſſerit, vide *Origenis ſtudia*. Heraclam Succeſſorem habuit. 281. 1.

Dio hiſtoriam ſuam abſolvit. 277. 1.

Diognetus quis fuerit. 18. 7.

Dionyſia Virgo ab Angelo liberata. 350. 13.

Dionyſii Corinthiorum Ep. ad plures Eccl. epiſtolæ. 85. 3. Ab hæreticis adulterantur. *ibid.*

Dionyſius Alex. Ep. Origeni favet. 307. 2. Heraclæ in Epiſcopatu ſuccedit. 311. 2. Ejus initia uſque ad Epiſcopatum. *ibid.* Hæreticorum libros abſque damno legit. 312. 3. Deo protegente, perſecutionem declinat. 335. 11. Ejus epiſtola ad Fabium Ep. Antioch. 354. 18.

Divorum inauguratio. 246. 2. & ſeq.

Docetarum auctor, & errores. 90. 4.

Dodwelli opinio de Martyrum numero refellitur. 46. 1.

De

De duobus Theophylis. 83. 16. De tempore apologiæ Athenagoræ. 134. 16. De Irenæi ætate, cum Epiſcopus creatus eſt. 138. 1. De tempore Severianæ perſecutionis. 183. 4. & ſeq. De Symbolo fidei Gregorio Thaum. divinitus oſtenſo. 297. 5. De perſecutione Deciana. 327. 1.
Dominica die Chriſtiani conveniebant. 29. 7.

E

Eccleſia Dei ubique diffuſa. 1. 1. & ſeq. Ejus firmitas adverſus omnes diaboli machinas. 12. 16. Extra eamdem nemo ſalvatur. ibid. Unde Apoſtolicæ Eccl. dignoſcantur. ibid. 17. Ejus traditio quo imitatur. 73. 11. Eccleſiaſtici Scriptores plurimi. 96. 1. & ſeqq. Eccleſia, & Rom. Pont. in quæſtionibus facti errare poſſunt. 159. 7. Ab Apoſtolicis Eccleſ. fidei veritas repetenda. 220. 8. Ultra fines Imperii propagata. 241. 2. Unde orta conſuetudo ſepeliendi mortuos in Eccleſiis, vid. *Mortuorum corpora*.
Eleutherius in Rom. Cath. Soteri ſuccedit. 120. 1. Martyrum Lugdunentium epiſtola ad eumdem. 128. 8. Quo anno obiit. 156. 1. De epiſtola eidem adſcripta. *ibid.* 2. Victorem ſucceſſorem habuit. *ibid.* 3.
Epheſiorum Epiſcopus, vid. *Polycarpus*.
Epiſcopus a plebe accuſari non debet. 38. 3. Sacræ Scripturæ verſiones poteſt approbare. 180. 5. Quinam ad Epiſcopatum eligendi. 264. 4. Suffragium plebis in Epiſcoporum electione. *ibid.* Epiſcopi lapſi quam pœnam incurrerent. 366. 37.
Evangelium divina virtute ubique prædicatur. 1. 1. & ſeq. Contra illud nihil credendum. 219. 7.
Euchariſtiæ celebratio. 28. 6. Ægrotis ſub ſpecie panis delata. 367. 38.
Euphrates Ophitarum auctor, vid. *Ophitarum hæreſis* Euſebius Cæſarienſis cum Pamphylo Apologiæ Origenis auctor.
Excommunicationis ſententia a Rom. Pont. in Epiſcopos Aſianos lata retractatur. 170. 3. & ſeq.

F

Fabianus in Petri Cathedra ſucceſſor. 290. 7. De mira ejus ordinatione, & geſtis. *ibid.* 1. Africanæ Synodi ſententiam adverſus Privatum confirmat. 296. 2. Apoſtolicos viros in Galliam

Digitized by Google

liam mittit ad Evangelium prædicandum. 306. 2. Martyrio coronatus. 329. 3. Cornelium habet ſucceſſorem. 330. 5.

Fabius Antiochiæ Ep. ordinatur. 340. 20.

Felicis Bullæ latronum celeberrimi ſupplicium. 239. 1.

Feliciſſimi, & Novati ſchiſma, vid. *Novati*.

S.Felicitatis, & filiorum martyrium. 49. 1. *& ſeqq.*

Feſtorum celebratio in honorem Ss. antiquitus ſervata. 59. 10. & 347. 7.

Fidelium mores, vid. *Chriſtianorum*.

Fides catholica ubique propagata. 1. 1. *& ſeqq.* Ejus veritas unde repetenda. 220. 8.

Florini ſchiſma, vid. *Blaſti & Florini*.

Fulgura cum pluvia Chriſtianorum precibus cœlitus miſſa. 113. 2. *& ſeq.*

G

Galliis Religio fuſius propagatur. 306. 2.

Gallus & Voluſianus Imperatores ſalutantur. 368. 40.

Gentilium querelæ adverſus Chriſtianos, vid. *Chriſtianorum mores*. Feſtivitates gentilitiæ. 176. 3. *& ſeq.* Multi ad fidem per viſionem vocati. 214. 20.

Geta Severi Imp. filius Cæſar renunciatus. 175. 1. Improbi ejuſdem mores. 237. 1. Una cum fratre Imperator ſalutatur. 248. 4. A fratre occiditur. 249. 1.

S.Gliceriæ martyrium. 49. 1.

Gordianus Africæ Proconſul ſimul cum filio Imperator ſalutatus. 291. 2. Iis ſublatis, Maximus & Balbinus Imperium obtinent. *ibid.* 3.

Gordianus Junior alterius Gordiani nepos Imperium adipiſcitur. Afrorum rebellio comprimitur. 296. 1. Uxorem ducit, & in Perſas proficiſcitur. 301. 1. Illius geſta in bello Perſico. 302. 1. Miſitheum amittit. *ibid. infer.* Imperio, & vita a Philippo privatur. 303. 1.

Gregorii Thaumat. initia. 285. 3. Calumniam patienter ſuſtinet. *ibid.* 4. Ejus oratio in Origenis laudem. 297. 3. Neoceſareæ Epiſcopus invitus ordinatur. *ibid.* 4. Fidei ſymbolum eidem divinitus oſtenſum. *ibid* 5. Novatorum objectionibus reſpondetur. *ibid.* Alexandrum Carbonarium Cumanorum Ep. ordinat. 299. 6. *& ſeq.* Neoceſareæ Eccleſiam ædificat. 300. 8. Perſecutionem cum ſuis declinat. 340. 21. Apparitoribus inviſibilis redditur. *ibid.* 22. Licet abſens, præſto eſt certantibus. 341. 23. Ejus præſentia dæmonia mute-

teſcunt. *ibid.* 24. His imperat, ut ad templum revertantur. 342. 25. Refellitur Baſnagii cenſura. *ibid.*

H

HÆreſes diverſæ. Valentinianorum. 4. 4. Marcoſitarum. 5. 7. Ophitarum. 6. 8. Cajanitarum, & Sethianorum. 7. 9. Cerdonis. *ibid.* 10. Marcionitarum. 8. 11. *& ſeq.* Quænam hæreſum utilitas. 12. 17. Carpocratianorum. 42. 1. Encratitarum, vid. *Tatiani initia*. Severianorum. 90. 4. Cataphrygum, quo tempore exorta. 98. 5. reliqua, vid. *Montani hæreſis*. Taſcodrigitarum & Quintillianorum, Priſcillianorum, Pepuzianorum. 106. 9. Blaſti & Florini. 145. 1. Theodoti Coriarii, ſive Theodotianorum. 157. 4. Praxeana. 161. 9. Tertullianiſtarum, vid. *Tertulliani initia*.

Hæretici fac. Scripturam adulterant. 180. 4. Varias produnt ejuſdem verſiones. *ibid.* 5. De Clericorum continentia refelluntur. 218. 6. Non facile cum ipſis quæſtio de Scripturis habenda. 219. 7. De Sacramentali Confeſſione impugnantur. 221. 9. De templorum, & altarium uſu. 244. 4.

Hegeſippi opuſcula diverſa. 40. 1.

Heliogabali Imp. mores. 259. 3. Deum Heliogabalum Romam detulit. *ibid.* 4. Ejus geſta, & nuptiæ. 260. 1. *& infer.* Alexandrum adoptat, & Cæſarem dicit. 261. 1. Eumdem habet ſucceſſorem. 262. 1. Unde Tractitius, & Tiberinus appellatus. *ibid.*

Heraclas Ammonii diſcipulus. 203. 6. Demetrio in Epiſcopatu ſuccedit. 281. 1. *& ſeq.* Utrique Origeni infenſi. 307. 2. Dionyſium ſucceſſorem habet. 311. 2.

Hermes Pii Papæ frater. 38. 4. Ab Herma Paſtore diſtinguendus. *ibid.* 5.

Hermogenes duo hæretici. 92. 7.

Hero Ep. Antioch. Theophylum ſucceſſorem habuit. 80. 10.

Herodianus quo anno hiſtoriam ſuam abſolvit. 294. 3.

Hierapolitanæ Eccl. Epiſcopi, vid. *Apollinaris*.

Hieroſolymit. Epiſcoporum ſucceſſio. 36. 1. & 153. 3.

Hippolyti Ep. Portuenſis ſcripta. 264. 5. Cujuſnam civitatis fuerit Epiſcopus. *ibid.* Inter Martyres recenſetur. 265. 6. Tres Hippolyti diſtinguendi. *ibid.* 7. Romæ martyrio coronatur. 266. 8. Operum ejus catalogus. *ibid.*

Hi-

Digitized by Google

Hiſtriones ab Eccl. communione removendi. 322. 12.

J

JEjunia Montauiſtarum qua ratione reprobata. 104. 6. & 131. 10.

Jeſu Chriſti regnum divina virtute propagatum. 2. 2. Latius ſub Antonini Imperio. *ibid.* Cur ſero ad ſalvandos homines venerit. 18. 7.

Imaginum Ss. nulla virtus, aut divinitas. 59. 10.

Irenæus epiſtolam Martyrum Lugdunenſium Romam detulit. 128. 8. Blondelli objectionibus reſpondetur. *ibid.* Epiſcopus Lugdunenſis creatur. 138. 1. Ejuſdem elogium. 139. 2. A quo fuerit ordinatus. *ibid.* 3. De illius ſcriptis. 150. 1. & *ſeqq.* Qua morte obierit. 237. 2.

Judas proditor a Cajanitis & Sethianis laudatur. 7. 9.

Judicium venturum comprobatur. 27. 4.

Julianus Alexandriæ Epiſcopus. 140. 1. Demetrium ſucceſſorem habuit. 152. 1.

Julianus Imperator a militibus ſalutatus. 164. 3. Eo ſublato, Severus in Imp. ſufficitur. *ibid.* 4. & *ſeq.*

Julius Africanus qua ætate floruerit. 261. 2. Alter a Julio Sexto Africano. *ibid.*

Juramenti militaris formula ſub Chriſtianis Imp. immutata. 57. 6.

Juſtini opera, & vivendi ratio. 14. 1. Orationes ad Græcos *ibid.* 2. & *ſeq.* De Monarchia, aliiſque opuſculis. 15. 4. Contra hæreticos alia. 17. 5. De epiſtolæ ad Diognetum argumento. 18. 6. De operibus Juſtino ſuppoſitis. 19. 8. Evangelium prædicat. *ibid.* 9. De prima ejus Apologia. 24. 1. Quo anno ſcripta. 25. 2. Ejuſdem argumentum. *ibid.* 3. Immerito a Clerico damnatur. *ibid.* Cur diſciplinam arcaui violaverit. 30. 8. In errores aliquot incidit. *ibid.* Ob ejus Apologiam Antoninus perſecutionem comprimit. *ibid.* 9. De ipſius dialogo cum Triphone. 32. 1. Quænam in eo notatu digna. 34. 2. Secundam Apologiam Marco & Vero Imp. offert. 67. 2. Philoſophos arguit, præcipue Creſcentem. 68. 3. De Apologiæ argumento. 69. 5. Illius & ſociorum Acta vindicantur. 70. 6. Eadem exponuntur. *ibid.* 7. & *ſeq.* Juſtinus martyrio, & Scriptis nomen ſuum commendavit. 72. 10. De ejuſdem nævis: utrum auctoritatem ejus imminuant. 73. 11.

La-

L

Lapſis pœnitentia non deneganda. 230. 22., 353. 17. & ſeq. Ejuſmodi ſententia miraculo comprobata. 367. 38.
Legio Fulminatrix quænam, & unde dicta. 117. 6.
Leonidis martyrium. 197. 20. Origenis filii dotes in occulto miratur. ibid.
Ss. Luciani, & Marciani martyrium. 351. 14.
Lucii Britanniæ Regis legatio ad Eleutherium Pont. fabuloſa. 143. 3.
Lucius Verus Imperator, vid. *Verus Commodus*.
Ludi ſæculares quonam ritu celebrarentur. 215. 1.

M

Macrinus Imperator poſt Antoninum Caracallam. 256. 1. Diadumenum Antoninum vocat, & Imperio ſociat. 257. 2. Adventum Conſulem deſignat. 258. 1. Diadumeni, & Macrini interitus. ibid. 2. Iis ſuccedit Heliogabalus. 259. 3.
Mammea Origenem advocat. 278. 3. An Chriſtiana fuerit. ibid.
Marabanes Hieroſolymorum Epiſcopus. 339. 19.
Marcellina hæreſum magiſtra. 42. 1.
Marciano Alexand. Ep. Celadion ſuccedit. 35. 1.
Marcio hæreticus, ejuſque errores. 8. 11. & ſeq. De illius ſcriptis, & diſcipulis. 10. 13. & ſeq. Qui contra ipſum ſcripſerint. 11. 15.
Marcionis & Valentini hæreſis, vid. *Valentini*.
Marcoſitarum, & Ophitarum errores. 5. 7. & ſeq. Marcos duos hæreticos Hieronymus confundit. ibid.
Marcus Aurelius Imperio Proconſulari decoratur. 21. 1. Antonino Pio ſuccedit. 43. 1. Ejus mores, & geſta. 44. 2. Filium Commodum ex Fauſtina habet. 45. 5. Chriſtianos perſequitur, & quandiu. 45. 1. De Marci, & Veri geſtis. 48. 2. & ſeq. Marci epiſtola ad Verum. 52. 1. Utriuſque de Parthis triumphus. 65. 15. Marcomannicum bellum exoritur. 66. 16. Peſtis Romanum Orbem invadit. ibid. Alia amborum geſta. 74. 13. Expeditionem contra Marcomannos Marcus ſuſcepit. 86. 4. & 95. 10. Supellectilem Imp. diſtrahit. ibid. 95. 10. Filium Verum ſeptennem luget. ibid. Ejus victoriæ adverſus Barbaros. 110. 13. In perferendis injuriis patientia. ibid. De Quadis triumphat. 112. 1. Barbarorum ſtrages. 113. 2. Adverſus Caſſium in Orien-

 tem

tem proficiſcitur. 118. 1. Ejus clementia erga rebellionis participes. *ibid.* A Fauſtina Uxore ad vindictam provocatur. *ibid.* Ad eamdem epiſtola. *ibid.* Alia ejuſdem geſta in Oriente. 121. 3. Fauſtinæ obitus. *ibid.* In Scythas, alioſque populos proficiſcitur. 139. 4. Omnes devincit. 140. 2. Eo mortuo, Commodus imperat. 141. 1. De ejus filiis, & libris. *ibid.* 2.

Martyrio ſe ultro offerre illicitum, ac temerarium. 54. 2. & 200. 1.

Martyrum numerus ſub M. Aurelio vindicatur. 45. 1. Eorum conſtantia commendatur 54. 2. Chriſtianorum ſtudium erga illorum Reliquias. 58. 8. & 59. 10. Baſnagii objectionibus reſpondetur. *ibid.* De Martyribus Lugdunen. & Viennen. 124. 2. & *ſeqq.* Confeſſorum, & lapſorum differentia. 128. 7. Martyrum corpora canibus objecta, & igne conſumpta in Rhodanum projiciuntur. 132. 13. Miraculo ſervantur. 133. 14. Horum numerus incertus. *ibid.* 15. Scyllitanorum Acta. 185. 6. & *ſeq.* Alexandrinorum confeſſio, & martyrium. 315. 2. & *ſeq.* Mira duorum Martyrum fortitudo. 327. 1. Carthaginenſes Martyres ſub Decio. 332. 8. Alexandrini. 336. 12. & *ſeqq.* Alii in Ægypto ſub eadem perſecutione. 337. 15. Siciliani. 342. 26.

S. Maximi confeſſio fidei, & martyrium. 349. 10.

Maximini fortitudo. 181. 1. Alexandro ſublato, Imperium occupat. 287. 1. Chriſtianos perſequitur. *ibid.* 2. Germanos devincit. 291. 1. Ejus in Rom. Cives crudelitas, & avaritia. *ibid.* Civile bellum exoritur. *ibid.* 2. Gordiani Imperatores ſalutantur. *ibid.* Iis interemptis, Maximus & Balbinus Imperium obtinent. 292. 3. Maximinus in Italiam redit. *ibid.* 4. Una cum filio a militibus occiditur. 293. 1.

Maximus & Balbinus Imp. a Senatu conſalutati. 292. 3. Romam redeunt. 293. 1. A militibus occiſis, Gordianus Jun. Imperium obtinet. 294. 2.

Melchiſedech an homo, aut Angelus fuerit. 158. 6.

Melito Apologiam M. Aurelio inſcribit. 96. 1. Quid ab Imperatore poſtulet. *ibid.* 2. Alia ejuſdem opera. 97. 3. Catalogum ſacr. Librorum edidit. *ibid.* 4. Liber de Virginis tranſitu eid. adſcriptus apochryphus. *ibid.*

Ss. Metræ, & Quintæ martyrium. 315. 2.

Minucius Felix quando floruit. 242. 1. Ejus patria, & ſtudia. *ibid.* 2.

Mira-

Miraculorum dona in Eccl. frequentia. 151. 1.
Monachalis diſciplina unde orta. 210. 13.
Monachi ob Pallium deriſi. 223. 11.
Montani hæreſis. 100. 1. Ejus, & ſociorum fraudes, ac ſcelera. 101. 2. & ſeq. Montani, Priſcillæ, & Maximillæ obitus. 102. 4. Eorum errores. 103. 5. Qua ratione Montanus Paracletus diceretur. *ibid.* Ejuſdem jejunia reprobantur. 104. 6. Vana Montaniſtarum præſumptio. 15. 7. Quænam eorumdem revelationes. *ibid.* Errores alii circa Hierarchiam Eccleſ. *ibid.* 8. Myſteria nefanda. *ibid.* In diverſas ſectas ſcinduntur. 106. 9. A Sanctis Viris Montani hæreſis impugnata. 107. 10. A Conciliis damnata. 108. 11. In Græcia, & Galliis proſcripta. *ibid.* A Romanis etiam. 109. 12. An Soter Rom. Pont. contra Montaniſtas ſcripſerit. *ibid.* A Victore Rom. Pont. profligantur. 159. 7. & ſeq. Martyrium appetunt. 201. 2.
Mortuorum corpora intra urbes ſepeliri antiquitus vetitum. 272. 5. Unde orta ſit conſuetudo ſepeliendi in Eccleſiis. 273. 6.
Moshemii opinio de Monachorum origine refellitur. 210. 13.
Mulieres hæreſum fautrices. 42. 1.

N

Narciſſus Hieroſolym Epiſcopus. 153. 3. Ejus ſanctitas, & miracula. 166. 1. Calumniis impetitus ſuam Sedem relinquit. *ibid.* 2. A Deo vindicatus. *ibid.* Ad eamdem redit. 167. 3. & 238. 2. Adjutorem habuit Alexandrum. 250. 4.
Natalis pœnitentia. 179. 3. Ab Angelo flagellatus ad Eccleſiam redit. *ibid.*
Nicomachi lapſus, & interitus. 349. 12.
Nicopolis olim Emmaus dicta. 261. 2.
Novati, & Feliciſſimi ſchiſma. 351. 15. Romæ propagatur. 356. 21. Qualis fuerit Novatus tum ordine, tum moribus. 358. 25. Baſnagii errores de eod. confutantur. 359. 26.
Novatianus ſchiſmaticus Rom. Confeſſores decipit. 356. 21. A Novato diſtinguendus. 358. 24. Ejus initia uſque ad ſchiſma. 360. 27. Perſecutionis tempore fratribus indigentibus auxilium denegat. *ibid.* Romanum Epiſcopatum ſibi arrogat. 362. 30. Quænam fuerit illius ordinatio. *ibid.* 31. Horrendum ejuſdem facinus. 363. 32. Novatiani, & Confeſſorum epi-

epiſtolæ de ipſius ordinatione. *ibid.* 33. A Cypriano rejiciuntur. 364. 34. Rom. Synodi decreto ab Eccl. communione una cum ſuis ſegregatur. 365. 36. Ejus ſchiſma penitus deſtruitur. 366. 37.

Numidicus Conf. presbyter ordinatur. 355. 19.

O

Octavius inter Script. Eccleſ. quis fuerit. 242. 2. Ejus diſputatio cum Cæcilio. 243. & *ſeq.*

Ophitarum hæreſis. 6. 8. Quis eorum auctor. *ibid.* Cur Ophitæ appellati. *ibid.*

Origenis ſtudia. 197. 2. Patrem ad martyrium cohortatur. *ibid.* Hæreticos odit. *ibid.* Docendi munus aſſumit. 212. 16. Chriſtianis favet perſecutionis tempore. *ibid.* Gentilium furorem declinat. *ibid.* De illius vitæ inſtituto. 213. 17. Ejus diſcipuli martyrio, ac pietate celebres. *ibid.* 18. Se ipſum mutilat. 214. 21. Romam venit. 252. 2. Alexandriam reverſus Heraclam ſibi ſocium adjungit. *ibid.* Quantum elaboraverit pro S. Scriptura perſcrutanda. *ibid.* 3. In hæreticorum, & gentilium converſione. 253. 4. Quot Amanuenſes illi dictanti præſtarent. *ibid.* 5. In Arabiam proficiſcitur. *ibid.* 6. Adhuc laicus Palæſtinæ concionatur. 255. 2. Demetrii de hoc cenſura, & Epiſcoporum reſponſio. *ibid.* Beryllum vincit. 260. 2. Presbyter ordinatur. 276. 3. Demetrii in Ordinatores querelæ. *ibid.* 4. An eſſent juſtæ. *ibid.* 5. A Mammea conquiſitus ſalutaria documenta eidem exhibet. 278. 3. Quanti habenda, quæ de Demetrio contra Origenem ab aliquibus referuntur. 281. 1. De illius Apologia, & aliis Cæſareæ geſtis. 283. 1. Errores ſuos excuſat. 284. 2. Commentaria plura edit. 296. 3. Alia ejuſdem geſta, & ſcripta. 307. 2. Ab Heracla e Presbyterio ejectus, ad Fabianum Pont. de recta fide ſua ſcribit. *ibid.* Origenes duo diſtinguendi. 309. 3. Concilio in Arabia habito interfuit. *ibid.* 4. Quænam ſub Deciana perſecutione pertulerit. 339. 18. An idolis ſacrificaverit. *ibid.* Ejus obitus, & ſepultura. 368. Ejuſdem Apologia a Pamphylo & Euſebio digeſta. 368. Elogium. 369. Ejus doctrina multis ſcandalo fuit. 371. Et ſcripta caute legenda. *ibid.* Ipſius errores. 372. Origeniſtæ in duas ſectas diviſi. 373.

Oves, non decet, ut Paſtorem repre-

prehendant, nec ut plebs Epiſcopum accuſet. 38. 3.

P

Pagii opinio de Athenagoræ Apologia impugnatur. 134. 16.
Pamphylus auctor Apologiæ Origenis. 368.
Pantenus Alexandriæ docet, dein ad Indos proficiſcitur. 154. 1. Ammonium magiſtrum habuit. 203. 6.
Parthicum Imperium ad Perſas redit. 274. 1.
Paſchatis controverſia aliquandiu agitata. 39. 6. & 97. 3. Aſiani Epiſcopi in ea a cæteris diſſident. 168. 1. & ſeq.
Paulus Eremitarum Parens perſecutionem aufugit. 338. 16. Cur in eremum ſecedit. ibid. 17.
Pauſaniæ ſcripta. 111. 2.
Perennis Imperii adminiſtratione abutitur. 146. 1. Ejus crudelitas. ibid. & 148. 1. Una cum uxore, & filiis perit. 149. 1.
Ss. Perpetuæ, & Felicitatis Acta. 187. 7. De tempore, & loco, quibus certamen ſubierunt. ibid. 8. Quis Actorum collector. ibid. 9. Ambæ a Montaniſmo vindicantur. 189. 10. & ſeq. Perpetua a patre tentata una cum reliquis in carcerem conjicitur. 190. 12. Viſio eidem oſtenſa. ibid. 13. Iterum a patre tentatur. 191. 14. Viſio altera de Dinocrate fratre. 192. 15. Ex ea Purgatorii dogma adſtruitur. 193. 16. Aliis dignatur viſionibus. 194. 17. Felicitas parturit in carcere. 195. 18. Perpetua ſociis refrigerium obtinet. ibid. Ultimam cœnam, ſive Agapen celebrant. 196. 19. Flagellis cæſi beſtiis objiciuntur. ibid.
Perſecutiones locales ſub Antonino Imp. contra Chriſtianos. 22. 2. Ab eodem Imp. comprimuntur. 30. 9. Quinta ſub Marco Aurelio. 49. 1. & 122. 1. Illius acerbitas, ac diuturnitas. ibid. Sexta ſub Severo. 182. 3. De ejuſdem atrocitate, & duratione. 183. 4. & ſeq. Licitum fuga perſecutionem declinare. 200. 1. & 232. 24. Vel etiam pecunia redimere. 201. 3. Septima ſub Maximino. 287. 2. Alexandriæ tumultu populi perſecutio excitatur. 314. 1. & ſeq. Octava ſub Decio omnium ſæviſſima, vid. Decius.
Pertinax Imperator ſalutatus. 163. 1. A Prætorianis occiditur. ibid. 2. Julianum ſucceſſorem habet. 164. 3.
Peſtis in Italia graſſatur. 66. 16. Romanos afficit. 74. 1.
S. Petri, & aliorum in Aſia martyrium. 349. 11. & ſeqq.

Flu-

Phædinus Amaſenorum Antiſtes Gregorium Thaum. Ep. ordinat. 297. 4.

Philetus Ep. Antioch. ordinatus. 269. 4. Huic ſuccedit Zebinus. 276. 2.

Philippus Prætorii Præfecturam obtinet. 302. 1. Gordiano ſuccedit. 303. 1. Filium ſuum Imperio ſociat. 304. 2. Ab Eccleſiæ ingreſſu arcetur. *ibid.* An Chriſtianus fuerit. *ibid.* 3. Romam venit. 306. 1. Carpos devincit. 307. 1. Ludos ſæculares Romæ celebrat. 310. 1. Quo ritu. *ibid.* Una cum filio ſublato, Decius Imperium occupat. 324. 1. Falſo inter Martyres recenſentur. *ibid.*

Philoſophiæ uſus in rebus ſacris. 211. 14. Chriſtianæ præſtantia. 212. 15.

Photini Ep. Lugdunen. martyrium. 127. 6. Succeſſorem habuit Irenæum. 138. 1.

Pii Pap. obitus, cui Anicetus ſuccedit. 37. 1. An martyrio obierit. *ibid.* 2. De epiſtolis eidem adſcriptis. 38. 3. De Hermete illius fratre. *ibid.* 4. & *ſeq.*

Pionii duo diſtinguendi. 63. 11. Ss. Pionii, & ſociorum Acta, & martyrium. 343. 1. & *ſeqq.*

Platonis philoſophia a PP. commendata. 208. 10. Nova Platonicorum, ſeu Eclecticorum ſecta. *ibid.* 11. Ipſi falſo tribuitur Monachalis diſciplina. 210. 13.

Plautiani mores, & geſta. 177. 1. Plautillam filiam Caracallæ in matrim. tradit. 182. 2. Ab eodem Imp. occiditur. 215. 2.

Pœnitentiæ neceſſitas. 221. 9. Quonam ritu pœnitentes ab Eccl. reciperentur. 230. 22. Reliqua, vid. *Concilium*.

Polycarpus cur Romam venerit. 39. 6. Quo anno martyrium ſubierit. 53. 1. De atrocitate perſecutionis, & ſociis Polycarpi. 54. 2. Eorum conſtantia commendatur. *ibid.* Perquiſitus Smyrnam ductus. 55. 3. Coram Proconſule J. Chriſtum confitetur. 56. 4. Quot annis vixerit, ac Deo ſervierit. *ibid.* 5. Qua de cauſa per Cæſaris genium jurare recuſaverit. 57. 6. Iterata ejuſdem confeſſio. *ibid.* Ad ignem damnatur. 58. 7. Ejus natalem Fideles cupiunt celebrare. *ibid.* 8. Smyrnæi poſtulant, ut martyrii Acta vulgentur. 59. 9. De Polycarpi ſcriptis. 63. 12. Dallei ſententia de eiſdem refellitur. 64. 13. Hæreticos adverſatur. 65. 14.

Polycratis opinio de Paſchatis celebratione. 169. 2.

Pompejanus Conſul ab altero diſtinguendus. 111. 1.

Pontianus Rom. Cathedræ præficitur. 281. 4. Ejus martyrium.

rium . 289. 4. Origenis excommunicationi conſentit . *ibid.* 5. De Pontiani epiſtolis . *ibid.* 6. Ei ſuccedit Anteros . 290. 7.
Praxeas a Victore Pont. damnatur . 161. 9.
Presbyterorum continentia . 318. 7. Pearſonii opinio refellitur . *ibid.* Presbyteri a tutela prohibiti . 322. 12. Lapſi qua pœna multandi . 366. 37.
Privatus Lambeſitanus ab Africana Synodo damnatus . 296. 2.
Pſeudoprophetiſſa multos decipit . 292. 6. Ejus impoſturam Exorciſta redarguit . *ibid.*
S.Ptolomæi , & aliorum martyrium . 66. 1.
Publius Athenienſis Ep. martyrio coronatur . 75. 3. Ei ſuccedit Quadratus . *ibid.*
Pudicitia a Chriſtianis quanti habita . 225. 14.
Purgatorii dogma comprobatum . 193. 16.

Q

Quadratus Publio in Epiſcopatu ſuccedit . 75. 3. Duo Quadrati diſtinguendi . 76. 4.

R

Regnandi dignitas in quo conſiſtat . 257. 2.
Religio Chriſtiana ubique diffuſa . 1. 1. Idque divina virtute . 2. 2. Quæ bona ex ea Reipublicæ diriventur . 25. 3. In eamdem ludibria a gentilibus injecta . 199. 22.
Reliquiæ Martyrum, vid. *Martyrum numerus* .
Ritus Chriſtianorum diverſi . 28. 5. & *ſeqq.*
Romæ peſtis graſſatur . 66. 16. & 74. 1.
Romanæ Eccleſiæ munificentia. 85. 2. Auctoritas . 217. 5.
Romanorum ſuperſtitio . 20. 1. Pluribus afficiuntur cladibus. 35. 1. Eos inter , & Parthos bellum exoritur . 45. 3.

S

Sacrificia in carceribus celebrantur . 334. 10.
Sagaris Laodiceæ Ep. & Martyr. 51. 4.
Sanctorum feſta , & cultus . 58. 8. & *ſeqq.* *iterum* . 347. 7. Eorum invocatio traditione probatur . 59. 10.
S.Saturnini Ep. Acta . 347. 7. & *ſeqq.*
Scripturarum lectio manuducit ad fidem . 82. 13. De Verſione a Theodotione facta . 147. 2. Ab hæreticis adulteratæ , vid. *Hæretici* .
Serapionis Antioch. Ep. opera . 153. 2. Aſclepiadem ſucceſſorem habuit . 249. 6.
Serapionis lapſus , & pœnitentia .

tia. 367. 38. Communione accepta, in Domino quievit. *ibid.*

Serenianus Eccleſiæ perſecutor. 288. 3.

Severi Imperatoris geſta. 164. 4. & *ſeq.* Ejus ſævitia contra Nigrum, ejuſque factionem. 165. 1. A Chriſtiano inunctus morbo liberatur. *ibid.* 2. & 234. 27. Alia in Oriente geſta. 167. 4. Byzantium expugnat, & evertit. 173. 6. Inter ipſum & Albinum diffidia. *ibid.* 7. Solus imperat. 174. 1. Caracallam filium Imperio ſociat, Getam Cæſarem renunciat. 175. 1. Ejus crudelitas in Albini amicos. *ibid.* 2. Adverſus Parthos proficiſcitur. 177. 5. Peſcennii fautores interimit. *ibid.* 1. Cteſiphontem expugnat. *ibid.* 2. Atram fruſtra obſidet. 178. 1. In Ægyptum proficiſcitur. 181. 6. Una cum Caracalla Romam redit, & triumphum agit. *ibid.* 1. Ludos ſæculares edicit. 215. 1. Alia crudelitatis argumenta. 238. 1. In Britanniam tranſit. 241. 1. Res Imperii proſperæ. *ibid.* Britannis devictis, murum ædificat. 245. 1. Caracallæ inſidias detegit. *ibid.* 2. Ejus obitus, & conſecratio. 246. 1. & *ſeq.*

Smyrnæ Terræmotu concuſſa reædificatur. 138. 21.

Soter Rom. Eccleſiæ ſufficitur. 76. 5. Ejus munificentia, & ſolicitudo in exteras Eccleſias. 84. 1. An contra Montaniſtas ſcripſerit. 109. 12. Eleutherium habuit ſucceſſorem. 120. 1. Quandiu ſederit. 121. 2.

Spectacula adeuntes a Deo puniti. 227. 17.

Superbia hæreſum cauſa. 88. 1.

Suſannæ hiſtoria vindicata. 261. 2.

T

Tatiani initia, opera, & hæreſis. 88. 1. Ejus patria, & ſtudia. *ibid.* 2. Romæ ad Chriſtum convertitur. 89. 3. Quibus de cauſis. 90. 4. Encratitarum auctor evadit. *ibid.* Quænam præcipua errorum capita. *ibid.* Cur etiam dictus Hidroparaſtarum pater. *ibid.* De ejuſdem libris. 91. 5. & *ſeq.*

Terræmotus Chriſtianorum cauſa advenire gentiles credunt. 301. 2.

Tertulliani initia, & ſtudia. 215. 3. Qua ætate Chriſti fidem ſuſceperit. 216. 4. Presbyter ordinatur. *ibid.* Ad Montaniſtas tranſit. 217. 5. De illius opuſculis, eorumque argumentis. 218. 6. & *ſeqq.* Quo tempore Apologiam

Digitized by Google

logiam inſcripſerit. 224. 12. Iſtius præſtantia, & ſumma. 225. 13. & ſeqq. De exhortatione ad caſtitatem, & aliis, quæ hæreticus ſcripſit. 230. 22. Perſecutionem declinare improbat. 231. 23. & ſeq. Novam ſectam inſtituit. 235. 28. Ejus opera a Gelaſio notata. 236. 29. Ejuſdem lapſus quantum Eccleſiæ luctuoſus. ibid. 30.

Theodotionis verſio non omnino exploſa. 147. 2.

Theodotus Coriarius Chriſt. fidei deſertor. 157. 4. Quinam ejus hæreſim confutaverint. ibid. 5. Theodotum Argentarium diſcipulum habuit. 158. 6.

Theophylus Ep. Antiochenus. 80. 10. Ejus ſcripta recenſentur. 81. 11. Libri ad Autolicum qua occaſione ſcripti. ibid. 12. Ex lectione ſcripturarum ad fidem convertitur. 82. 13. Gentilium religionem confutat. ibid. 14. Dodwelli opinio de duobus Theophylis impugnatur. 83. 16. Succeſſorem habuit Serapionem. 153. 2.

Traditionum auctoritas. 217. 5.

V

Valentini, & Marcionis hæreſis. 3. 3. Ejus capita. 4. 4. Valentinianorum mores. ibid. 5. De Valentini ſcriptis, & diſcipulis. 5. 6. Ex illius ſchola Marcoſitæ, & Ophitæ prodierunt. ibid. 7. Cajanitæ etiam, & Sethiani. 7. 9.

Veritatis cognitio unde petenda. 15. 3.

VerusCommodus Imperio ſociatus. 44. 2. In Orientem proficiſcitur. 45. 4. Illius geſta. 48. 2. & ſeq. Lucillam uxorem ducit. ibid. infer. De Parthis triumphat. 65. 15. Ejus obitus. 86. 4. & ſeq.

Vethius Apagathus inter Martyres adſcriptus. 125. 3.

Victor poſt Eleutherium Rom. Cathedræ ſuffectus. 156. 3. Hæreſes profligavit. 157. 4. & ſeqq. De Viris illuſtribus, qui ea ætate floruerunt. 162. 10. Paſchatis quæſtionem contra Epiſcopos Aſianos ſuſtinet. 169. 2. Polycratis epiſtola ad eumdem. ibid. In Aſianos Epiſcopos excommunicationis ſententiam profert. 170. 3. Eamdem revocat. 171. 4. Qua ratione excuſandus. 172. 5. Succeſſorem habuit Zephyrinum. 179. 1. Epiſtolæ quatuor eidem adtributæ. ibid. 2.

Ulpianus, aliique JJ.CC. Chriſtianis infenſi. 268. 3. Invitus fere Præfectus Prætorio eligitur. 269. 1. A militibus occiditur. 275. 1.

Vologeſus a Caſſio vincitur. 52. 1.

Digitized by Google

Voluſianus una cum Gallo Imperium obtinet. 368. 40.
Urbanus Rom. Pont. creatur. 267. 1. An martyrio obierit. 279. 1. & ſeq. De epiſtola eidem ſuppoſita, & aliis ab eo geſtis. 280. 3. Ei ſuccedit Pontianus. 281. 4.

Z

Zebinus Ep. Antiochenus. 276. 2. Babylam ſucceſſorem habuit. 293. 7.
Zephyrinus Rom. Eccl. preficitur. 179. 1. Callixtus eidem ſuccedit. 259. 5.

ERRA-

ERRATA.	CORRIGE.
Pag. 31. Ut in ipſe ſententiam.	Ut ipſe in ſententiam.
54. Quamplurimos Smrynæ.	Quamplurimos Smyrnæ.
173. Iidem paeatiores.	Iidem paeatiores.
175. Alibinianæ factionis.	Albinianæ factionis.
188. Viris autem, ac muliebribus.	Viris autem, ac mulieribus.
213. Sanctæ Virginis illudentem.	Sanctæ Virgini illudentem.
231. Cum de deeore.	Cum dedeeore.
285. Originem invenerant.	Origenem invenerant.
286. Ne quidquam protulit.	Nee quidquam protulit.

MO 2021593

Digitized by Google

Via A. Corvi n.
Tel. 88.57 67

Digitized by Google

Digitized by Google